


V
B
J
C
22526
III

historya

De Raritate hujus libri vid. Freytag in analectis de libris rarioribus p. 1008.



THOMÆ TRETERI

CVSTODIS CANONICI VARMIENSIS

DE

EPISCOPATV & EPISCOPIS ECCLESIÆ VARMIENSIS.

OPVS POSTHVMVM

Nunc primùm curâ & impensis


MATTHIAE à Lubomierz TRETERI S. R. M. S.

Vsui Publico

DATVM.

CRACOVIÆ, Typis Francisci Cezary S. R. M. Nec non Illustr: ac Reu: Episcopi Crac: Ducis Seueriæ Typ. A. D. 1685.

IN GENTILITIVM INSIGNE
Illustrissimi & Reuerẽdissimi Præsulis ac Principis.



In Cælis Agnus *radiat, qui vellera quondam*
Aurea, de Phrygio viscere nata tulit.
In terris Agnus *rutilat, qui viscera magni*
Præsulis, ex Regum Sanguine ducta gerit.
Dignior hic Astris, decorat quem Varmia gemmis;
Aureus ille homini, gemmeus iste DEO.



SIMON ALEXIVS TRETERVS.
Præbendarius Otuinouiensis.

ILLVSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. MICHAELI STEPHANO,

COMITI in RADZIEIOWICE & KRYLOW.

DEI & Apoſtolicæ Sedis gratiâ, EPISCOPO VARMIENSI & SAMBIENSI,

REGNI POLONIÆ PROCANCELLARIO,
Sacri Romani Imperij Principi,
Domino & Patrono ampliſsimo.



Xceſsiſſe is mihi, humanam mortalium ſortem videtur; qui anguſto circumſcripta æuo viuendi ſpatia, magno ad poſteros tranſmiſſo ſpiritu, monumentiſque literarum extendit. Illuſtriſsime & Reuerendiſsime PRINCEPS. *Ingenio quippe etiam contra Lybitinæ iura viuitur: ſolaq; ex mortalibus intelligentias reddit, vis illa mentium; quæ ſe victuris à calamo ſæculis infundit, vindicans à morte partem hominis nobiliſsimam, cui vt origo Cæleſtis, ſic & immortalitas debetur. Quanquam verò dignas Cedris perennibus curas; quæ orbi pro antecedentium temporum vindiciis laborant; ſæpè in ipſo pulcherrimi operis veſtibulo, aut inter egregios conatus, adhuc ſub limâ hærentes, mors vltima rerum linea ſoluat: Non ideò tamen, totus hic Parcarum eſt triumphus; cùm ſuperſit gratæ poſteritati modus; quo ex cineribus ſuis, in poſthumo opere vindicati, prodeant vitales animorum, ceu Phœnicis partus. Quinimò & ipſa Cæleſtis prouidentiæ admiranda ſeries, hoc agit; vt quæ vſui publico meditata ſunt, etiam mortali profundo hauſta, redeant iterùm, ceu felices*

Polycratis gemmæ; quas non Argus quidem centoculus, sed peruigil ex alto custodia, vt lucem aliquando videant, opportuno tempori seruat. Actum id quoque cum posthumo Opere Patrui olim mei, Thomæ Treteri *Custodis Canonici Varmiensis; cuius de* Episcopatu *&* Episcopis Varmiensibus *bono publico susceptæ curæ, & in manuscriptis, post vltima fata relictæ, cùm ad manus Celsissimi olim Præsulis & Principis,* Andreæ Olszewski *Episcopi sub id tempus Culmensis & Procancellarij Regni, post Archiepiscopi Gnesnensis & Primatis Regni, summi & amplissimi Patroni mei, non sine arcano superum nutu deuenissent; pro illa æstimatione, & digna principe ingeniorum gratiâ, quâ ipse quoscunq; animorum partus, tenere fouit, & Orbi seruandos censuit; Hanc quoq; Patrui mei operam, tametsi necdum plenè digestam, & morte interruptam, dum conseruat; in pignus tandem propensi in me affectus, & humanissimæ illius, quâ apud eum fruebar gratiæ, dono mihi datam, vt Iuris publici fieret, ceu digito intendit. Excepi munus, à tanti Principis manu, & à sanguinis mei calamo, gratum, animo sanè libenti; atque vt bono publico prodire posset, dum mente agito; impulere huc pronam meam voluntatem tantò efficacius, aliqui ex Prælatis Canonicis Varmiensibus, summæ virtutis & Authoritatis Viri; quibus Frauenburgi cùm essem, factâ propositi mei communicatione, placuere curæ huiusmodi; ad easq; seriò & accuratè promouendas, operam suam polliciti, magno affectu & felici euentu præstiterunt. Prodit igitur vsque ad coronidem suam deductum, posthumum hoc Patrui mei Opus, plurima, ex prisco & recentiori æuo, de* Episcopatu *&* Episcopis Varmiensibus, *posteris memoranda complectens; Quod vt Celsissimo Nomini Tuo,* Illustrissime *&* Reuerendissime Princeps, *in authoramentum debitæ venerationis meæ consecrarem, & summa Dignitas Tua, & Ius omne poposcit. Tibi quippe Magno Præsuli, & Principi debetur, Quicquid in Antecessoribus Tuis, ætas illa dignum immortalitate suspexit; Quicquid ab*

ijs

ijs in rem Ecclesiæ, & in exemplum omnis æui, præclarè gestum est. Cùm Te eum nunc Varmia Præsulem habeat, in cuius sacro pectore, viuax omnium Virtus, & verè Pastoralis pro Ecclesia Dei Zelus, viuacissimo spiritu perennat. Gentilitia quidem Iunosij *Stemmatis decora, vsq; ad augustum sanguinem Regium, purpuratosq; Natalium gradus, auito splendore Tibi excreuerunt; Sed nihil Tibi augustius est; quàm pro Regis Regum Sponsa, Ecclesiâ Tuâ, Regio planè spiritu zelare: atqué inter heterodoxorum spinas, illibatâ Orthodoxæ Religionis sic plantare vireta; vt Tuus, mille Gratijs dignus, verè pascatur inter purissima Romanæ Fidei Lilia* Agnus. *Sæcula Tibi* Radzieiouianæ *propaginis, & gloriæ, laborârunt in decus eximium; tot Senatoriis Curulibus, domesticâ purpurâ Tuâ promicantibus, vsqué ad magnum Auum Tuum* Stanislaum Radzieiouium *Palatinum* Lancicensem; *Qui Senatoriæ dignitatis, natiuos splendores, ductâ in Matrimonium* Catharina Sobiescia, Marci Sobieski *Palatini Lublinensis Filiâ, Regum sanguini inseruit. Cuius Celsissima propago, Parens olim Tuus desideratissimus,* Hieronymus Radzieiowski *Procancellarius Regni,* Magno Ossolinio *suppar, eo vsqué augusto eloquio processit; vt Oracula Regum Orbi dicaret; & apud Portam Othomanicam, summi nominis Legatus, Heroem illum spiritum; quo altitudinem honorum, & fortunam omnem supergressus fuerat, Patriæ in victimam daret. Hoc Tu,* Illustrissime Princeps, *sanguine, inter splendidissima* Comitum *de* Tarnow *maternæ claritudinis sydera ortus;* Serenissimi *quoqué &* Inuictissimi IOANNIS III. Regis Poloniæ, *Triumphatoris ex Oriente maximi, Consobrini vinculi Maiestate decoratus; Excelsis animi Tui dotibus, per cultissimas Europæ nationes, ad summam elegantiam deductis; conquisitisq; in Sole publico, tot magnæ prudentiæ experimentis, Serenissimi Principis Nostri bellorum, & Victoriarum Comes, cùm ad vitam Spiritualem amplectendam animum adiecisses; à minoribus Sacerdotijs sanctè & innocenter pro-*

gressus; à Rege tandem illo, cui triumphalium in Orbe Christiano coronarum, Ius maximum est; Præsuleâ & Principe Varmiensi Mitrâ, coronari meruisti. Felix profectò Cathedra hæc Te Præsule; qui Ouili Tuo, Agnus & Pastor amantissimus es; sed à verâ Religione dissidentibus, Leonem Te inuictum præstas; Sponsamq; Tuam sine rugâ & maculâ, quàm ornatissimam esse cupis; Inducto in eam Sacramentorum ritu, Romanæ Ecclesiæ visitato, totquè iam exactè institutis sacris Ecclesiarum Visitationibus; quas in ipso Hereseos meditullio, insigni Pastoralis Vigilantiæ exemplo, & Catholicorum solatio perfecisti. Ita Præsuleum onus, Angelicis etiam humeris formidandum, exporrectâ immortalium gestorum magnitudine, mentequè virtutum omnium capacissimâ sustinens; dum in Athlantem Ecclesiæ DEI, ex Agno mitissimo, assurgis; maioraquè in dies pro decore Domus Domini, & Ecclesiasticæ disciplinæ obseruantiâ meditaris: Occurrunt Tibi in hoc posthumo Opere Antecessores Tui; vt videant in Te, & ament, viuam animorum suorum Imaginem; Exemplaq; sua in Te vno mirentur; quorum ab aureo æuo deductam, & in Te vno ad ætatis nostræ delicium absolutam, epitomen fecisti. Hanc in Te Veneratio publica dum extollit, Senatusque Tibi Ecclesiastici purpurata decora vouet; Mihi quoqué, dum hanc Operam Celsissimo Nomini Tuo inscribo, non aliud votum est; nisi vt Antistes, Princeps, Senator, qui animum & Sanguinem Regium sortitus es; Annis, Meritis, Honoribus, quæ Te præcesserunt sæcula vincas; & immenso gloriæ tractu, omnia retrò secutura corones. Ita vouet & precatur.

Illustrissimæ & Reuerendissimæ

Celsitudinis Vestræ

Humillimus Seruus

MATTHIAS à Lubomierz TRETERVS S. R. M. Secretarius.

APPROBATIO.

OPus posthumum, de Vitis Episcoporum & Ecclesiâ Varmiensi, ante annos septuaginta. Ex germanicis scriptis collectum, & in ordinem reductum, latinitateq; donatum & auctum à THOMA TRETERO olim Custode Canonico Varmiensi, pio & docto Prælato, Magni STANISLAI HOSII S. R. E. Cardinalis Amici intimi, cùm nihil fidei sacrosanctæ Catholicæ, moribusq; bonis dissonum contineat, imò Ecclesiasticæ antiquitatis cognitionem, & in his oris, Religionis Christi propagationis notitiam contineat, permitto ex vi Officij mei vt imprimatur & fiat Iuris publici. Dabamus ad Ecclesiam Cathedralem Varmiensem die 20. Octobris. 1680.

ADAMVS SIGISMVNDVS KONARSKI, Præpositus Varmien. ac ejusdem Episcopatus Sede vacante Administrator, Cantor Płoceñ. mp.



Lectori Beneuolo S. D.

QVemadmodum ijs, qui ad gubernandum aliquam Rempub. accedunt, historiæ illius Prouinciæ cognitio, ad munus suum, maiore cum fructu ac delectatione explendum, plurimùm lucis adferre solet; ita & illi, qui in Sacerdotio constituti, Ecclesiæ alicui sunt adscripti, perfectam commodorum eius curam gerere non possunt, nisi priùs rerum Ecclesiæ suæ, augmentum vel decrementum, damna illius vel commoda, quæ temporum vicissitudo, in rebus humanis adferre solet, notitiâ vberiore fuerint consequuti. Quamobrem cùm Româ reuersus, apud Ecclesiam hanc nostram Varmiensem, anno proximo superiore, manere, Deoque & officio meo Sacerdotali vacare constituissem, nihil antiquius habui, quàm vt ea, quæ ad eius primam fundationem, vt Episcoporum sibi succedentium seriem pertinerent, studiosè diligenterq; inuestigarem. Dumq; in ijs rebus cum R̃ndis Dominis Canonicis Confratribus meis, sæpiùs conferrem, Reuerendus Dominus Ioannes Cretzmerus, Vir Optimus, & solicitus Ecclesiæ Nostræ Decanus, meiq; amantissimus, obtulit mihi suum manuscriptum, Germanicâ linguâ ex Annalibus Archiui Heilsbergensis ante aliquot annos collectum qui quidem labor ipsius, studium illud meum ita auxit & inflammauit, quin scriptum ipsum è Germanicâ in Latinam linguam illicò transferrem. In versione autem, non tam verba verbis reddere, quam sensum, etiam ex aliorum scriptis, & præfati Archiui Heilsbergensis annalibus, & alijs scripturis, petitum, exprimere, & nouum quoddam Opus, aggredi conatus sum. Arma seu insignia Episcoporum propria, suis locis appinxi: quatuor tamen primis Episcopis, de quorum insignijs, certi nihil assequi potui, veluti symbola quædam, addidi; quæ res eorum gestas, notis quibusdam adumbrarent. His exiguis laboribus nostris, Amice Lector, fruere; dum maiora, quæ ad huius Ecclesiæ, dilectissimæ Sponsæ Nostræ, ornamenta spectant, animo concipimus. Vale. Apud Ecclesiam Varmień. Kalend. Maij Anno Dñi M. D. XC. V.

THOMAS TRETERVS Canonicus Varmień.

LIBER DE EPISCOPATV ET EPISCOPIS ECCLESIÆ VARMIENSIS.



Nno à Natiuitate IESV CHRISTI Quingentesimo Septuagesimo Tertio, cum *Videruutus* Prussiæ Rex Magnificus, in Centesimo decimo sexto suæ ætatis anno constitutus, in languorem incidisset; duodecimq; filios haberet superstites & adultos, inter quos de successione in Regnum paternum, dissensiones plurimùm vigebant; ad eas tollendas, vtq; inter Fratres amor & vnitas coalesceret, Terras Prussiæ in Duodecim partes seu Principatus diuisit, cuilibet filiorum, vnam partem post obitum suum assignando. Vnde eius filio *Varmo* obtigit ea pars, quæ ad fluuios *Narum* & *Bassarum* posita, ab eius nomine *Varmia* vocatur. Is ædificauit statim amplas munitiones, ab ipso vocatas *Telo*. Non diu tamen superuixit, Patrisq; obitum antecessit; Viduâ vxore relictâ, quæ *Erma* dicebatur, cum aliquot liberis impuberibus. Hæc ditionem mariti in statu viduitatis, maxima cum laude multis annis administrauit, subditisq; se æquabilem præbuit; à qua *Ermelandt* in hodiernum diem denominationem accepit. Hæc eadē ex deuictis *Massouijs*, longè lateq; magnū sibi nomen acquisiuit: Nam postea quam *Lotko* Massouiorum Dux, Pomesonis, qui *Ermæ* Mariti frater erat, oras hostiliter inuaserat, *Pomesoneq;* cum sex Filijs capto, eos paulo post (ipso Patre fugâ elapso) trucidauerat; ipsa vt injuriam tantam vlcisceretur, collecto exercitu, auxiliaribusq; Affinis sui copijs, in *Masouiam* personaliter irrupit: req; feliciter gestâ, Lotkonem superauit; & in conspectu suo, eum vxoribus & liberis, quorum ad viginti sex erant, occidi præcepit: atq; ita Victoria celebri reportatâ triumphans do-

Videruutus Prussiæ Rex annorum 116.

Inter 12. Filios Regnum diuisit.

Varmo Filio ea pars obtigit, quæ ab illo Varmia nūcupatur.

Mortuo Varmo Vxor eius Erma Ditiones mariti administrat.

Lotko Masouiorum Dux Pomesonem fratrem Varmonis cum 6. filijs invadit. & filios capit.

Erma vlciscitur injuriā Fratris mariti sui, Masouiam irrupit.

Lotko ab Erma cum vxore & 26. filijs occiditur.

Erma à Puella adamata per filium suũ noctu clam interimitur.

mum redijt. Postea verò cum nullâ ratione permittere vellet, vt Filius Puellam ex eius gynecæo, quam vehementer adamauerat, Vxorem duceret, ab eadem puellâ insidijs petita, & tandem noctu, clàm miserè interemta decessit.

FVNDATIO EPISCOPATVS VARMIENSIS.

Bellum Sacrũ cõtra Pruthenos promulgatur.

Anno 1225.

CRucigeri quos Conradus Masouiorum Dux, in Terra Culmensi collocauerat, cum Viribus Pruthenorum pares non essent, *Innocentius Pontifex* Maximus, ad instantiam dicti Conradi, contra infideles *Pruthenos*, Sacrum bellum Crucis, per vniuersam *Germaniam* & *Poloniam* promulgari fecit: cui pro obedientiâ, innumera hominum multitudo, ex Germaniâ Poloniâ cæterisq; nationibus conflata, nomina dedit, Anno Domini 1225. quo tempore ad diem *Sanctæ Luciæ* apud *Bresdno* digni laude Principes Poloni, Vires suas in vnum congregarunt, nempè Optimus Masouiorum Dux Conradus, Fratrum Teutonicorum Culmensium Patronus, adfuit cum Quatuor millibus Masouiorum; *Laskonogus* Maioris Poloniæ Dux, cum mille ducentis; *Semouitus* Cuiauiensium Dux cum duobus millibus; *Lesko* Cracouiensis cum duobus millibus; *Henricus* Legnicensis Sanctæ Heduigis filius, cum tribus millibus; *Casimirus Gnesnensis* cum mille quingentis; *Suantopelcus* & *Samborius* frater, *Pomeraniæ* Duces cum quinq; millibus. Hi Principes cum *Hermanno Balke* Magistro, & viginti octo fratribus Teutonicis, ac centum eorum Peditibus, instructo exercitu, progressi sunt die SS. *Simonis* & *Iudæ* ad locum *Vogelsange* supra *Vistulam* fluuium, qui frigore constiterat; & peruenerunt ad *Slemum Pruthenorum* munitionem, quæ nunc *Garsa* cognominatur: Vbi Infideles magnis viribus coactis, Christianos summo impetu sunt adorti. Certatum est vtrinq; ingentibus animis totâ die, vt riui sanguinis niuibus permisit per campos largissimè defluerent. Nocte tamen ingruente, vbi se multa virorum millia amisisse Prutheni didicerunt, ad fugam conuersi sunt; quibus *Suantopelcus* cum suis agminibus occurrens, eos ad vnum interfecit. Quod cum Prutheni animaduertissent, ac Christianos vltrà quàm cogita-

Conradus Masouiorum Dux auxilia præbet Similiter Laskonogus Maioris Poloniæ. Semouitus Cuiauiensium. Lesco Cracouiensis. Henricus Legnicensis. Casimirus Gnesnensis. Suantopelcus & Samborius Pomeraniæ Duces. Hermãno Balke Magistro. Progrediũtur cõtra Prussos.

Prussi ad Slemum Christianos expectãt, eos adoriũtur.

Pugna ingens.


Prutheni Victi.

cogitabant, eorum oram flammâ ferroq; vastare vidissent, *Darsgoitum* cum præcipuis ex nobilitate obuiam Christianis miserunt, humiliter orantes, vt à cædibus & vastatione abstinerent; se in illorum potestatem concessuros. Ibi tum die *Sancti Martini* pax his conditionibus confecta fuit; vt *Prutheni* deinceps Principibus fideles & tributarij essent; Teutonicis fratribus subditi forent, ab ipsisq; in Christianâ fide se instrui paterentur. Porrò Christiani Principes supradicti, re feliciter contra barbaros gesta, Terras *Prussiæ* Pontifici Maximo, cuius nutu & auspicijs Victoria parta est, obtulerunt & dediderunt; orantes & obsecrantes, modos vt omnes & rationes perquireret, quibus Christiana Fides, in partibus hisce plantari & deinceps propagari posset.

Pacem petunt

Conditiones Pacis.

Principes suadicti Terras Prussiæ Pontifici dediderunt.



INNOCENTIVS igitur IV. præter alios pios & doctos religiosos ac Sacerdotes, quatuor infrascriptos ad

Pontifex Quatuor Viros doctos in Prussiam mittit.

nouum *Torunense* Monasterium misit, qui in Christianâ Fide populos erudirent; nempe Doctorem *Henricum Canonicum Brunensem* in *Morauiâ*, Fratrem *Henricum* Ordinis *Prædicatorum*, Fratrem *Anselmum* ex Ordine *S. Francisci*, Fratrem *Ernestum* Ordinis *Prædicatorum*; qui hincinde per Pruthenos pias conciones faciendo, ad dilatationem cognitionis veri DEI plurimùm vtilitatis attulerunt. Vt autem certa ratio & modus iniretur, quâ Prouincia hæc, in augmento Diuini cultus facilius regi & contineri posset, supra nominatus *Pontifex* Anno Dñi. 1241. Legatum suum in *Prussiam* misit, Reuerendissimum in Christo Patrem Dominum *Vilhelmum* Episcopum *Mutinensem*; qui Thorunium pro festo Natiuitatis Dñi. veniens, ibidem in Monasterio Beatissimæ Virginis apud Franciscanos, Dominicâ *Quasimodogeniti*, Synodum celebrauit: cui interfuere Archiepiscopus Gnesnensis, Plocensis, Vladislauiensis, Vratislauiensis Episcopi, plurimiq; alij Ecclesiarum Prælati, Abbates ac Sacerdotes. In ea, inter cætera, constitutum fuit & hoc, vt Prussia in tres partes diuideretur: cuiuslibet autem partis Pars tertia, cum omnibus præeminentijs & Regalibus pro fundatione Episcopatuum conuerteretur: duæ autem reliquæ partes, Crucigeris cederent, vt onera belli sufferre, securitatemq; Prouinciæ præstare possent; in quibus etiam Domini Episcopi suam Iurisdictionem exercere deberent: vtq; Ecclesia quælibet, post obitum primi Episcopi, liberam electionem haberet, nulliq; Domino præterquam Pontifici Maximo immediatè subiecta esset. In eadem quoq; Synodo, Episcopatus in *Prussiâ* fundati, & supra nominati quatuor Apostoli, per Legatum Pontificis, in Episcopos ordinati consecratiq; fuere: & Doctor quidem *Henricus* in *Culmensi*, Frater *Ernestus* in *Pomesaniensi*, Frater *Anselmus* in *Varmiensi*, Frater *Henricus* in *Sambiensi* sede collocatus est. Quamuis autem Cruciferi, procedente tempore *Culmensem*, *Sambiensem* & *Pomesaniensem Episcopatum* sæpè varieq; ita afflixerunt, vt à primariâ fundatione recedere, illisq; subijci necesse haberent; jugum tamen hoc Ecclesiæ *Varmiensi* imponere nunquam potuerunt. Sed Dñi. Episcopi, vnâ cum Venerabili Capitulo, ita Ius suum egregiè tutati sunt, vt Regalia sua salua & integra conseruauerint.

Per Prussiam seminant verbum DEI.

Pontifex in Prussiam Legatum misit.

Synodus Thorun: celebratur.

Diuisio Prussiæ in tres partes. Cuiuslibet partis, tertia pars pro fundatione Episcopatuum assignatur. Reliquæ duæ Crucigeris oblatæ.

Episcopatus fundatur quibus quatuor illi Apostoli pro Episcopis consecrantur. 1242. Mense Aprili Dñica Quasimodogeniti.

Varmiensis Episcopatus eminentia.

Eccle-

Titulus Ecclesiæ Varmiensis. Eius Ciuitates

Ecclesia *Varmiensis Beatissimæ Virginis MARIÆ* & Sancti *Andreæ Apostoli* titulo est decorata: Ciuitates habet, Frauenburgum, Brunsbergam, Melsacum, Vormditum, Gutstadium, Scheburgum, Heilspergam, Vartemburgum, Bispurgum, Tolkemitum, & Resselium, cum omnib⁹ Villis & pertinētijs.

Diœcesis.

Limites eius Diœceseos pertingunt vsq; *Regiomontem* ad *Pragelam*, ad Episcopatum *Vilnensem*; meridiem versus vsq; ad Episcopatum Plocensem, ad lacum Drausem & Habum.

MONASTERIA.

Monasteria.

In Episcopatu Varmiensi sunt etiam Monasteria Mendicantium; Prædicatorū duo, vnum *Elbingæ*, *Girdauij* alterum, quæ ob Lutheranismum sunt desolata. *Eremitarum* Sancti *Augustini* tria, vnum *Resselij*, alterum *Patollij*, vbi quoddam idolum ab infidelibus *Pruthenis* summâ religione colebatur; tertium *Heilgenbeili*, quod per Lutheranos deuastatum est. Fratrum Minorum Quatuor, vnum *Brunsbergæ*, alterum *Vartemburgi*, duo reliqua Velauij; quorum vnum Bernardinorum extra ciuitatem positum, tempore belli dirutum est; alterū verò Martinianorum Lutherana impietas destruxit. Hæc Monasteriorum desolatio procurata est, à prætenso Episcopo Georgio Sambiensi.


S. Brigitta Elbingæ hospitabatur. Mores Crucigerorum considerat. Petit à DEO sibi reuelari quid futurū esset de hoc Ordine Interiturum didicit.

Elbingæ est S. Brigittæ Monasterium, vbi est perampla area, ad instar arcis cum quatuor turribus, & fossis muro cinctis, & antiquitus erat ibi Horreum arcis. Hoc loco quondam hospitabatur S. Brigitta; & Fratrum Teutonicorum vitā & mores diligenter considerans, summis precibus à Christo Domino contendebat, vt sibi reuelare dignaretur, quid in posterū de Ordine hoc futurū esset? Reuelatum est, eum interiturū. Cum autem Elbingenses sensim experirentur, vaticinium illud suū effectū sortiturū, in eo loco vbi ipsimet Cruciger morabantur, constituerunt Virginum & Virorū Monasteriū dicti Ordinis S. Brigittæ; illudq; vberrimis prouentib⁹ annuis egregiè dotārunt. Sed nec illud postea cōstitit: Nam ad vltimum ita decreuit Anno 1521. vt non nisi vna Monialis, & vnicus Monachus superesset; nunc verò est planè desolatum. *Gedani* tamen ædificatum est aliud S. Brigittæ Monasterium, quod Regia Majestas & pij Ciues amplissimis reditibus locupletārunt, qui *Elbingensis* Monasterij esse debebant.

Monasterium Elbingæ S. Brigittæ interijt. Gedani Monasterium S. Brigittæ.

VITÆ EPISCOPORVM VARMIENSIVM.

Primus Episcopus, ANSELMVS.





Ic vt nonnulli volunt, Misnensis fuit, & ad conuertendos *Pruthenos*, ab INNOCENTIO III. Pontifice Maximo, cum alijs eiusdem ordinis Fratribus *Franciscanis*, in hanc Prouinciam missus est: quamuis nonnulli, quod Crucifer fuerit, inde probant, quòd ipsemet in priuilegio huius Episcopatus se vocat Fra-

cat Fratrem Anselmum Ordinis Hospitalis Sanctæ MARIÆ Hierosolymitani. Postquam *Pruthem*, post secundam rebellionem, operâ & auxilio *Germanorum* Principum & Episcoporum, ad obedientiam reducti fuêre; Reuerendissimus Dominus *Bruno* Episcopus Olomucensis qui expeditioni huic præsens interfuerat, *Anselmo* munitionem & Ciuitatem ad *Passeriam* fluuium *Serge* quondam vocatum ædificauit Anno 1255. à suoq; nomine *Brunonis* montem appellauit, quæ nunc *Brunsberga* vocatur. In ea prædictus Episcopus *Anselmus* Ecclesiam Cathedralem, sub inuocatione Sancti Andreæ Apostoli pro Sexdecim Canonicis, & Quatuor Prælatis fundauit; prout latius in literis dictæ Fundationis & Erectionis continetur. A Primis aliquot Annis cum Septem tantum Canonicis, in Ecclesia Cathedrali, (cuius adhuc in turri Arcis *Brunsbergensis* extant vestigia) horas Canonicas quotidie decantauit: cùm toto triennio vnâ cum suis Canonicis alios nullos reditus haberet, præterquam vnam marcam argenti, ex molendino *Crausemülle*, quod in districtu *Gustatensi* positum est: nam & Prouincia propter continuum bellum, fere desolata, & ex incolis *Pruthenis* plurimi adhuc Idolatræ fuerunt, qui Episcopum pro Domino & animarum curatore nolebant agnoscere. Postea tamen, vbi operâ & diligentiâ Episcopi fidem receperunt, multas hinc inde in sua Diœcesi Parochiales Ecclesias fundauit & constituit.

Bruno Episcopus Olomucensis contra Pruthenos.

Anselmo Munitam ciuitatē ædificat.

Anselmus Cathedralem Ecclesiam cum 16 Canonicis & 4. Prælatis fūdat

Horas Canonicas decantat. Per triennium reditus Episcopi cum Canonicis vnius marcæ.

Ecclesias Parochiales plātat.

Porrò inter egregia facinora, quæ optimus hic Episcopus in plantandâ & propagandâ Christianâ Religione designauit, illud non postremum fuit, quod Idololatriam cum insigni turpitudine coniunctam, quam *Prutheni* Deo CVRKONI exhibebant penitus profligauerit & exterminauerit: Nam in eo loco, vbi nunc oppidum *Heiligenbeil* situm est, fuit ingens quercus, quæ non minus æstate quam hyeme (operâ proculdubio diaboli) assiduè virebat. in ea Vastæ magnitudinis Idolum CVRKO dictum positum erat, cui Diuini honores exhibebantur, & quotannis Mense Augusto primitiæ frugum eidem offerebantur & adolebantur. Linguâ eorum vocabatur locus hic SWENTE MESTE, id est Sacer locus. Contra hanc execrandam Idololatriam *Anselmus*, multis & eruditis concionibus, acriter inuehebatur; quibus cum nihil apud duræ ceruicis *Pruthenos* proficeret, & impiam hanc superstitionem in sua Diœcesi vigere, molestissimè ferret, præcepit ad extremùm, vt Quercus illa excinderetur: Cumq; ad rem deuentum esset, & quidam arbori securim admouisset, illa repercussa conuerso ictu ferientem grauiter in pede vulnerauit, vt in terram illicò prosterneretur: vnde Christianis terror iniectus, vt arborem attingere nullus auderet; Infideles autem ista cum incredibili gaudio & voluptate spectabant. Quæ res cum Episcopum vehementer affligeret, plenus Spiritu & Diuini

Idololatriam Curkonis exterminauit. Quercus etiam hyeme virens receptaculum Curconis.

Contra quam Episcopus inuehebatur.

Quercum excindi mandat.

Casus circa excisionem astu Diaboli.

Episcop⁹ manu propriâ excindit Quercũ.

Eandem comburit.

Securim Prutheni pro insigni reliquia venerantur.

Diuini honoris zelo, procesſit eo ipſemet, & acceptâ ſecuri ingens foramen in quercu effecit, cæteri autem Chriſtiani, eo iubente, ignem ſubijcientes eam totam combuſſerunt, & Idolum ad nihilum redegerunt. *Prutheni* nihilominus, cum ſecuris illa diligenter conquiſita, in manus illorum perueniſſet, eam in eo loco, vbi nunc *Heiligenbeil* oppidum ſitum eſt, ab illâq; nomen retinet pro inſigni reliquiâ venerati, in ſacello aſſeruabant.

Prutheni tertio deſciſcunt à fide.

Templa diruunt Parochos trucidant Epiſcopum obſident.

Curconis iniuriam vindicat.

Braunſperga ope Chriſtianorũ ſtrenue defenditur.

Prutheni ſoluunt obſidionem.

Epiſcopus Elbingam migrat

Moritur Elbingæ.

Non multò poſt cum Tartari in *Poloniam* & *Sileſiam* incurſionem feciſſent, *Germaniaq;* tantum terrorem incurriſſet, vt Principes rerum ſuarum curam gerere potiùs, quàm Cruciferis opem & auxilium ferre cogerentur, eam opportunitatem *Prutheni* ſibi non prætermittendam exiſtimantes, tertio à Fide, (quæ Apoſtaſia ſeptem annis durauit,) deſciuerunt; & junctis ſimul Viribus, non ſolum pagos & villas, templis dirutis & Parochis trucidatis, deuaſtârunt; ſed & ipſum Epiſcopũ in ciuitate *Braunſpergenſi* obſederũt, illatâ per illũ Deo CVRKONI iniuriam vindicare cupientes. Quamuis autem tunc temporis *Brunsberga* minus eſſet munita, vt quæ lignea tantùm ædificia luto illita haberet, Ciues tamen Chriſtiani, DEO, adiuuante, qui ſuos nunquam derelinquit, illis adeò reſtiterunt, oppidumq; ita tutati ſunt, vt ad extremùm re infectâ, Infideles *Prutheni* obſidionem ſoluere & recedere coacti fuerint. Cæterùm cum Epiſcopus ſi quæ maior Barbarorum vis ingrueret, ſuam & ſuorum ſalutem, Oppido parùm munito concredere non auderet, illud incendit, & *Elbingam*, ſecuritatis cauſa, commigrauit; vbi in ſenectute bonâ, ab Idololatris plurima perpeſſus, feliciter in Domino quieuit, Anno 1262. 20. Maij, ibidemq; in Arce in Capella Sanctæ Annæ honorificè ſepultus eſt.

DE PATOLLI IDOLO.

Quercus hyeme & æſtate virens Idolũ Patolli.

Deſcriptio Quercus ſemper virentis.

Diuiſio eius.

IN vlteriore parte *Bartſteini* ad viam publicam verſus, vbi dirutum Sanctiſsimæ Trinitatis Monaſterium cernitur, fuit alta & vaſta Quercus, æſtate & hyeme operâ Diaboli proculdubio ſemper virens, adeò latis & denſis folijs, vt nullâ imbrium vi penetrari potuerit. Hæc cortinis & velarijs elegantibus vndiq; cingebatur, vt ad eam nemini ingreſſus pateret, præterquam eorum Antiſtiti *Kirwaito*, & præcipuis Sacerdotibus qui *Vandalotti* vocabantur. Quod ſi quis ad eam deuotionis causâ accedebat, ei per Sacerdotes velaria ſubducebantur. Porrò Quercus hæc in tres æquales partes diuidebatur, in quarum vnaquaq; ſpatium in modum feneſtræ continebatur, in quo Idolum cum proprio inſigni, erat poſitum. Vna pars continebat imaginem PERKVNI, ante quam die noctuq; ignis, ex quercinis lignis perpetuò accendebatur; quem ſi incuriâ aut negligentiâ alicuius è *Vandalottis* extingui contigiſſet, ſtatim is

ante Idolum comburebatur; vbi etiam Sacrificia offerrebantur. Altera pars habebat imaginem PETRVNEPI, quæ pro insigni ingentem anguem fouebat, cui Vas lactis à *Vandalottis* ad lambendum proponebatur, illiq; sæpissime hoc modo sacrificabatur. Tertia pars continebat imaginem PATOLLI cum humano, Equino & bouino capite, ante quam erat appensa lampas, quæ festiuis diebus accendebatur; circum circa erant constructæ mansiones, quas *Vandalotti* Sacerdotes Idolorum inhabitabant.

Hæc tria Idola Cimbri quondam in Prussiam detulerunt, cùm primùm eam incolere cæpissent; quibus Anno Christi 500. *Vidouutus* Pruthenorum Regulus, vnâ cum fratre *Brutteno* Flamine seu *Kirwayto* solenni ritu sacrificauit, & cantilenas concinendo in regum se iniecit, atq; ita combustus est.

Idola hæc Cimbri in Prussiã inducêre. Quibus qualiter sacrificauit Vidouutus.

Contra huiusmodi turpissimas abominationes, & execranda Sacrificia, optimus Episcopus *Anselmus*, in concionibus sæpissimè inuehebatur; sed propter malignitatem temporum efficere nihil potuit. De quo Episcopus, loci illius, post modum Senator primus, sicut & de sequentibus, ita cecinit.

Contra hanc idololatriã fortissime inuehebatur Episcopus. Eius Mors.

Ordine primus erat, Claustrali ex Ordine, nullas
Hic inuenit opes sed opus, namq; vnica totus
Marca fuit reditus. Cathedram fundauit in Vrbe
Braunsbergâ, euertit Quercum statuasq; Deorum.



II.
HENRICVS I.



ENRICVS Decanus *Braunspergensis* à Capitulo electus Episcopus, desolatum superiorum temporum iniuriâ Episcopatum, Villis fundatis instruxit, Diœcesim Ecclesijs ædificatis restituit; *Braunspergam* in eum in quo nunc sita est locum transtulit (nam antea longius ab *Habo* distabat) quo etiam magna quantitas *Lubecensium* & *Hamburgensium* nauium confluebat, vnde Ius *Lubecense* acceptauit & retinet. *Vormditi* & *Gutstadij* hoc tempore aliquot ædificia consurrexerant.

Anselmus Electus restaurat Episcopatum.

Ius Lubecense acceptat.

Illustris Vidua omnia sua bona Ecclesiæ adscribit.

His temporibus floruit Illustris Vidua *Soupna*, ex antiqua *Pruthenorum* nobilitate oriunda, diuitijs potens, fundi ad duo milliaria patentis, vbi nunc *Frauenburgum* est, *Domina*; quæ ab Episcopo


Anselmo

Anselmo ad fidem conuersa, cum nullos haberet Hæredes, ad Religionis Diuiniq; cultûs augmentum, vniuersa bona sua, Episcopo *Henrico*, eiusq; Capitulo perpetuò posidenda donauit & tradidit: qui dimidio ab eius Dominæ curia milliari, supra montem versus *Habum*, Ecclesiam & mansionem Canonicorum exædificauit, & de eius *Dominæ Soupnæ* nomine *Frauenburgum* appellauit; quam Matrem omnium Episcopatûs totius Ecclesiarum constituit, eamq; in honorem Beatissimæ MARIÆ Virginis & S. Andreæ Apostoli, dedicauit, & latinè *Varmiam* nominauit. Mortuus est viribus & senio confectus Anno 1300. sedit annis fere 40. & in Ecclesia Cathedrali sepultus, cui idem Senator.

Frauenberga vnde dicta.

Moritur Anselmus.

Prussica Germanos inducit ad Arua Colonos,
Hinc aucti reditus; Viduæ donata fauore
Iugera Fraumburgum vocat; atq; ibi condidit vrbem,
Et mox Brunsperga Cathedram transportat ibidem.



III. EBERHARDVS.



Eberhardus eligitur. Ciuitates fundat.



EX Canonico Varmiensi, Episcopus legitimè à Capitulo electus, & à Sede Apostolicâ confirmatus, *Vormditum*, *Gutstadium* & *Heilspergam*, Ciuitates fundauit, & Iuri *Culmensi* subiecit. Eius tempore Cruciferi, nonnulla bona ad Episcopatum *Varmiensem* pertinentia sibi vsurparunt, præcipuè *Bartsteinium* & *Schippenpilum*, quæ ab Ordinis Magistro *Siffrido Fuchtwangen* in Ordine XII. missâ legatione splendidâ, Episcopus repetiuit; à quo cum durum & minus ciuile responsum accepisset, coactus fuit de toto negotio ad summum Pontificem referre; à quo ad Ordinis Magistrum Monitorium obtinuit, quo illi mandabatur, vt bonis in diuisione attributis, Episcopo cederet, sub amissio-

Bona Ecclesiæ recuperat.

amisione omnium Priuilegiorum Ordini à Sede Apostolicâ concessorum. Vnde coactus fuit Magister Bona sic vsurpata Episcopo restituere; qui necesse quoq; habuit, vnum ex Dominis Cruciferis Generalem Episcopatûs Aduocatum constituere, quæ consuetudo postmodum durauit, vsq; ad res Ordinis Teutonicorum inclinatas, annis ferè nonaginta aliquot, ad Episcopatum Varmiensem *Francisci Kueschmaltz*, qui jugum hoc pretio ab Ordine redemit. Porrò *Eberhardus* in summâ senectute diem clausit extremam, die octauâ Iunij, Anno 1326. & Varmiæ sepultus quiescit.

Aduocatum Episcopatus ex Ordine acceptauit coactus.

Quod Iugum multis annis Episcopatus sustinuit.

Condidit Heilsbergam Vormditum Gustadiumq;
An non hoc satis est dixisse?

IV.
JORDANVS.



ANtea Canonicus Varmiensis, postea in Episcopum à Capitulo concordibus suffragijs electus, Magistro pro tunc Ordinis Teu-

Iordanus eligitur.

thonici Generali, Ordinem suum regente, *Wernero* de *Orselen*. Vir
Sed iam Senex apprimè eruditus & egregijs virtutibus adornatus. Ætate admodum prouectâ, ob idq; valde debilis duos tantum annos cum dimidio *Varmiensi* præfuit Ecclesiæ. Obijt *Heilsbergæ* in Choro *Varmiensis* Ecclesiæ Anno 1328. die 6. Calend. Decembr. tumulatus.

Moritur.

Iam Depontanus senio confectus & æger,
Vix binos Cathedræ Varmiensi præfuit annos.

V.
HENRICVS II.



Henricus Regiomontanus eligitur.

HENRICVS II. VAGENAX cognominatus, *Regiomonti* in *Prussia* natus, concordibus Capitularium votis, in Episcopum *Varmiensem* electus; cum autem Canonicus esset, incidit

incidit in Episcopatum valdè desolatum, à Pruthenis flammâ ferroq; deuastatum: quem vt incolis cultiorem redderet, ijs qui domicilia figere vellent, annos quindecim, ab omnibus subeundis oneribus, liberos concessit. Incolis libertatem dat.

Cum Malefactor quidam *Brunsbergæ* ex conniuentiâ (vt supponitur) Brunsbergensium, Monasterium Fratrum Minorum, paulò ante, igni admoto exussisset, occultatus in Monasterio primùm. deinde profugus, ipsam etiam Ciuitatem exusserat; Episcopus alium locum Fratribus ad ædificandum nouum Monasterium concessit, prout & alia multa pia opera reliquit. Tandem in vltima senectute, fractus Curis sui Episcopatus Anno 1334. 9. Aprilis defunctus est; ac cæteris suis Ordinis Patribus in Ecclesia Varmiensi appositus est. Nebulo quidã Monasterium incendit. Similiter Braunsbergam Episcopus pro Monasterio nouum locum assignat. Mors Episcopi.

Regiomontanus, meritis venerandus & Annis
Diuini Eloquio verbi facundus, & ardens
Quindenos censûm cunctis indulsit in annos,
Vt restaurarent Vastatos cladibus agros.

Schisma in Ecclesia Varmiensi,

Quod octo Annis durauit,

Sub prætensionis Episcopis IACOBO videlicet MICHAELE & HENEMANNO.

ACceptâ notitiâ de morte Henrici Episcopi Varmiensis D. *Wernerus* de *Orselen* Supremus Ordinis Fratrum Teuthonicorum Magister, plurimos Canonicos Ecclesiæ Varmiensis ad se euocauit, qui ad commendationem ipsius, ab Episcopis Varmiensibus in Sacrum Ecclesiæ Varmiensis Collegium adscripti fuerant. Hi vt Magistro rem gratam facerent, ad petitionem eius *Iacobum* Virum eruditum & eloquentem ex Ordine Crucigerorum, in Episcopum elegerunt; quo tempore Crucigeri, Episcopatum Varmiensem, in potestatem suam redigere, omnibus modis vehementer cupiebant. Altera autem Canonicorum pars, qui norânt, quàm benè rebus Ecclesiarum sub dicto ordine consultum erat? quòd bonis Ecclesiasticis vehementer inhiarent, elegerunt *D. Michaëlem* Iuris vtriusq; Doctorem; Porrò vterq; electus vt Ius suum tueretur *Romam* primùm profectus, deinde *Auenionem* Pontificem Maximum sequutus est. Cumq; *Iacobus* Iuri suo diffideret, *Michaëli* aduersario Venenum propinari procurauit, ex quo etiam mortuus est, Quod cum Pontifex intellexisset, *Iacobum* omni Episcopatûs Iure, quod prætendebat priuauit; qui paulò post etiam mortuus repertus est, Nouum Schisma. Vernerus Magister Ordinis immiscet se electioni. Iacobum præponit suæ factionis Virum à certis Canonicis eligitur. Melius sentientes eligunt Michaëlem. Michael Veneno suffocatur.

nec

nec causa scitur, nisi forte ob magnam animi angustiam. Quod cum ad Magistrum Ordinis perlatum fuisset, statim is, antequam Capitulum ad electionem descendisset, Episcopatum vigore Iuris-patronatûs Cancellario suo *Henemanno* Viro docto, ob seruitia fideliter præstita contulit, eumq; cum Præsentatione *Romam* ad Pontificem misit. Sed Domini Capitulares, missis quoq; *Romam* Nuntijs, Ius suum egregiè tutati sunt; & veris rationibus comprobarunt, indebitè & injustè, Magistrum & Ordinem Theuthonicum Iuspatronatûs super Episcopatu Varmiensi sibi vsurpare voluisse: Ita *Henemannus* rebus infectis domum redijt; quæ res adeò Crucigeros malè habuit, vt inuicem coniurauerint, nullum alium ad Episcopatum Varmiensem admittere. Hæc controuersia ad annos octo est protracta, quo tempore Administratio totius Episcopatûs penes Venerabile Capitulum fuit, & Ciuitates *Ressel, Melsack* & *Allenstein* per illud fundatæ ac Iuri Culmensi adscriptæ sunt.

Magister Henemanno sine electione Episcopatû confert. Capitulares Romã appellarunt. Henemannus reiectus Romæ. Offensi Cruciferi. Schisma octo annis durat. Ciuitates fundantur.

VI.
HERMANNVS.

HERMANNVS de *Praga*, Regni Bohemiæ Metropoli, dictus, Dominus in *Libenstein* in Morauia sito; Vir præstans & eruditus *Ioannis* sui Bohemiæ Regis Orator & vnicus in grauioribus Consiliarius fuit. Cum modus & ratio non facile reperiretur, quâ contra Fratrum Teutonicorum potentiam, aliquis Episcopus eligi, & in sua sede collocari tutò posset, oblatum fuit Venerabili Capitulo sanum & salubre consilium, vt Benedicto XII. Pontifici Maximo clam suggereretur, vellet ad se cumprimis Eruditum & præstantem Virum Doctorem *Hermannum* euocare, illiq; de Episcopatu *Varmiensi*, tot annis vacante prouidere: facturum proculdubiò Bohemorum Regem, rationesq; omnes peruestigaturum, vt Familiarem & Consiliarium suum, in Patrocinium & Defensionem suscipiens, eum contra quorumuis potentiam in sede collocaret.

Consilium Canonicorum de Episcopo futuro.

Res felicem exitum est consequuta: nam Bohemiæ Rex *Hermannum* in Vrbem misit, vbi à Pontifice, *Varmiensis* Episcopus consecratus fuit, quem postea idem Rex, egregio comitatu instructum, in Prussiam misit, cum Magistro Curiæ & præcipuis Nobilibus deducente. Ita frementibus & frustra renitentibus Crucigeris, *Hermannus* pacificam Episcopatûs possessionem adeptus est. Ad huius Episcopi tempora, Venerabile Capitulum, censuum & Redituũ Episcopatus curam habuit, duas partes Episcopo, tertiam sibi attribuendo. Sed cum diuisionis huius occasione, dissensiones & iurgia inter Episcopum & Capitulares sæpius exorirentur, & Aduocatus Epi-

Consilium felicem excitum sortitur. Hermannus Episcopus cõsecratus.

ſcopatus qui ex Ordine Fratrum Theutonicorum aſſumebatur, aliquot etiam millia Marcarum ſibi vſurparet, Epiſcopus autem vnâ cum Capitulo, tunc temporis in reditibus annuis vix ad Sexaginta duo millia Marcarum haberet; viſum fuit ad partitionem & diuiſionem Bonorum, Commiſſarios deputare; qui Bona ita partiti ſunt vt Epiſcopo duæ partes, Tertia Capitulo obueniret. Epiſcopus ex diuiſione hac accepit *Braunſpergam, Wormditum, Gutſtadium, Heil-* Bona Epiſcopatûs diuidi curat, Quorum duæ Partes Epiſcopo. Tertia Canonicis.



ſpergam, Reſſelium, Wartenburgum, Barſteinum, & *Schipenpil.* Capitulum verò *Frauenburgum, Paſſenheimum, Melſackum,* & *Allenſteinum.* Hic Epiſcopus ædificauit *Scheburgum, Biſchteinum* & nouam ciuitatem ad *Braunſpergam.* Tandem fractus curis & ſenio Anno 1350. obdormiuit in Domino Heilſpergæ, ſepultus in Eccleſia Cathedrali Varmienſi. Ciuitates ædificat. Mors Epiſcopi.

Varmia continuos octo viduata per annos
Præſule, Romanâ miſſum ſuſcepit ab Vrbe
Hermannum; *Hic Morauâ fuerat de gente, Senator*
Bohemiæ, Auditor Rotæ, Vir gratus in Aulis.

VII.
IOANNES I.



Ioannes Misnésis eligitur.

IOANNES Primus ex *Misnia* oriundus, cum esset Decanus *Varmiensis*, Vir prudens, Magnanimus, & in summis rebus versatus, à Capitulo concordi calculo in Episcopum electus est; Nec impedire potuit Ordinis Teutonici Magister, Dominus *Luderus* è familiâ Ducum *Brunsuicensium*, quominus Episcopatûs possessionem adiret. Is obtinuit à Pontifice vt Ecclesia *Varmiensis* nemini esset subiecta, præterquam immediatè Sedi Apostolicæ, à qua primùm erecta, fundata, & dotata fuit. Quæ res non minus Ordinis Magistro supra dicto, quàm Archiepiscopo *Rigensi* planè contra voluntatem accidit.

Ecclesia Varmiensis immediatè Papæ subest.

Superiùs cum vitam *Anselmi* Episcopi describeremus dictum est,

eſt, quàm horrendam Idololatriam Prutheni Infideles, apud *Quercum* & tria Idola *Patolli* (à quo non longè eorum Cathedra quam *Rickoyott* vocabant) exercebant. Ea Quercus ad huius Epiſcopi tempora permanſit: quamuis Prutheni metu Magiſtratûs, ad eam nonniſi clam accedebant, & ſua execrabilia ſacra peragebant. Hæc vt vna cum tribus Idolis, à Magiſtro Ordinis Vinrico à *Kniprode* qui *Ludero* ſucceſſerat, per Fratrem *Heningum Schindelkopff* excinderetur, & penitus exterminaretur, auctor fuit hic Epiſcopus, qui in ſua Diœceſi tantum facinus pati non potuit. Poſtea verò in eodem loco, Vir optimus *Petrus Nagel* de *Sehr*, non abſq; ope & auxilio Epiſcopi, Monaſterium Auguſtinianorum cum eleganti Eccleſia conſtruxit; quam idem Epiſcopus in honorem Sanctiſsimæ Trinitatis dedicauit & conſecrauit.

Quercus ſemper virens. IdolumPatolli hucusq; durauit.

AuctorEpiſcopus vt excinderetur.

In loco hoc Monaſterium S. Auguſtini fundatur.

Hic Epiſcopus cum Venerabili Capitulo, diligentiùs conſiderare & perpendere cæpit, quàm periculoſum ſit, non minus ſuis quàm Capitularibus Vaſallis, quoties bellici furores emergunt, nullas in Prouincia Munitiones habere, ad quas neceſsitatis tempore confugere, & inde hoſtiles impetus retundere ipſis liceret: quas ſi Prædeceſſores habuiſſent, nunquam in extremas anguſtias, & ſe & ſubditos conieciſſent; vt exemplum optimi illius Epiſcopi *Anſelmi* edocuit; quem cum vnâ cum Canonicis, plurimisq; alijs vtriusq; ſtatus Eccleſiaſtici & ſæcularis perſonis, in tertiâ Apoſtaſiâ infideles Prutheni, *Auctomo* & *Glappo* eorum ducibus, ingentibus copijs in Ciuitate *Braunſpergenſi*, durâ obſidione cinxiſſent; oppugnationem aliquoties aggreſsi, non abſq; magnâ ſuorum clade; Ciuium virtute reiecti, repulſiq; turpiter fuerunt. Cumq; animaduertiſſent hoſtes rem minus feliciter ſuccedere, obſidionem ſoluerunt, & in vicinas denſiores ſyluas ſe abdiderunt. Porro Ciues nihil inſidiarum ſuſpicati, cum hoſtes planè abſceſsiſſe perſuaſum haberent, & magnâ victûs inopiâ, obſidionis diuturnitate contractâ, premerentur; ad Vicinos pagos pabulatum cum aliquot centenis egreſsi, in Pruthenos in inſidijs collocatos inciderũt, & ab illis omnes ad vnum miſerè trucidati ſunt. Tantam ſuorum ſtragem cum *Anſelmus* animaduertiſſet, & omnem reliquam ſeſe tuendi ſpem ſibi præciſam vidiſſet, cum clero, primarijsq; viris & fæmineo ſexu, clam noctu *Elbingam* conceſsit; & *Braunſpergam* ne hoſtium direptioni pateret, & in domicilium cederet incendit. Cæterùm parùm gratus *Elbingenſibus* hoſpes aduenit, partim ob metum terroremq; Barbarorum, ne Epiſcopum in Ciuitate quærere vellent; partim quòd cum hoſtes proximis ſuperioribus diebus, *Elbingam* itidem obſidione premerent, Epiſcopus nulla, illis petentibus, præſidia mittere voluerit. Quamobrem non admiſſus, in ſuburbijs aliquot diebus manere coactus eſt.

De Munitione aliqua meditatur.

Edoctus malo aliorum.

Obsidio Elbingæ.

Non multò post supra nominati Barbarorum Duces cum numeroso Exercitu superuenerunt, & *Elbingam* obsederunt: cùmq; obsidio diutius protraheretur, & Commeatus subinde deficeret, Crucigeri cum Ciuibus acie benè instructâ in Pruthenos excursionem fecerunt; ad quos antequam peruenissent, primæ hostium Cohortes miraculo quodam prostratæ ceciderunt, reliqui in fugam versi, à Christianis insequentibus, partim cæsi, partim capti, cum opima præda in Ciuitatem abducti fuêre. Quæsitum à Captiuis quid causæ fuerit, quòd antequam ad conflictum cum nostris deueniret, Barbari tantâ clade attriti essent? responsum est, delapsos aliquot viros de cælo, pallijs albis indutos & cruce nigrâ signatos, visos fuisse, qui igneis gladijs Hostes conficiebant & occidebant; Multi opinati sunt, quòd Episcopus *Anselmus*, cum alias esset Vir magnæ Sanctimoniæ, cum suo Clero, ardentissimis precibus, quas & priuatim, & in publicis supplicationibus, quamuis semper, sed præcipuè in hac obsidione effundebat, mirabilem hanc & insignem victoriam à Deo impetrauerit.

Excursio felici successu.

Hostes profligati miraculosè.

Visio cælestis in pugna.

Postmodum Prutheni *Heilsbergam* mouerunt, & recollectis viribus eandem obsederunt. Erat in Ciuitate non contemnenda militum manus, qui eam egregiè tuebantur: Quodam tempore cum in hostes erupissent, apparuit visibiliter Angelus Domini, qui pro Christianis dimicans, Pruthenos cæcitate percussit, vt passim omnes in fugam verterentur, multi autem in *Allam* fluuium lapsi, demergerentur. Neq; tamen hoc miraculo territi, ab obsidione discedere voluerunt; cùmq; inclusi, fame coacti, etiam equos absumpsissent; ne in Barbarorum manus deuenirent, nocturnas vigilias prætergressi, occultioribus semitis *Elbingam* vsq; fugâ elapsi sunt; Atq; ita *Heilsberga* in Barbarorum manus venit, quam incensam à fundamentis euerterunt, vt nulla deinceps in Episcopatu Munitio reliqua foret, ad quam Episcopus cum suis tempore periculi, confugere posset.

Visio altera circa Heilsbergâ.

Obsessi Elbingam elabuntur

Heilsberga à Barbaris comburitur.

Quoniam autem verisimile videbatur, Ordinis Teutonici viros, id tot constructis Arcibus & munitionibus erectis, agere, vt Episcopatum jugo suo submittere possent, qui eorum operâ, totis octo annis, Episcopo caruit; constitutum est contra ejusmodi pericula, vt aliquot arces in Episcopatu erigerentur; quam ad rem Vasalli quoq; se opem auxiliumq; collaturos vltrò obtulerunt.

Constituuntur aliquot Arces erigendæ.

Hic itaq; Episcopus Arcis *Heilsbergensis* fundamenta excitare, muros erigere, & propugnacula congestâ terrâ statuere cæpit; quæ eo viuente, altius assurgere visa fuerunt.

Fortalitium Heilsbergense excitatur.

Ad eundem quoq; modum Arx *Resselensis*, *Scheburgensis*, & Cathedralis Ecclesia *Varmiensis*, quæ tunc simplicem structuram habebat ædificari cæpêre. Ædificia hæc ne excitarentur, libenter

Arx Resselensis, Scheburgensis Ecclesia Varmiensis ædificari cæpit.

ter admodum Magister & Ordo Teutonicorum impediuisset, sed quâ ratione id faciendum esset, non videbat; maximè quòd per vniuersam Germaniam, Ordo vniuersus hoc nomine, malè audiebat, quod bonis Ecclesiasticis vehementer inhiaret.

Moritur Episcopus.

Cæterùm antequam supra nominata ædificia absoluta fuissent, Episcopus *Ioannes*, Vir sempiternâ memoriâ & laude dignus, qui Patris Patriæ nomen promeruerat, in Domino obdormiuit; & in Ecclesia *Varmiensi* sepultus, resurrectionem mortuorum expectat. Obiit autem Anno salutis 1355.

Artibus ingenuis famosus, & arcibus iste,
Resselij, Heilsbergæ, Scheburgi condidit Arces;
Et Frauenburgi Templum, sed raptus iniquo
Fatorum furto, cœpta imperfecta reliquit.

VIII.

IOANNES II.

Ioannes eligitur.

Arces cõtinuauit.

Vartemburgũ exædificauit.

Munificus in Pauperes.

IOANNES Secundus *Streiffrock* cognominatus, Lipsiensis cujusdam Ciuis filius, primò Canonicus *Varmiensis*, deinde à Capitularibus electus fuit Episcopus, Vir singulari rerum vsu, doctrinâ virtuteq; conspicuus. Hic à primâ sui electione, Arces paulò ante per Antecessorem suum ædificari cæptas, continuauit; *Vartemburgensem* ciuitatem ædificauit; Episcopatûs Bona, Colonorum frequentiâ ita auxit, & cultiora reddidit, vt in florenti cum primis statu constituta esse viderentur: vndiq; etenim ad eum homines confluebant, & libenter aliundè commigrabant, quòd erga pauperes munificus haberetur, & quòd impotentem Teutonicorum militum dominatum, oneraq; grauia quibus ferendis pares non essent, plurimi diutiùs sustinere, recusarent. Ea res ingentem Episcopo inuidiam apud Ordinem Teutonicum peperit, maximè verò quòd is, quem Magister Ordinis ad Episcopatum, summâ contentione promouebat, electus non fuerit; quam vt illi videbatur, injuriam vlcisci cupiens, multa damna per incendia statui Ecclesiastico intulit, vt ab eius insolentiâ nemo tutus videretur. Ad extremum Episcopum accusauit, quasi vltra limites antiquitûs constitutos, non contemnendam fundi & agrorum partem, Ordini suo ademerit. Ad eam controuersiam dirimendam, ad fines reuidendos Episcopus deuenit, cum Fratre *Siffrido* de *Hatzenbach* Commendatore *Balgensi*. Quamuis autem Dominus Episcopus productis centum fide dignis, & in ætate senili constitutis testibus, ve-

Magister Ordinis StatuiEcclesiastico damna infert.

Reuisio Bonorum apertissima pro Episcopo.

ros limites, quibus Bona Episcopatus, à Bonis Cruciferorum, antecessoris sui Episcopi *Eberhardi* tempore, distinguebantur, apertissimè & euidentissimis documentis demonstraret, nihil tamen eum hoc juuit; sed Episcopo *Bartsteinum* cum sexcentis Mansis *Rastenburgum* & *Schippenpilum* cum viginti octo pagis, magnis lacubus, & circiter octingentis mansis, & *Passenheimum* cum attinentiis, per summam injuriam ademptum, ac Ordini adjudicatum fuit,

Multa Bona Episcopo eripiuntur.



Qui statim in Possessionem prædictorum, cum maximo & inæstimabili Ecclesiæ damno, inuolauit.

Conqueritur Episcopus de illata sibi injuria Coram Papa & Imperatore. Monetur Magister Ordinis.

De hac tam insigni injuriâ, & vi illatâ, Episcopus cum Capitulo, grauissimè coram Pontifice, ac Romanorum Imperatore, missis ad vtrumq; literis, conquestus est; Obtinuitq;, vt vterq; per Epistolam, *Vinricum* Ordinis Magistrum grauissimè admoneret, ne is Ecclesiæ *Varmiensis* jura violaret, Bonaq; ejus imminueret; alioquin se factu-

se facturos, quod causæ æquitas Officijq; sui ratio postularet. Ea res offendit vehementer Magistrum, & vniuersum Teutonicorum Ordinem; adeoq; animos eorum exacerbauit, vt pleriq; Fratrum, ad eos qui in regionibus exteris versabantur scribentes, se Ecclesiastico Ordini esse Inimicos, profiterentur; eosq; monerent vt idem quoq; & ipsi facerent. Postea constituta fuit dies Sancti Ioannis Baptistæ, ad quam in Villâ *Neükirche* Episcopus cum Capitulo, & Magister Ordinis pro colloquio conuenirent, quod etiam factum est; cumq; congressi essent, primùm cæpit Magister petulantibus verbis, in Episcopum tanquam in Proditorem acriter insurgere, quòd apud Exteros Principes famam ejus scripto lacerauerit, tanquam Dominus eius esset, multaq; in eam sententiam concitatius dixit. Cui respondit Episcopus, me (inquit) summa necessitas, & Episcopalis officij ratio coegit, vt de vi summâq; injuriâ Ecclesiæ meæ illatâ, conqueri necesse habuerim, quod ita esse, re & veritate comprobare paratus sum. Ad hæc verba excandescens Magister Ordinis *Vinricus*, protensâq; manu; vide (inquit) sacrificule, malum malo repellitur; vos sacricolæ vitam insolentem ducitis in bonis, quæ proprio sanguine parta, Meus Ordo, vt DEO seruiretis, vobis contulit; sed breui scietis, vos eos Mansos qui per limites adempti sunt, nunquam ampliùs recuperaturos, etiamsi omnes sacricolæ, insanire & in furias verti deberent. Tum Episcopus, cum tempus loquendi paulisper expectasset, summâ cum modestiâ, in hæc verba prorupit; Quòd nos mali simus; quis etiam inter Nos aut Vos melior sit, & vter Ordo rectiùs vitam instituat? DEVS scit. Illud certè parùm Christianè & iniquè fit, quòd Nostra Nobis inauditis adimuntur, nullaq; causa producitur, cur adimi debeant. Quod ad Prussiam attinet, cuius esse debeat, certè in Priuilegijs, & antiquis scripturarum documentis reperio, Ordinem vestrum suo sanguine, ne tantillum nobis contulisse, quod vnius Oboli pretio æstimari possit. Hîc interrūpens Magister; si vos inquit sacrificuli, unum Obolum haberetis, vnius Oboli pretio Vos æstimari conueniet. Tum Episcopus; Minimus (inquit) ex meis Presbyteris est pretiosior, quàm vniuersa Prussia, quæ nostri causâ, vobis est attributa. Hîc conuersus Magister ad suos inquit, Talia verba nequam istos canes, in *Rigenses* nostros incitârunt, illosq; in angustias redegerunt; sed ne idem in *Prussiâ* fiat, maturè prouidebo. Tum exerto gladio, Episcopum adoriri cæpit; sed *Elbingensis* Commendator, statim retraxit Episcopum, & alij Proceres sese medios interponentes, illos ab inuicem segregârunt.

Constituitur dies Colloquij ad Neükirche.

Inuehitur petulantibus verbis Magister in Episcopum.

Responsio Episcopi.

Excandescit Magister irâ potenti.

Modestè replicat Episcopus.

Cuius esse debeat Prussia deducit.

Quantæ æstimationis sit Clerus apud Magistrum.

Excandescens Magister exerto gladio Episcopum adoritur.

Episcopus *Varmiam* reuersus Capitulum celebrauit, & assumpto Domino *Ioanne* Cantore & Canonico, nocte insequenti clam profectus est nauigio *Gedanum*; inde verò, acceptis Ecclesiæ Priuilegijs,

Episcopus cū Canonico ad Papam proficiscitur.

De abreptis bonis litigat.

legijs, ad Pontificem Maximum *Auenionem* peruenerunt: vbi occasione ademptorum Bonorum, Iure per totum triennium disceptârunt, & in fauorem tres conformes Sententias obtinuerunt; à quibus Magister Ordinis Romam appellauit, quòd tunc temporis Schisma in Ecclesiâ vigeret. Interea *Ioannes* Optimus & Vigilans Episcopus *Auenione* mortuus est Anno 1372. 1. Septembr. Sepultus ibidem in Monasterio Fratrum Prædicatorum. Dominus verò *Ioannes* Cantor supra nominatus causam prosequutus est, quæ effectum non habuit. Negotium tamen apud *Carolum Quartum* Romanorum Imperatorem, eò deduxit, vt Ecclesia *Varmiensis* Sacro Romano Imperio incorporaretur; cuius præsidio, à vi & Tyrannide Ordinis Teutonici, tuta esse posset.

Moritur Auenione.

Ecclesia Varmiensis imperio incorporatur.

Contra Teutonicos Fratres benè Iura tuetur,
Confinesq́ suos; hic multis litibus actus
Aueniona petit, sacrata ad limina Petri
Confugiens; ibi mox curis consumptus obiuit.

IX.

HENRICVS III.

HENRICVS Tertius *Sorbohm* cognominatus, Ciuis cuiusdam *Elbingensis*, armis & nobilitate donati filius, *Caroli Quarti* Cæsaris Secretarius fuit, & eiusdem quoq; *Auenione* Procurator, in negotio Domini *Ioannis de Essen* Cantoris & Canonici *Varmiensis*. Hic à Gregorio XI. prouisus & ab eodem in Episcopum *Varmiensem* consecratus est. Idem Pontifex eum *Carolo Quarto* commendauit, vt eius fauore & patrocinio, pacificam Episcopatûs sui Possessionem, si eam *Cruciferi* prohiberent, assequi posset. Quamuis autem *Cruciferi* jure jurando se obstrinxerunt, quòd neminem ad Episcopatûm *Varmiensem* admittere vellent, nisi qui ex illorum Ordine esset: quoniam tamen Imperator hunc *Sorbohm* in protectionem suscipiens, eum per præcipuos ex Nobilitate Bohemicâ Viros, hûc deduci jussit; simulq; à Cruciferis postulauit, ne eius Ius & æquitatem, in legitimè adepto Episcopatu, vllâ ratione impedirent, coacti sunt Imperatoris voluntati morem gerere; & nouum Episcopum admittere; absentiâ etenim *Ioannis Streiffrockij*, vacauit Episcopatûs Annis quinq; & medio, quo tempore Magister Ordinis, census & reditus Episcopatûs sibi vsurpabat. *Conradus Czolner* Supremus dicti Ordinis Magister, contulerat Canonicatum *Varmiensem* cuidam Parocho in Prussicâ Ilauâ, cui Capitulum

Henricus per Gregoriũ XI. prouidetur & consecratur.

Carolo IV. recommendatur

Imperator suscipit in Protectionem Episcopum. Ne à Crucigeris in possessione impediatur scribit.

Magister Canonicatum confert Parocho.

pitulum Posseſsionem dare noluit, quod Canonicatum huiuſmodi conferendi, nullum Ius Magiſtro aſſerere competeret. Præsbyter hic, fuit quondam in Cancellaria *Heilſpergenſi* Scriba, & in libris ac Regeſtris Epiſcopatûs, magnum vſum & experientiam habebat, immò vnum ex illis ſecretò ſubduxerat. Huius Præsbyteri operâ & conſilio, factum eſt, vt Magiſter Ordinis cum Epiſcopo, ratione *Wartenburgenſis*, *Allenſteinenſis* & *Melſacenſis* Cameratus, fines duceret, illiq; quadringentos quinquaginta Manſos ademit, de meliori & pinguiori fundo, qui iſthic habebatur.

Hic Parochus quis fuerit antea.

Huius Presbyteri dolo auulſa ſunt multa Bona ab Epiſcopatu.

Vrgebat præterea Magiſter Epiſcopum, vt fructus ex dictis bonis, & alijs quæ ex limitum directione illi obuenerant, planè refunderet & de plano reſtitueret. Et licet Epiſcopus non minus literis, & priuilegijs ſigillatis, quam viuis teſtibus fide dignisſimis comprobaret, bona hæc per limites adempta, ad Eccleſiam ſuam omni jure pertinere, nihil tamen hoc illi apud Ordinis Magiſtrum profuit: cum hoc tempore, ex diuturnâ pace, ad ſummam potentiam Ordo prouectus, omnia ſibi licere, neminemq; illi reſiſtere poſſe arbitraretur. Quamobrem *Henricus* Epiſcopus. iniurias & grauamina, quibus opprimebatur Imperatori permiſit, qui Negotium ſuſcipiens Epiſcopum *Vratislauienſem* in *Pruſſiam* ablegauit, vt quod cum æquitate coniunctum illi videretur, decerneret. Ibi tum ab vtraq; parte confinium judicandorum, Arbitri delecti, conſtitutiq; fuêre; in quorum numero erat quoq; ille ipſe Parochus ex Pruſsica Illaua *Ioannes Poſilger*, cui fines & limites Epiſcopatûs benè noti fuerant, ita vt facilè alios in ſuam ſententiam pertrahere poſſet.

Non obſtantibus verisſimis deductionibus

Solâ potentiâ præualente.

Recurrit Epiſcopus ad Imperatorem.

Committit negotium Imperator Epiſcopo Vratislauienſi.

Arbitri aſſignantur.

Inter quos per Cruciger Præsbyter ille eligitur.

Coram huiuſmodi Arbitris Epiſcopus *Sorbohm*, cum ſempiternâ ſui nominis ignominiâ, & inæſtimabili Eccleſiæ damno, ad redimendam vexam, facilè ceſsit & renuntiauit tribus conformibus Sententijs à Sede Apoſtolicâ obtentis, & literis exequutorialibus; quæ omnia glorioſæ memoriæ Anteceſſor ipſius *Ioannes Streiffrock* Epiſcopus, immenſis laboribus, vitæ periculis, & multorum millium impenſis. ad veram Iuſtitiæ & æquitatis normam deduxerat. Eâ ratione ſupranominatus *Ioannes Poſilger* Parochus, repulſam Canonicatus *Varmienſis* vltus eſt. Poſtea Epiſcopatus ijs limitibus circumſcriptus & definitus eſt, qui expreſsi ſunt in Bullâ Gregorianâ, quam hic adſcribendam putauimus.

Victus dolo Præsbyteri Epiſcopus bona amiſit.

Epiſcopatꝰ limitibus circumſcribitur.

Bulla Gregorij Papæ XI.

Nouissimè inter Reuerendum in Christo Patrem Dominum HENRICVM dictum SORBOHM Episcopum, & ejus Ecclesiam Varmiensem, ac Ordinem Teutonicorum, Limitum distinctionis ratificatoria.



Regorius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Susceptæ seruitutis officij (quo ad Bonum concordiæ, inter fideles quoslibet propagandum, & Ecclesiarum ac Ecclesiasticorum locorum, ac Prælatorum & Personarum ipsorum bonum statum, & commoda procuranda sumus, Vniuersaliter obligati) quotidiana Nos cura solicitat; vt his totis studijs intendamus, & seramus pacis germina inter omnes, & quæ Ecclesiarum, & locorum Ecclesiasticorum, ac Prælatorum ac Personarum ipsarum, tranquillitatem & vtilitatem respiciunt, Paternis affectibus exequamur. Sanè dudum per Nos accepto, quòd inter bonæ memoriæ Ioannem Episcopum Varmiensem, *& dilectos filios, Præpositum Decanum & Capitulum Ecclesiæ Varmiensis ex parte vnâ, & Magistrum ac Fratres Hospitalis Beatæ Mariæ Teutonicorum Ierosolimitanorum, super quibusdam terris, possessionibus, & Iuribus ad dictam Ecclesiam vt dicebatur pertinentibus, & nonnullis alijs Articulis, ex alterâ, orta fuerat materia Quæstionis: Nos ex certis causis, Venerabili Fratri nostro Archiepiscopo Pragensi, Nostris dedimus literis in mandato, vt partes ipsas ad excipiendum, transigendum, & componendum, super omnibus litibus & controuersijs inter eos vertentibus, coram se euocaret; & super præmissis omnibus quantùm posset ad amicabilem concordiam, & compositionem induceret, prout in Nostris inde confectis literis plenius continetur. Et deinde sicut accepimus, Partes ipsæ quas dictus Archiepiscopus ad suam euocauerat præsentiam, in certos Arbitros, Arbitratores & Amicabiles Compositores, post nonnullos actus, inter partes ipsas habitos, compromittere curârunt; qui æquum Arbitrium tulerunt inter partes, prout in literis authenticis inde manu publicâ confectis, dictorumq; Arbitrorum Arbitratorum seu Amicabilium compositorum, sigillis munitis, quarum tenorem de Verbo ad Verbum, præsentibus inseri fecimus, plenius continetur, ac subsequitur. Cumq; pro parte Venerabilis Fratris Nostri* Henrici Episcopi Varmiensis, *de cuius Personâ prædicto* Ioanne *Episcopo Vitâ functo, dictæ Ecclesiæ prouideramus, ac Præpositi, Decani & Capitularium; ac Magistri & Fratrum prædictorum, nobis fuisset humiliter supplicatum, vt*

præmissis

præmissis robur confirmationis adijcere, de benignitate Apostolicâ dignaremur: Nos Venerabili Fratri Nostro Petro Episcopo Portuensi, & dilecto filio Nostro Iacobo Sancti Georgij ad Velum aureum Diacono Cardinali, oraculo viuæ vocis commisimus, vt se de præmissis summariè informare, & quæ super his reperirent, Nobis referre curarent. Qui quidem Petrus Episcopus & Iacobus Cardinalis, super his summariâ informatione receptâ, Nobis retulerunt, quod per hoc prouidebatur vtilitati partium prædictarum. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, huiusmodi Arbitrium, & alias per ipsos Arbitros, Arbitratores, & Amicabiles Cõpositores, in præmissis vt præmittitur, Acta rata habentes, atq; grata, illa Authoritate Apostolicâ ex certâ scientiâ, tenore præsentium confirmamus, supplentes omnem defectum, si quis forsan interuenerit in præmissis. Tenor autem dictarum Literarum talis est.

In Nomine Domini Amen. Etsi cuiuslibet conditionis homines, Creatori suo ad salutiferas gratiarum actiones humiliter adstringantur; illi tamen præcipuâ quadam deuotione, ad laudandum Nomen ipsius, & glorificandum obligantur fortius, qui in hac vitâ labili & miserabili contiguâ in ciuitate, & continuâ cohabitatione & conuersatione iuncti, pacis & tranquillitatis præeminente munere, ipsius clementiâ felicius perfruuntur. Sanè cum iam dudum alias inter Venerabilem Patrem in Christo & Dominum, Dominum Ioannem bonæ memoriæ Episcopum, & Honorificos Viros Dominos, Præpositum, Decanum, totumq; Capitulum Ecclesiæ Varmiensis ex vnâ, & Magnificum ac Religiosum Dominum Winricum Ordinis Beatæ MARIÆ Teutonicorum Magistrum Generalem, ac Præceptores & Fratres dicti Ordinis, ex alterâ parte, super quibusdam Possessionibus, limitibus & terris, se contingentibus, suborta fuisset materia quæstionis; quæ tamen per Sanctissimum in Christo Patrem & Dominum, Dominum Gregorium XI. summum Pontificem, Reuerendissimo in Christo Patri & Domino, Domino Pragensi Archiepiscopo, auctoritate Apostolicâ commissa fuisset, qui virtute commissionis sibi factæ, partes coram ipso legitimè euocauit; Tandem comparentibus Partium Procuratoribus, placuit illis de quæstionibus controuersis, & litibus præfatis, se amicabiliter expedire; & sic in Nos Ioannem Decanum Grogouiensem, Iacobum Engilgen Officialem Vratislauiensem, Borchardum de Monte Canonicum Paderbornensem, Ioannem de Posilia Plebanum in Ilauâ, Ioannem de Leysa, Ioannem de Heyda & Menczbinum prope Soldaw, Milites & Ioannem Wotmurstein Proconsulem in Elbingo, tanquam Arbitros, Arbitratores, & Amicabiles Compositores, super eisdem litibus & controuersijs, sub certis, modo, formâ, ac pœnâ compromiserunt; prout in literis & instrumentis publicis, desuper confectis plenius continetur. Tandem licet se- Arbitri.

Testes recepti

Visio facta.

cet secundum formam compromissi prædicti, receptis testibus, Iuramentis & alijs probationibus, quibus tunc partes uti volebant, Terras ipsas de quibus erat contentio, oculis subiecerimus: & plures limites & terrarum distinctiones posuerimus, tamen considerantes, si ulterius limites ponendo, progredi secundum formam & modum compromissi nos contingeret; quod multæ nouitates & mutationes subditis partium multùm periculosæ præuenirent, & firma amicitia ac constans unio inter partes ipsas, & eorum subditos, subsistere non valeret. Demum relaxatis à partibus Nobis iuramentis præstitis in Compromisso, ad bonam Nostram conscientiam, & tollendas difficultates, & incomoda supradicta, Iterum placuit Partibus ipsis, sub pœnis in compromisso contentis, in Nos compromittere; prout de præmissis, omnibus & singulis sunt certi tenoris literæ confectæ, ac etiam publica Instrumenta. Nos igitur sinceris affectibus desiderantes perpetuam pacem, & inuiolabilem tranquillitatem inter partes prædictas, in quantum in Nobis est, auctore Domino ordinare; Auctoritate Arbitrariâ, quâ fungimur in hâc parte, multis præhabitis tractatibus. & pluries repetitis, & singulis circumstantijs ritè pensatis, quid commodi, quid utilitatis ex concordiâ? & quid periculi & damni ex dissensione, si causa prædicta sopita non fuerit, posset proculdubiò prouenire? Partibusq; in Nostrâ præsentiâ personaliter constitutis, ac Nostrum Arbitrium seu Nostram Sententiam ferri petentibus, Christi nomine inuocato, pro tribunali sedentes, & solum

Sententia profertur.

DEUM præ oculis habentes, voluntate unanimi & concordi, pronuntiamus, decernimus, arbitramur, dicimus, & in his scriptis sententialiter definimus; Dominum Episcopum, Capitulum, & ipsam Ecclesiam Varmiensem, permanere debere, iuxta antiquam & pristinam ipsorum Possessionem, videlicet secundum limitationem & distinctionem infrascriptam,

Quidquid situ est inter Rünã & Zonam ad Ordinem pertinere debet.

Incipiendo iuxta literam Anselmi, *à recenti mari ubi fluuius* Rüma *influit, idem recens Mare transeundum est ad fossatum, quod à viâ antiquâ incipit, quæ ducit in Villam* Rosiensem, *ita quòd prata & quidquid situm est inter* Rünam *&* Zonam *& recens Mare, & prædictam viam ad Ordinem debet pertinere; Et ab inde sequendo fossatum prædictum per viam quæ est inter* Brunsperg *& Curiam* Enfidel, *vulgari nomine* Steinweg *nuncupatam, de cuius viæ aggere transeundum est secundum possessionem & limitationem antiquam, usq; ad fluuium qui diuidit villam* Rogitem *& villam* Hamersdorff, *eundem fluuium ascendendo, usq; ad graniciem illorum de* Grunaw, *taliter tamen, quod antiquæ Possessiones, & limitationes obseruentur, & quod villa* Rogiten *Ecclesiæ, &* Hamersdorff *Ordini pertinebunt. Deinde ad fluuium* Bebir *transeundum est, secundum antiquam possessionem, ita quod campus* Bebernik *Ecclesiæ, & Villa* Sonnerstul *Ordini permanebunt. Eundem fluuium* Bebir *ascendendo usq; ad cam-*

Adscribuntur autem.

Rogiten Ecclesiæ.

Hamersdorff Ordini.

Bebernik Ecclesiæ. Sonnerstul Ordini.

ad campum villæ Blumenberg, & ab inde à fluuio dicto Bebir ad fluuium dictum Bamaw, ita quòd Villa Blumenberg Ecclesiæ, & Villa Breitelinde Ordini remanebunt, secundum limitationem antiquam; Et ab inde eundem fluuium Bamaw ascendendo, vsq; ad graniciem Claufitem & Buschenbach diuidentem, ita tamen quod Buschenbach in parte Ordinis, & Claufiten in parte Ecclesiæ remanebunt secundum limitationem antiquam. Deinde transeundo ad graniciem illorum de Peterswalde, quæ est inter Claufiten & Buschenbach situata, ab inde vlterius procedendo ad limitem villæ Ierdow, more antiquæ Possessionis, Ita quod Villa Peterswalde Ecclesiæ remanebit. Demum procedendum est secundum antiquam limitationem & graniciem illorum de Waldaw, ita quod Ierdow Ordini, & Wlaben Ecclesiæ remanebunt, & ab inde iterum procedendum est ad fluuium Warne, ita quod Waldau & Wilkenite cum molendino & agris Molendinatoris in parte Ordinis, & Villa Rosenwald in parte Ecclesiæ permanebunt. Vltra quem fluuium Warne procedendum est ad Quercum signatam iuxta viam, & & ab inde ad aliam Quercum quæ est limes acialis, quod dicitur vulgariter Ort grentze, Ciuium Ciuitatis Melsack directè siue diametraliter, ita quod Villa Penczim Ecclesiæ permanebit. Ab inde verò vlterius procedendum est, secundum antiquas limitationes & possessiones vsq; ad limitem in campo Pluten, ita quod Nemus ciuitatis Melsack Hegewald vulgariter nuncupatum Ecclesiæ, sed Villa Schoneborn Ordini remanebunt. Vlterius verò procedendum est ad limitem villæ Guttenfeldt, & ab inde ad Quercum inter Bona illorum de Gutenfeldt, Plutem & Sichfeldt signatam, ita quod Gutenfeldt Ordini, & Plutem Ecclesiæ remanebunt. A quâ quidem Quercu ad palum prope riuulum Walsche positum procedendum est, ita quod Villa Wolckaim Ordini, & Sehfeld Ecclesiæ in suis antiquis limitationibus remanebunt. Deinde procedendum est super quendam montem ad truncum ibidem signatum, ita quòd Woppe & Pawlen Ecclesiæ, & Honite & Waldeke Ordini remanebunt. Vlterius procedendum est ad Quercum quandam signatam versus lacum Parkune dictum, procedendum demum directè vltra alium lacum Kowtic nuncupatum, ad illum locum vbi fluuius fluit in lacu supradicto, eundem fluuium descendendo, ad illum locum vbi Villa Koythyr habet limitem ab illis de Staboniten; ita quod Koythyr Ordini & Staboniten Ecclesiæ remanebunt. Et ab eodem fluuio procedendum est vsq; ad limitem Gladiamsdorff; ita quod Gladiãsdorff in parte Ordinis & Staboniten vt præfertur Ecclesiæ remanebunt secundum limitationes antiquas. Deinde procedendum est ad graniciem acialem villæ Gladiamsdorff, quæ diuidit villam Workeim & Gladiamsdorff, & ab inde procedendum est ad limitem acialem Hanneshagen, ita quod Villa eadem Hanneshagen

Blumenberg Ecclesiæ.
BreitelindeOrdini.
Buschenbach Ordini.
Claufiten Ecclesiæ.
Peterswalde Ecclesiæ.
Ierdow Ordinis.
Wlaben Ecclesiæ.
Waldau Wilkenite Ordinis
RosenwaldEcclesiæ.
Penczyn Ecclesiæ.
Nemus Ciuitatis Melsack.
Hegewald Ecclesiæ.
Schoneborn Ordini.
Gutenfeld Ordini.
Plauten Ecclesiæ.
Wosckaim Ordini.
Sehfeld Ecclesiæ.
Pawlen & Woppe Eccl.
Honite & Wadeke Ord.
Koythyr Ord.
Stabonitē Ecclesiæ.
Gladiãsdorff Ord.
Hanneshagen Ord.

hagen *Ordini*, & Workaim *Ecclesiæ remanebunt. Demum procedendum est ad arborem signatam, quæ arbor vulgariter* Hanbucht *dicitur, quæ distinguit* Willekaim & Workaim *secundum antiquam Possessionem Ecclesiæ remanebunt. Transeundo vlterius ad riuulum* Grossendorff & Rittersdorff, & Nerwikien *diuidentem, ita quod ambæ villæ* Grossendorff *Ecclesiæ*, & Rittersdorff & Nerwiken & Rikawensdorff *Ordini remanebunt. Ecclesia verò prata sua vltra riuulum prædictum vsq; ad riuulum* Ilme *debet, sicut hactenus habuit, ea possidere. Deinde eundem riuulum ascendendo ad limitem stantem, apud eundem* Ilme *inter molendinum* Szigelken & Ilme, *deinde procedendum est, à limite molendinatorum, qui est iuxta fluuium* Ilme *supradictum vsq; ad limitem* Borchardi de Spirow, *ita quod Molendinum* Szigelken môle *nuncupatum cum agris suis Ecclesiæ*, & *liberi seu Vasalli ibi prope morantes, ac* Borchardisdorff *Ordini, Curia verò* Regosen *Ecclesiæ permanebunt. Et ab inde procedendum est ad graniciem villæ dictæ* Catzenum, & *vlterius procedendo vsq; ad campum illorum de* Sotlauken, & *ab inde ad fluuium* Aluan, *ita quod* Sotlauken *Ordini*, & Catzen *Ecclesiæ, secundum possessiones antiquas permanebunt. Demum* Aluan *ascendendo, ad illum locum vbi Bona villæ* Lauterhagen *terminantur*, & Santglobe *Vasallus Ordinis, eadem bona* Lauterhagen *contingit*, & *inde procedendo ad limitem* Craffeshaim, Hermanshaim, & Lauterhagen *ita quod* Lauterhagen *Ecclesiæ* & Hermanshaim *Ordini permanebunt. Et deinde procedendo ad limitem acialem,* Galinden & Trutenau *diuidentem, ita quòd* Gallekolen, Palapen, & *nemus dictum* Hegewaldt & *Villa* Trutenau *Ecclesiæ*, & Crafftshaim, Galinden & Thungen *Ordini iuxta antiquas limitationes*, & *possessiones remanebunt. Deinde procedendum est vsq; ad graniciem* Pelin, *ita quod filij* Clausborken & Königsdorff *Ordini*, & Wufelauken & Plausen *Ecclesiæ remanebunt. A granicie vero* Pelin *procedendum est ad limitem acialem, diuidentem* Sandendorff & Palussenum; *ita quod* Palussenum *Ecclesiæ*, & Pelinsławke, Lauken, & Luczelauken *cum suis Possessionibus Ordini remanebunt. Demùm procedendum est ad limitem* Sandersdorff & Stormhabel *diuidentem, ita quod* Sandersdorff *Ordini*, & Stormhabel *Ecclesiæ remanebunt. Deinde procedendum est ad Bona* Ioannis *Militis dicti* Stroupen, *secundum possessionem antiquam, ita quod* Passyn & Wederkayn *Ordini*, & *Villa* Plassen *Ecclesiæ remanebunt. Et ab illo loco ad graniciem villæ* Tolniken *procedendo secundum possessiones antiquas, ita quod* Ioannes Stroupen *cum bonis suis Ordini*, & *Villa* Plassen *vt præfertur Ecclesiæ remanebunt. Vlterius verò procedendo ad graniciem illorum de* Sparwein *ita quod* Sogatiten *Ordini*, & Tolnckendorff *Ecclesiæ remanebunt.*

Workaym Ecclesiæ.

Grossendorff Eccl. Rittersdorff Nerwikien, Rikawesdorff Ord.

Szigelkē môle Ecclesiæ. Borchardisdorff Ord. Curia Regosē Eccl.

Sotlaukē Ord. Catzen Eccl.

Lauterhagen Eccl. Hermanshaim Ord.

Gallekolen, Pelapen, Nemus, Hegewald, Trutenau Ecclesiæ. Craffshaim, Galindē Thungen Ord. Clausborkē & Königsdorff Ord. wufelacken & Plausen Eccl. Pakessenum Eccl. Pelinsławke, Lauken, Luczelaukē Ord. Sandersdorff Ord. Stormhabel Eccl. Passyn, Wederkayn Ord. Plassen Eccl: Stroupen Ord.

Sogatiten Ord. Tolnckēdorff Eccl:

Deinde procedendum est ad limitem diuidentem Tolnckendorff, Warpelanken, & Sparwein, *ita quod* Tolnckendorff *Ecclesiæ vt præmittitur,* & Sparwein *Ordini permanebunt. Demùm procedendo secundum antiquos limites, ad graniciem signatam, ita quòd* Babatyn *Ordini,* & Warpelauken *Ecclesiæ permanebunt. Item incipiendò à recenti mari versus* Elbingam *vbi fluuius* Narussa *influit, Idem recens Mare & ab inde transeundum est ad fluuium dictum* Bauda, & *à* Bauda *vsq; ad fluuium* Passeriam *alias* Seria *nuncupatum, secundum possessiones antiquas & limites. Deinde* Seria *ascendendo vsq; ad ipsius ortum originalem, à quo ortu præfatæ* Seriæ *directè proceditur, ad limitem in campo* Korkasadall *per Dominum* Theodoricum de Aldenburg *Generalem Magistrum Ordinis positum; à quo quidem limite, transeundum est secundum diametrum, seu lineam directam, ad syluam* Gracotinum *ita quod finis miliaris, à Castro* Rossel *per Nos mensurati seu positi, prope lacum* Veder, *tangatur diametro supradicto, & in quacunq; parte lacus per diametrum tanguntur, tunc qualibet pars iuxta lineam directam habeat partem suam, sic similiter fiat in lacubus vbi* Passeria *influit in eosdem. Sic tamen quod Ecclesia* Varmiensis *prædicta, suas Villas, videlicet* Cathemedien, Ramotenn & Clausdorff *integras, & eius dominationem, cum suis agris & possessionibus, debeat obtinere, directo transitu, à fine dicti miliaris prope* Weder, *ad dictum Nemus* Crakotyn, *non obstante. Item pronuntiamus ac etiam declaramus, quod Recens Mare inter* Runam & Narussam *vsq; ad* Nergam, *in æquali latitudine vtriq; partium prædictarum sit commune; sic &* Seria *seu* Passeria *ac alij fluuij bona Ecclesiæ & Ordinis diuidentes, similiter vtriq; partium sint communes, sicut de recenti mari superius est expressum, cuilibet tamen parti suo littore reseruato. Quicquid infra terminos Nostræ pronunciationis præscriptæ includitur, ad Episcopum Capitulum & Ecclesiam* Varmiensem *pro suâ parte, siue terrâ suæ Diœcesis; quicquid verò extra hos terminos, ad Magistrum Præceptores & Ordinem debet perpetuis futuris temporibus pertinere: Arbitrantes & pronunciantes nihilominus, quòd quælibet pars in suis terminis præscriptis contenta, aliam partem in suis terminis non impediat, sub pœnis in Compromisso expressatis; reseruatis etiam Iuribus spiritualibus Domino Episcopo* Varmiensi *prædicto, ac suis Successoribus, qui pro tempore fuerint, prout in literis Papalibus continetur. Quam quidem Pronunciationem, Laudum, Arbitrium, & Definitionem per Nos* Ioannem *Decanum* Glogouiensem *prædictum, de voluntate, Iussu, consensu, aliorum meorum Collegarum & Arbitratorum Latis, sententiatis, pronunciatis, & in scriptis declaratis, Reuerendus in Christo Pater & Dominus* Henricus Episcopus, & *Honorabiles Viri Dominus* Henricus *Præpositus,* Michaël *De-*

Sparwein Ord.

Babecin Ord. Warpelauken Eccl. de Habo.

Korkasadall & limites ibidem.

Cracotin.

Habus,

Recipiunt laudum Partes vtresq;

el *Decanus*, & Otto *de* Rusis *Canonicus*, *Procuratores Capituli Ecclesiæ* Varmiensis, *pro se & eadem Ecclesiâ suâ; Nec non Magnificus & Religiosus Princeps Dominus Frater* Winricus *de* Kniprode *Magister Generalis*, & *Honorabiles ac Religiosi Viri Fratres* Wolfferamus *de* Balderschaim *magnus Commendator*, Rodigerus *de* Eluer *summus Marschalcus*, Vlricus Vlrikke *summus Hospitalarius* & *in* Elbingo, Conradus Zolner *summus Trapiarius*, & *in* Crisesborg, Theodericus *de* Budenberg *in* Thorn, Gotfridus *de* Lunde *in* Galga, Guntherus *de* Hohenstein *in* Brandeburg, Gerhardus *in* Ragnitz & Burchardus *de* Mansfeldt *in* Osterrode *Commendatores & Præceptores, Ordinis supradicti, pro se & Ordine suo supradicto laudârunt, euulgarunt, & ex certa eorum scientia, per solennes stipulationes approbârunt.* Acta 1374. *Acta sunt hæc sub Anno Natiuitatis Domini Millesimo Trecentesimo Septuagesimo quarto, Indictione duodecimâ, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri Domini* Gregorij *Diuinâ prouidentiâ* Papæ XI. *Anno Quarto, Die* XXVIII. *Mensis Iulij, horâ tertiarum, in Castro* Elbingensi *Varmiensis Diœcesis: Præsentibus Honorabilibus & discretis Viris* Nicolao *de* Grotkau, *Præposito in* Gutstadt, Petro *Damone Canonico* Vladislauiensi, Alberto *de* Creutzberg, Ioanne *de* Rosenberg *Altaristâ Vratislauiensis Ecclesiæ*, Baldouino *in* Widnolo *Vratislau. Diœces.* & *alijs pluribus fide dignis testibus ad præmissa &c.*

Item pronuntiamus, arbitramur, & declaramus, sub pænis compromissi, quòd prata propè Bebir *quæ petit* Strube *in parte Ecclesiæ debeant permanere. Item quod Nemus de quo est dissensio, inter Ecclesiam* & Nerwiken *ad Ecclesiam debeat pertinere. Item quod* Tolinne *seruitor Commendatoris in* Thorn, *in nemore propè* Catzen *decem Mansos à fine versus* Radenau *mensuratis obtinebit. Ita quod homines qui extirpatione arborum nouos agros fecerunt, in eodem nemore per tempus tale quod vulgo dicitur* Haynrecht, *ad suos habebunt vsufructus, reliqua verò portio eiusdem Nemoris in parte Ecclesiæ permanebit. Item à limite qui diuidit* Galinden, Trutenau, & *filios* Clausborken, *transeundum est vsque ad graniciem in* Pelicali *transitu, sicut Dominus Commendator de* Elbingo & Ioannes *Miles de* Leysa *ante aliquot tempora ordinauerunt. Item quod Villa* Vorplanken *suum limitem, quem dictæ villæ Incolæ demonstrârunt, Commendatori in* Elbingo, *iugiter obtinebunt. Lata est hæc Nostra declaratio per nos* Ioannem *de* Ilauia, *de consensu, iussu, & mandato aliorum Collegarum & Coarbitrorum Nostrorum, Anno Indictione, Pontificatu, & loco, præmissis die* XXIX. *Mensis Iulij prædicti, Horâ quasi Vesperarum, præsentibus discretis Viris Dominis*, Alberto *de* Creutzburg *Altaristâ Vratislauiensi*, Nicolao Longi *de* Fridecke *Culmensis Diœcesis*, Nicolao

Prata penes Braunsberg.

Vorplanken.

colao Iawer, *Sambiens.* Conrado *de* Czansʃ *Vladislauien. Diœcesum Presbyteris testibus ad præmissa. Præsentes quoque literas, hoc præsens publicum Instrumentum continentes, per Notarios Publicos infrascribi & publicari mandauimus, Sigillorumque nostrorum appensione fecimus muniri, In euidens testimonium omnium præmissorum; & constat Notario de interlinealibus descriptionibus, videlicet secundùm antiquos limites inter* XLIII. & XLV. *lineas, à capite instrumenti computando positis, non vitij causâ sed erroris. Et ego* Conradus Sefridi *de* Toppelwoden *Clericus Vratislauiensis Diœcesis, publicus Imperiali Authoritate Notarius, præmissis, Dicto, Laudo, Arbitrio, Sententiæ, Definitioni, Pronuntiationi, Approbationi cæterisque alijs omnibus suprascriptis, vnâ cum* Nicolao Leonis *de* Bischoffwerde *Notario publico infrascripto, & testibus suprascriptis, dum sic agerentur & fierent, præsens interfui, eaque sic fieri vidi, & audiui, & ad mandatum dictorum Dominorum Arbitrorum & partium prædictarum, præsens Publicum Instrumentum propriâ manu conscripsi, & in hanc publicam formam redegi, signo & nomine meis consuetis consignaui, in fidem & omnium præmissorum testimonium. Et ego* Nicolaus *quondam* Petri Leonis *de* Bischoffwerde, *Clericus Posnaniensis Diœcesis, Publicus Imperiali Authoritate Notarius, præmissis, Dicto, Laudo, Sententiæ, Definitioni, Arbitrio, Pronuntiationi cæterisque omnibus alijs suprascriptis vnâ cum* Conrado *de* Toppelwoden *Notario Publico suprascripto, & testibus suprascriptis dum sic agerentur, præsens interfui, atque sic fieri vidi & audiui, & ad Mandatum dictorum Dominorum Arbitrorum, & requisitionem partium prædictarum, hic me subscripsi, & in hanc publicam formam redegi, signo & nomine meis solitis consignando, in fidem & testimonium omnium præmissorum. Et constat mihi Notario de Interlinealibus descriptionibus, videlicet secundùm antiquos limites, inter* XLIII. & XLV. *lineas à capite instrumenti positas computando, non vitij causâ sed erroris. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ Confirmationis & Commissionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis* D E I, *ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Auenione* XIV. *Calend. Martij, Pontificatûs Nostri Anno quinto.*

Notarius publicus Imperiali Authoritate.

Alter Notarius Publicus.

Auscultatæ & collationatæ sunt prænotatæ Innocentij VI. *ex* Gregorio XI. *Bullæ, per me* Balthasarum Stockfisch, *Imperiali Authoritate Notarium, & concordant cum Originalibus literis, quod præsenti manu propriâ attestor, de Verbo ad Verbum. Copia verò supra scriptæ concordiæ vulgaris, habetur in libro Priuilegio-*

rum Ecclesiæ Varmiensis Maiori folio CLXXIX. *Bullas autem originales prædictus Reuerendissimus in Christo Pater & Dominus,* D. Nicolaus Episcopus Varmiensis, *Anno Domini,* M. CD. LXXXII. *die Veneris decimâ nonâ Mensis Aprilis apud Ecclesiam prætactam constitutus, Capitulo suo Venerabili tradidit ad conseruandum.*

Quod tam multa Bona Ecclesiæ Episc. amiserit in cõtemptu venit.

Postquam ergò luce meridianâ clarius omnibus apparet, Episcopum hunc *Henricum* Ecclesiæ suæ Iura, non eâ diligentiâ & solicitudine, tutatum fuisse, quemadmodum ab eius Antecessore factum fuit, quodq; multa palam sibi adimi passus est, dummodo cum Ordine in quiete & amicitiâ, bonâq; Viciniâ viueret, cæpit à multis passim contemni, idq; eò magis, quòd in Aula sua, multam & inutilem familiam, ex nobilitate *Bohemica* aleret, quæ Vasallis, molestias, damna, & iniurias inferebat. Sed nec cum Venerabili Capitulo illi satis benè conueniebat, quod absq; illius scitu & consensu, supradictis tribus conformibus sententijs, vltrò cesserit & renuntiauerit. Quamobrem sæpius cum illo Capitulares expostulârunt, eumq; monuerunt, vt scandalosam, & subditis valdè grauem, & molestam familiam, à se amoueret. Quo ad primum respondere solebat, *Præstat habere il quam nihil.* Quo ad secundum morem gessit Capitulo, & Bohemos ab Aulâ suâ oblegauit.

Etiam Capitulo ingrat[us] propter familiam.

Ad primũ responsum.

Ad secundum.

De Braunsbergensium Rebellione.

Braunsbergensium consideratio.

CVm *Braunsbergenses* animaduertissent, Magistrum Ordinis multa Episcopatûs bona, cum aliquot oppidis sibi vsurpâsse, & Episcopum *Sorbonum,* alij *Sorenbaum* scribunt in tuendis Iuribus Ecclesiæ, Antecessore suo longè factum esse remissiorem; arbitrati sunt, magis honorificum illis futurum, si non Sacerdotum, sed Magistri Teutonicorum potiùs subditi essent, & vocarentur. Quamobrem missâ ad Magistrum Legatione, se in illius potestatem cum bonis omnibus libenter concessuros, si eos in fidem reciperet, ac Iuribus & Libertatibus suis vti permitteret; Respondit Magister, non decere omninò, vt eos pro subditis reciperet, qui successu temporis, pari leuitate ducti, à se quoq; ad alios deficere possent; discederent itaq; & ipsi sua potius curarent. Re per Magistrum Ordinis ad Episcopum delatâ, cùm quid machinarentur *Braunsbergenses,*

Rebellionem concipiunt Magistro se tradere volunt

Magister respondit eis.

Detegit Machinationes eorũ Episcopo

ſes? didiciſſet, ſtatim *Braunsbergam* cum triginta tantùm aulicorum comitatu accurrit; Magiſtratum ad ſe citatum & comparentem, illi nequitiam, & proditionis nefariæ crimen obijcit; quod cum negare non poſſent, veniam ſibi dari petiêrunt. Epiſcopus injunctâ eis leui mulctâ, pro facinore tam graui, illos abire iuſsit: quibus in Prætorium reuerſis, cum Populus ex illis ſcire vellet, quid in tanti momenti negotio conſtituiſſet Epiſcopus? illi cum magnâ querimoniâ, & eiulatu ad vulgum detulerunt, quòd Epiſcopus Ciuitatem deſtruere, illosq; trucidare decreuiſſet: quamobrem quicunq; poſſet, ſe vitamq; ſuam quilibet contra Epiſcopi tyrannidem, defenderet ac tueretur; Datum eſt deinde ſignum tumultus campanâ Prætorij: Ciues, plebs, & omnis, incondita multitudo, arreptis gladijs, haſtis & fuſtibus, ad Arcem cucurrit, vt Epiſcopum occideret; cumq; foſsâ ruderibus oppletâ, portam Arcis effregiſſent, vt ſe præſenti periculo eriperet Epiſcopus, per poſticum, fune è muro demiſſus, pedum celeritate ſalutem quæſiuit. Eam rebellionem vt vlciſceretur Epiſcopus, & inſigne aliquod Exemplum in Braunsbergenſes ſtatueret, Ordinis Magiſter eum diligenter admonuit: qui conſilio cum ſuis communicato ſecretè, coactisq; nonnullis partim ex Vaſallis Eccleſiæ, partim ex amicis, qui rei indignitate commoti ſponte confluxerant, equeſtribus copijs, & aliquot Peditum turmis, *Braunsbergam* perrexit, eamq; obſedit: Interea denuò Braunsbergenſes, Magiſtri Ordinis, in quo ſpei plurimum collocauerant, opem & auxilium contra Epiſcopum, ſupplices implorabant; ſed cum ab eo reſponſum retuliſſent, quòd Proditores iuuare & tueri nollet, ſed potiùs ad eos coërcendos, operâ ſuâ præſtò adeſſe vellet Domino Epiſcopo, eâ re vehementer exterriti, aliâ ratione rebus ſuis præſidium quærere conſtituerunt: Quamobrem ij qui in ſenatu erant poſiti, fune ad collum appenſo, capite detecto, nudis pedibus, genibus reptantes, extra Ciuitatem ad Epiſcopum in Caſtra peruenerunt, ſibiq; miſericorditer ignoſci petiêrunt; Quod etiam ab Epiſcopo ijs conditionibus impetrârunt; nempe, vt omnia damna ratione tumultus illata reſarcirent. Vt murum iuſtæ altitudinis, quem diruerant, cum turribus, Ciuitatem verſus denuò è ſolidis lateribus excitarent. Vt Armis quibus contra Dominum ſuum nefariè ſunt abuſi, & campanâ Senatoriâ & Prætoriali, quâ Plebem ad ſeditionem excitârunt, priuarentur. Ad extremum vt pro expenſis belli Domino Epiſcopo, duo millia florenorum Vngaricorum; vel mille Marcas (nam decem groſsi argenti puri vnum Vngaricum

Epiſc. Braunsbergā accurrit Magiſtratui exprobrat nequitiam.

Magiſtratûs coram populo falſa relatio

Datur ſignum tumultus.

Aggreditur Popul⁹ arcem

Epiſcopus fune dimiſſus fugit.

Ne impune id prætermittat Epiſc. à Magiſtro admonetur.

Epiſc. Braunsbergam obſedit.

Ad Magiſtrum recurrunt. Reſpuit eos Magiſter.

Authores tumultus fune ad collum appenſo miſericordiam petūt

Dat veniā Epiſcopus certis conditionibus Prima.

Secunda.

Tertia.

cum florenum constituebant) intra vnius anni terminum persoluere tenerentur. His conditionibus satisfecerunt Braunsbergenses, atq; ita omnia sunt sopita.

Magister Vallenrode Dei Amicus Cleri Inimicus. Exactiones Cleri.

Huius Episcopi tempore, fuit in Magistrum Ordinis electus superbus ac execrabilis Tyrannus *Conradus Valrader* (alijs *Vallenrode*) qui se publicè DEI amicum, & totius Cleri inimicum appellabat & profitebatur. Huic quilibet ex Ecclesiasticis sui status, pro honorario Mensæ, triginta plus minus, prout ille iudicaret, aureos Rhenenses, pendere coactus fuit. Quanta pecuniæ vis hinc collecta, & in quos vsus conuersa fuerit, copiosius in eius vitæ descriptione continetur. Gessit is cum *Samogitis* & *Lithuanis*, qui nondum Christo nomina dederant, *bella* plurima; vtq; ab eorum excursionibus esset tutior, arcem *Memel* & *Ragnet*, fossis & muris altissimis munire cæpit. Ad eas operas præstandas, Episcopi quoq; Vasallos & Rusticos cogere instituit: cumq; huic eius cupiditati resisteret Episcopus, ille plurimos Equites, in Episcopatus bona immisit, & rusticis qui operibus in syluis intenti, duris eius mandatis parere recusabant, inaudito crudelitatis genere, manus & pedes præcidi iussit. Erat horrendum & miserabile spectaculum, videre in syluis tot rusticos, manibus & pedibus amputatis iacentes, & cælum eiulatibus ferientes. Ea res tantum terrorem miseris incolis incussit; vt quingentos Viros proprijs expensis conductos, *Memelam* versus, & totidem *Ragnetam* miserint, qui operas hasce præstarent. Cæterùm ij qui erant ad *Memelam*, cum *Samogitæ* ex insidijs in eos irruissent, Die Corporis Christi, omnes ad vnum interfecti miserè perierunt.

Eius Bella. Memel & Ragnet fortificat. Episcopi Vasallos opprimit. Inobedientes sibi, manibus pedibusq; trũcat. Res inaudita. Ob terrorem mille Viros ad labores assignant. Omnes isti periere ad Memellam.

Episcopus hic *Henricus*, in interiore Arcis *Heilspergensis* parte, curritorium seu ambulatorium, testudine perfecit & consummauit; Idem *Resselij* quoq; & *Seburgi* præstitit; *Heilspergæ* quoq; aquæ ductus procurauit, & exteriorem partem Arcis muro cinxit. Ciuitatem *Vartemburgensem*, *Bischteinum* muro circumdari præcepit. Collegiatam *Gustadien.* Ecclesiam & alias plures ædificauit, inter alias quoq; illam *Bischsteinensem*, quam cùm paulò ante obitum suum dedicâsset, & in eâ ad Altare, quod in ingressu ad sinistram est positum, Missam audiret; in ipsa eleuatione, Sacro Sancta Hostiâ, guttas aliquot sanguinis stillauit; quam etiam ob Causam Altare illud, Sacri Sanguinis appellatur, ad quod Miracula multa Diuinitus exhibebantur. Postea in sequente Anno qui fuit M.CD. I. idem Dominus Episcopus feliciter in Domino obdormiuit *Heilspergæ*, die

Henrici ædificia ædificata. Collegiata Gustad. & Bischsteinen. constructa. Magnum miraculum. Mors Episcopi Henrici.

die 13. Ianuarij, sepultus in Ecclesia Varmiensi, ante Chorum, sub lapide albo, vnâ cum Fratre præposito Varmiensi requiescit. Hic à *Carolo* IV. pro se & quolibet Episcopo Varmiensi, accepit titulum Principis Romani Imperij.

Hic malè partitur Bona: nam sex millia perdit
Mansorum, multosq́ lacus. Compescit iniquos
Brunsbergæ motus; nam torto ad colla Rebelles
Fune, petunt veniam, edocti non temnere Diuos.

X.
HENRICVS IV.



HENRICVS IV. dictus *Heilsberg* de *Vogelsang*, Iuris vtriusq; Doctor, & Canonicus *Varmiensis*, pacificam E-

 piscopa-

Electio Episcopi.

piscopatûs possessionem adeptus, in Parochiali Ecclesiâ *Heilsbergensi* in Episcopum die 26. Martij. Anno 1401. legitimè consecratus fuit. Eius tempore Ordo Cruciferorum insignem cladem, apud *Tannebergam* accepit, in qua supremus Magister *Vlricus* de *Iungingen* die 15. Iulij, Anno 1410. cum Sexcentis Ordinis sui Fratribus, & quadraginta militum millibus occidione deletus est. Partâ adeò memorabili Victoriâ, *Vladislaus* Rex *Marieburgam* versus, *Vitoudus* autem *Regiomontem* copias mouit, in itinere flammâ & ferro passim omnia populatus; qui cum *Varmiensem* tractum attigisset, Episcopus cum aliquot Canonicis illi occurrit, petijtq; vt à cæde & vastatione suorum abstineret, qui nullam vnquam belli causam præberent. Quod quidem factum est; quanquam à *Vitoudianis* eam pacem, multâ æris, argenti & auri signati quantitate, redimere coactus fuit; ita vt in eum vsum, calices & alia Sacra, Diuinoq; cultui dedicata argentea vasa, conflare necesse habuerit. Postea verò cum exercitus è *Prussia* in *Poloniam*, ad auertendas *Sigismundi Hungariæ* Regis excursiones, mouisset; cæpit *Henricus Reuss* de *Plawen* (qui sibi Magni Magistri munus & auctoritatem vsurpauerat) in Episcopum acriter insurgere, illiq; crimen proditoris palam impingere, quòd cum Hoste clanculùm conuenerit, vt bonis Episcopatûs intactis, vim omnem ad Ordinis damna & destructionem converteret. Quamuis autem Episcopus, de ijs quæ illi obijciebantur, abundè innocentiam suam comprobaret, nullum his tamen Magister, apud se locum dedit, immò denunciari iussit, se eum tanquam Proditorem interfecturum; collectisq; viribus Episcopatûs Bona, per vim inuasit, oppida & arces diripuit, subditosq; sibi tributarios fecit, ac ne Episcopus elaberetur, sed viuus in potestatem suam veniret, omnes aditus & vias obseruari & præcludi iussit. Cæterùm Episcopus habitu pauperis Mercatoris assumpto, exiguâ scaphâ, *Braunsbergâ Gedanum*, deinde *Lubecam*, delatus; postea ad Imperatorem *Sigismundum* peruenit; apud quem de summâ vi illatâ grauiter conquestus, litem Magistro per quatuor annos intentauit. Cumq; Magister probare non posset, Episcopum aliquid proditoriè egisse, condemnatus à Cæsare, pænâ talionis fuit; vtq; pro quadriennij fructibus perceptis, & damnis Ecclesiæ *Varmiensi* illatis, Episcopo quinquaginta Vngaricorum aureorum millia, vel viginti quinq; Marcarum millia (nam decem grossi puri argenti vnum Vngaricum constituunt) absq; vllâ tergiuersatione numeraret. Atq; ita Episcopus reuersus omnia sua recuperauit, exceptis Quinquaginta Vngaricorum

Marginalia:

Insignis clades Crucigerorum ad Tannebergam 15. Iulij, 1410.

Episcop. supplicat Regi pro se & subditis.

Magister Ord. Episc. crimen Proditoris obijcit.

Minatur mortem Episcopo.

Episc. ementito habitu iram Magistri euadit.

Ad Imperatorem recurrit & contra Magistrum conqueritur.

Magister condemnatus pænâ talionis.

Pro fructibus acceptis & damnis illatis Imperator decrecat Magistrum 50000. Vngaricorum pænâ

Eorum millibus, quorum solutio executioni mandata non fuit. Magister Ordinis constituerat in Episcopatu Generalem Aduocatum Fratrem *Lucam* de *Helffstein*, qui Vasallos diuersis mulctarum generibus, adeò emunxit, vt spatio quatuor annorum, ad quinquaginta octo marcarum millia (prout ex rationibus constitit) sibi vsurpauerit. Porrò Episcopus eodem Anno quo domum reuersus est *Heilsbergæ* diem extremam clausit, & in Ecclesiâ *Varmiensi* sepultus est, Anno videlicet 1415. Mense Iunio.

Damna illata Vasallis.

Mors Episcopi.

Obuius armato Iagelloni atq́ Vitoldo,
Exorat pacem pro se; hinc liuore Magistri
Theutonici petitur: mentito habitu fugit, Exul
Litigat, & Victor redit, at mox viuere cessat.

XI.

IOANNES III.

IOANNES III. *Abezier* dictus, Patriâ Thoruniensis, I.V.D. Præpositus & Canonicus *Varmiensis*. *Martini* V. Pont: Maximi Camerarius Apostolicus, concordibus Capitularium studijs die 8. Iunij, 1415. electus, & in Constantiensi Concilio, ab Archiepiscopo Rigensi, Episcopus est consecratus. Huic Concilio, *Vladislaus* Rex *Poloniæ* ex vnâ, & summus Magister, cum suo Teutonicorum Ordine partibus ab alterâ, differentias quas habebant inuicem, decidendas permiserunt. Oratores Poloni, querelam longissimo scripto comprehensam, in medium attulerunt; Contra Magister & Ordo, Reuerendissimum *D. Ioannem Wollenratum* Archiepiscopum *Rigensem*, vt causam illorum in Concilio tueretur, instruxerunt: Qui non solū cōtra Polonorū Querelas, se planè ex aduerso opposuit; sed etiam copiosè enumerauit, varias & multiplices, ac graues iniurias, quas Theutonicus Ordo, indecēti ratione & modo, in *Liuoniâ* exercebat; atq; in eum finem, totius Orationis suæ seriem ordinauerat, vt Orbi Vniuerso persuaderet Teutonicos non solùm nō esse Defensores, sed potius magnos Ecclesiastici Ordinis esse Persequutores & Oppressores. *Poloni* contra ea quæ in illos dicebantur, solenni ratione protestati sunt. Responsum datum est Partibus, quatenus quarto die, ad sententiam audiendam,

Eligitur Ioannes concordibus studijs. Concilium Cōstant.

Differentiæ inter Regem Pol. & Magistrum Cōcilio decidendæ offeruntur.

Querelæ Polonorum. Vicissim Magistri.

Cruciferi demonstrātur Oppressores Ecclesiæ.

Dilatio ad quartam diem

dam, comparerent. Cæterùm nouus Episcopus Varmiensis, cum videret quantùm in eo positum esset, si Cruciferos, in quorum viciniâ illi manendum erat, sibi Amicos & Beneuolos redderet, inter alia Officia fecit etiam hoc; vt ad Magistrum Ordinis, per Nuntium magnis itineribus de industriâ missum, de omnibus ijs quam celerrimè referret, quæ ad *Polonorum* Querimonias, ab Archiepiscopo Rigensi prolata fuerunt, & quibus in terminis Negotium illorum versaretur? Respondit illi statim Magister, pro tam amico erga se & Ordinem suum Affectu, gratias egit, petijtq; vt deinceps Causam hanc eorum ita promoueret, vt ad optatum exitum deduci posset; se vicissim omnia facturum, quæ ad veræ Amicitiæ, bonæq; vicinitatis Iura conseruanda pertinerent. Episcopus itaq; Causam Cruciferorum tuendam suscepit, qui apud Pontificem,

Episc Varmiens. defert Magistro in quib⁹ terminis sint res illius.



Magister committit illi protectionē Causæ suæ.

Suscipit protectionem.

tum

tum etiam in Concilio præsentem, gratiâ non parùm valebat, quòd esset *Auditor Rotæ*, eoq; rem deduxit, vt Pontifex cum Concilio, Negotij huius tractationem suspenderet, donec Commissarij pro diligentiori omnium inuestigatione eò mitterentur. Interea soluto Concilio, Episcopus ad residentiam suam *Heilspergam* veniens, Magnâ Fratrum Teutonicorum lætitiâ beneuolentiâque, ob nauatam illis egregiè operam, exceptus est: Quòd cum vidissent DD. Capitulares, monuerunt sæpiùs Episcopum, vt quinquaginta millia Ducatorum Hungaricorum, ad quæ Ecclesiæ *Varmiensi*, Decreto *Sigismundi* Cæsaris soluenda tenebantur, ab Ordinis Magistro repeteret. Porrò Episcopus, nondùm esse negotij aggrediendi tempus, respondebat, quandoquidem cum *Polonis*, *Teutonici* bello adhuc implicati essent, nihil ab illis proculdubiò obtineri posse; reijciendum id potiùs in aliud tempus, quo ad Pacem, aut ad aliquam Complanationem deueniretur.

Commissarios pro cognitione causæ petit & obtinuit.

Redux in Episcopatũ egregie excipitur à Fratribus Ordinis.

Episcopus monetur à Canonicis vt repetat 50000. Aurorum

Responsum Episc.

Non multò post Cruciferi ad ingenium & naturam reuersi, cæperunt Episcopum & Ecclesiæ Bona vexare & persequi; conclusum est itaq; consilio Capituli, vt Episcopus ipsemet, ad Pontificem & Cæsarem proficisceretur, ab illisq; contra vim & Potentiam Ordinis, opem & auxilium exposceret, atq; imploraret. Cumq; iam Episcopus se in viam dedisset, & *Thoronium* peruenisset, misit ad eum Ordinis Magister orans, vt à cæpto desisteret, nullaq; externa præsidia quæreret, Paratum se esse, ad Negotium hoc amicè componendum, Iustitiamq; administrandam, ne Ordo, quòd Ecclesiasticos persequeretur, in maius odium, & Contemptum, apud Christianos adducatur. His persuasionibus facilè dedit Episcopus locum, & *Heilspergam* reuersus est.

Ingratitudo Crucigerorũ.

Suadent Canonici vt Episc. cõqueratur coram Papa.

Episcopus accingitur itineri.

Prosequitur eum Thoronium Magister omnia se pro libitu eius facturũ promittens.

Aipentitur Episcopus.

Sub hæc tempora, *Vicleffistarum* nefanda Hæresis in has oras irrupit, multùmq; mali & licentiæ inter vulgum dissemi-nauit: Nam plurimi qui huic sectæ nomina dabant, à recto veri Euangelij tramite recedentes, Ecclesias non frequentabant, Sacramenta irridebant & contemnebant, præsertim Sacrosanctum Missæ Sacrificium, in cuius contemptum, manè Dominicis & festiuis diebus surgentes, loco Ecclesiæ, tabernas in quibus Ceruisia vel Mulsum propinatur ingressi, sese ingurgitabant; & sic benè poti, in contemptum DEI, Ecclesiæ, & Sanctorum, cantilenas Hæreticas passim occinebant. Porrò vt DEVS omnipotens ostenderet quòd impietatem detestatur, & malos punit, permisit vt Maligni Spiritus multa horrenda, non solùm in Castris & Arcibus, spectrorum specie apparentes, perpe-

Hæresis Vicleffitarũ, in Prussiam allabitur.

A multis apprehenditur.

Pœna peccati.

trarent; sed homines quoq; inter edendum & bibendum ingressi, eos mirum in modum cruciarent, vt in rabiem & insaniam versi, more canum per plateas discurrentes, horribili voce inclamarent, *Quod quærebamus inuenimus.* Alij in ignem insilientes cremabantur, alij in flumina & puteos se præcipites dabant, & suffocabantur. In summa, tantus terror hac vltione Diuinâ hominibus est iniectus, vt nemo deinceps non modò ante, sed nec post Missam quidem, cibum vel potum attingere auderet; quòd eiusmodi insaniæ morbo, inter edendum & bibendum homines corripiebantur.

Synodus Prouincialis celebratur.

Huius itaq; Episcopi authoritate, coacta est Synodus Prouincialis, cui cæteri quoq; qui sunt in Prussia Episcopi interfuerunt, in qua inter cætera constitutum etiam hoc fuit, vt ne quod ante missæ sacrum diebus festiuis, venale esculentum vel poculentum proponeretur, excepto vsu infirmorum, vel peregrinantium. Item vt singulis Dominicis vel festiuis diebus, Monachi vel Vicarij Sacerdotes, domos obirent circa horam octauam, & aquâ lustrali homines & cibos aspergerent, & modicum benedicti salis, pro ciborum aspersione ibidem relinquerent. Qui id adhibebant, à periculo supradictæ infirmitatis tuti & illæsi reddebantur. Vndè fiebat vt salis & Aquæ exorcisatæ vsus frequenter haberetur, cuius eam quantitatem quilibet Paterfamilias, à Sacerdote, die Dominico benedici procurabat, quæ pro integra Hebdomadâ sufficeret, Sacerdotibus autem qui munus hoc præstabant, eleemosinæ nomine aliquid, ex beneplacito cuiuslibet, conferebatur, Postea tamen id lucri pro sustentatione Ludimagistrorum cessit, qui vicatim & ostiatim incolarum domos aspergentes, obolum emerebantur. Hæc memorabilis, iusta tamen Diuina vltio, plurimos deterruit, ab amplectenda *Vicleffitarum* Hæresi, quâ relictâ ad vnitatem & obedientiam Sanctæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ reuertebantur.

Antiquissimus vsus aquæ benedictæ & eius effectus.

In Arce Christburgensi Dæmones tumultus excitant.

Eodem quoq; tempore, Dæmones in Arce & munitione *Christburgensi*, adeò horrendos tumultus excitârunt, vt nemo hominum manere isthic posset. Res autem ita se habuit.

Occasio huius rei.

Cum Crucigeri deliberarent de Prælio Polonis ad *Tannebergam* exhibendo, inter alios, Frater *Albertius Swarczemburgi* Dominus, & Commendator *Christburgensis* (Vir prudens & egregius, nisi nouis exactionibus, contra Prouinciæ Iura subditis nimiùm grauis fuisset) vehementer dissuadebat, ne huiusmodi bello cum Polonis decerneretur; Fieri quidem posse vt hostem superarent: sin minùs, Prouinciam hanc illorum in extremum discri-

discrimen adductam iri, multis rationibus ostendebat, melius esse aleam dimicationis non subire; occasionem potiùs rei benè gerendæ expectandam, domi interea in bona custodia remanendum esse censebat. Sed eius consilium non admittebatur; cumq; indignabundus ad locum Prælij cum supremo Magistro profecturus, equum conscendisset, & interrogaretur à Militiæ Præfecto, cuinam Arcis custodiam relinqueret; Irâ percitus *Tibi* inquit *& Diabolis* omnibus, tum militiæ Præfectus illicò expirauit, & in Arce horribiles sonitus exaudiri, & spectra apparere talia cæperunt, vt nemo isthic hærere diutiùs potuerit, his de causis maximè. *Primò* cùm Crucigeri ad sumendum cibum assedissent, statim nescitur vnde, fercula cruore perfusa videbantur, id autem non fiebat, cùm extra Arcem, in Ciuitate cibus ab ijsdem sumebatur. *Secundò.* Frater *Gualterius* Commendator *Frauenburgicus*, nocturno tempore in Arcis puteo manibus appensus fuit, vt inde maximo labore vix educi potuerit. *Tertiò.* Commendator Arcis è lectulo correptus, in fastigio altissimæ turris positus, non absq; summo vitæ periculo, inde euasit. *Quartò* eiusdem Commendatoris in hac ipsa Arce, prolixior barba accensa, extingui non potuit, nisi benè combusta, curationem vix demùm admisit, Commendator verò Arce excedēs, eò sibi amplius redeundum non putauit; Pertentârunt alij mansionem, sed idem omnibus euenit, vt nullus deinceps isthic Commendator constitueretur. *Quintò* Accidit sæpius, vt famuli stabulum ingredi cupientes, in cameram in qua farina seruabatur delati, à stabuli ingressu excluderentur. *Sextò*: sæpius etiam Canum & luporum eiulatus & latratus, ibidem tanto cum terrore auditi, vt multi illicò, timore perterriti expirauerint, Atq; ita insignis illa & benè munita Arx, in hodiernum diem inhabitabilis & desolata remansit. *Ioannes* autem Episcopus plenus dierum *Heilsbergæ* Vitâ functus est, Anno 1424. die 11. Febr. & in Ecclesia Varmiensi honorificè sepultus, quiescit.

Horrenda res.

Fercula cruore perfusa.

In puteo manibus appēsus.

Barba accensa extingui non potuit.

Ingressus stabuli denegatus

Eiulatus Canū luporū exauditi.

Mors Episcopi.

Causarum Auditor Papæ Cameræq; Minister
Martini Quinti, cuius Germania suadam
In Constantina Synodo miratur, ibidem
Consecratus, Oues exemplo rexit & ore.

XII.

FRANCISCVS KVHSCHMALTZ.



Eligitur ex Canonicis Franciscus Episc.

Pater Patriæ habitus.

FRANCISCVS KVHSCHMALTZ *Rosseliensis* Fabri ferrarij filius, Præpositus & Canonicus Varmiensis, à Capitulo die xiij. Feb. Anno 1424. electus, à Sede Apostolicâ confirmatus, in Parochiali Ecclesia *Heilspergensi* ordinatus Episcopus fuit. Hic non tàm Dominum, quàm Patrem se subditis declarauit, cuius rei non obscura argumenta, vel in hoc vno egregio facinore edidit. Nam cum integris duobus ab assumpto Episcopatu annis, diuinâ quadam vltione in Prussia,

præser-

præsertim in ditionibus huic Ecclesiæ subiectis, tabifica quædam lues, equos & iumenta ita absumpsisset, vt equum in partibus his videre, miraculi loco duceretur, è Suecia Sexcenta & ex vicina *Masouia* Noningenta iumenta huiusmodi, sumptibus proprijs adducenda curauit, quæ postea inter miseros colonos, pro paterna charitate liberaliter distribuit.

Equos coemit & inter subdi. tos distribuit.

Ad Synodum Oecumenicam Constantiensem, quæ contra *Ioannis Hussi & Hieronymi Pragensis*, ac alias emergentes Hæreses, indicta & congregata fuit, ab omnibus in Prussia Episcopis, designatus & missus est, cui in sumptus, ab omnibus Episcopis Prussiæ, aliquot marcerum millia collata fuêre. *Ioannes Cochlæus* Canonicus Vratislauiensis, qui Martinum Lutherum, pestiferum hæresis dogma in Germania spargentem, erudito refutauit calamo, librumq; de Actis, scriptis eiusdem, publici Iuris fecit; in Historia Hussitarum memorat mihi *Lib.* 2. *Fol.* 110. Cum Ioannes Hussus Bohemus Sacerdos, peruicacissimè in Concilio Constantiensi hæresim suam propugnaret, nullatenusq; ad saniorem flecti posset mentem, vt suos errores abiuraret reuocaretq; tandem instaurato contra eum, cui aderat præsens *Sigismundus Imperator* judicio, damnatus est ad ignem, priusquam huic dederetur noxæ, celebrata est solennis eius degradatio, ad quam à Concilio designatus erat cum alijs Episcopis, *Franciscus* Episcopus Varmiensis.

Ad Synodum Constantiensē designatur.

Degradationi Hussi à Concilio designatus erat Franciscus Episc. Varm.

Reuersus è Concilio, ad euulganda eiusdem contra Hussitarum Hæresim decreta, *Heilsperga* Synodum Diœcesanam indixit, quò Prælati, Parochi, alijq; Sacerdotes, numero M.CC.XI. conuenêre: nam tum in Diœcesi Varmiensi, quæ ad Pregelam fluuium, & *Vilnensis* ac *Plocensis* Episcopatûs fines protendebatur, circiter Sexcentæ Parochiæ numerabantur. Ad conseruanda mutuæ amicitiæ, bonæ vicinitatis Iura, sæpiùs cum Venerabili Capitulo, pro Magistro eiusq; Ordine legationibus perfunctus, parùm inde gratiam retulit: Nam cum Ordinis Magistro *Conrado* de *Erlichshausen*, tria millia & quingentos Ducatos Hungaricos mutuò dedisset, ille ad malam informationem, à *Nicolao V.* Pontif. Maximo, Bullam obtinuit, per quam Ius illi concedebatur, vt duos Ordinis sui Fratres in Collegium Varmiense cooptare, & illi aggregare posset. Contra hoc Venerabile Capitulum, solenni protestatione interpositâ, ad Sedem Apostolicam appellauit, Magistrum citauit, qui Causâ cecidit, & supra nominata Bulla cassata & reuocata fuit. In decisione litis huius vtrinq; ad Duodecim millia consumpta fuêre. Ab eo tempore, Venerabile Capitulum parùm fidere

Reuersus Synodum Heilspergæ indicit Cui adfuêre 1211. Sacerdotes.

Pro Magistro multas legationes obijt. Magistro Ord. 3500. Ducatos mutuò dat. Magister loco gratitudinis cōtra Iura Ecclesiæ eius, obtinuit Romæ vt duos suos Fratres Canonicos Varm. creare posset. Citatus Romā causā cecidit. Diffidentia Capituli cum Episcopo.

 cæpit

cæpit Episcopo, quòd plurimis in rebus, magis Ordinis Magistro, quàm Ecclesiæ commodis, se addictum esse ostenderet. Quamobrem Capitulariter Officij fuit admonitus, vt sibi caueret, ne nimiâ Magistri familiaritate & amicitiâ, se Ecclesiamq; suam, in discrimen & periculum adduceret, quam tamen admonitionem non adeò magni facere visus est.

Admonebatur à Capitulo.

Exercebat tunc temporis Aduocati generalis in Episcopatu Officium, Frater *Gumprechtus* de *Losenstein* Teutonici Ordinis, qui rusticos *Braunsbergensis* & *Melsacensis* districtûs, ad Rebellionem concitauerat, vt nullas deinceps operas rusticas Dominis præstare vellent (*Sonneualde*, *Gabelin*, & *Lichtenualde* pagis duntaxat exceptis) palamq; iactarent, se vbi Capitulo dimidiam marcam census persoluissent, ad alia onera subeunda minimè teneri, quam libertatem se breui recuperaturos pollicebantur. Ea rebellio cùm in Annum protracta esset, Episcopus Primores pagorum ad se vocari iussit, & productis Oeconomiæ libris, quantùm soluere, & quas operas præstare deberent, illis apertè demonstrauit. Neq; tamen hoc iuuit, cumq; eos magis etiam obstinatè agere videret, præcipuos eorum Duces, capi & comprehendi præcepit, & ligatos partim *Allesteinum* partim *Scheburgum* carcere & turri coercendos, ablegauit, infimos verò quosq; *Heilsbergæ* in turrim coniecit, paneq; & aquâ duntaxat sustentauit; sic aliquamdiu fame macerati, erga superiores se mitiùs gerere cæperunt, illisq; deinceps obedire, & officia debita præstare promiserunt. Atq; ita ad nonnullorum preces, dimissi è Carceribus fuerunt. Præcipui tamen Rebellionis Antesignani, exilio mulctati, alij alijs pænis affecti, ad officium reducti sunt.

Rebellio Rusticorum per Aduocatum factam.

Episc. Primores Pagorum conuocat.

Duces capi & comprehendi iubet.

Incarcerat & solo pane & aquâ macerat.

Antesignani in exiliu pulse

Postea Episcopus Aduocatum Episcopatûs, tanquam turbarum harum Incentorem & Architectum (quibus nisi maturè obuiam itum fuisset, magnum proculdubiò Incendium excitari poterat) coram Ordinis Magistro grauiter accusauit; Qui factum hoc Aduocati, adeò ægrè tulit, vt eum non solum ex Officio deposuerit, verùm etiam liberam facultatem Episcopo concesserit, imposterùm Aduocatum Episcopatûs eum constituendi, quem ipse & Capitulum eligendum existimaret. Insuper & obligationem *Eberhardi* Episcopi, quâ cauebatur, vt Aduocatus eiusmodi, è Cruciferorum Ordine assumeretur, illi restituit. Ab eo tempore Officium hoc, aliquis ex Nobilibus huius Episcopatus gessit & administrauit.

Episcopus Aduocatum accusat coram Magistro quem punit.

Libera electio Aduocati Episcopo restituitur in futurum.

Anno Dñi. M. CD. XLII. Cùm Episcopus *Franciscus* esset in Germania, Arx Heilspergensis conflagrauit, & fornices colla-

Arx Heilspergensis conflagrauit.

collapsæ, alias quoq; concamerationes ruderibus & ruinis oppresserunt.

Quandoquidem Episcopus hic, cum Magistro Ordinis Teutonicorum coniunctissimè viuebat, instituit sæpiùs Venerabile Capitulum, vt ab illo vigintiquinq; millia Marcarum, quæ ex decreto Cæsaris, Ecclesiæ Varmiensi soluere debebat, Episcopus repeteret. Sed cum is negotium de die in diem differret, nihil effici potuit; quòd Ordinis Fratres offendere nollet.

Admonetur Episc. à Capitulo repetendorum 25000. Marcarum.

In huius Episcopi tempora, incidit atrox & imane, quod annis tredecim durauit, bellum, occasione Societatis Nobilium & Ordinum Prussiæ, qui Cruciferos extirpare, & penitùs in nihilum redigere volebant. Et quoniam Episcopus indissolubili quodam amicitiæ vinculo, Teutonicis Fratribus adhærebat, illisq; vires suas adiungebat, maximum apud Pruthenicam Nobilitatem sibi conflauit odium, palamq; dicebatur, Episcopum propter differentiam, quæ ex occasione cuiusdam lacus, cum *Ioanne* de *Baisen* Equite intercesserat, præcipuam causam huic bello dedisse. *Ioannes* hic de *Baisen*, filius erat optimi Equitis de *Hantsche*, *Conradi* de *Zeiligen* appellati, qui post cladem illam *Tannenbergensem*, à Villa *Baisen* Cameratûs *Vormditensis* (quam Episcopus *Henricus* primùm illi aliquot florenum Rhenensium millibus oppignorauerat, deinde vendiderat) nomen *Baisensis*, sibi & Successoribus suis, in hunc vsq; diem acquisiuit. *Ioannes* hic itaq; *Baisensis*, multo tempore seruiuit *Petro Aragoniæ Regi*, qui tunc temporis, cùm *Mauris* atrox bellum gerebat. Accidit semel vt vtrinq; post vehementem & sanguinolentam in acie dimicationem, absq; victoriâ certâ discedendum esset: Quamobrem conuenit inter Exercituum Duces, vt duo vtrinq; delecti Milites, de summa rerum, singulari certamine dimicarent, si *Christianus* vinceret, *Mauri*, *Aragonum Regi* Tributarij essent, sin *Maurus* victoriam reportasset, *Aragonij*, *Mauris* annuatim tributum penderent. Prodijt è *Mauris* in arenam, Vir animo & robore præstans; cum quo qui congredi vellet, cùm è nostris nullus reperiretur, hic ipse *Ioannes Baisensis* descendit in pugnam, & *Maurum* virtute & armorum peritiâ, in eas redegit angustias, vt se illi dedere coactus fuerit. Sic robore vnius præstantissimi huius militis, *Mauri*, *Aragoniorum Regi*, tributarij facti sunt. Ipse *Ioannes* baltheo militari à Rege donatus, magnisq; honoribus & muneribus cumulatus, honorificè dimissus, in Prussiam redijt. Attulit à Rege ad Magistrum Ordinis literas, virtutis suæ, reiq; præclarè gestæ testes, *Maurumq;* etiam illum captiuum secum deduxit, illoq; ad extrema

Bellum Ciuile in Prussia.

Idq; occasione Ioannis de Baisen.

Quis fuerit hic Ioannes de Baisen.

Petro Aragoniæ Regi contra Mauros seruiuit.

Pactum inter Exercituū Duces, vt duo de summa rerum dimicarent.

Prodijt in arenam Maurus.

Prodijt & Ioannes Baisensis.

Superat Maurum.

Ioannes, Mauros tributarios fecit suo Regi.

Rex Baltheo militari condecorat Ioañem & magnis muneribus cumulantū in Prussiam dimittit.

trema vsq; vitæ suæ tempora, pro Mancipio vsus est. Apud Magistrum Ordinis cùm plurimùm gratiâ & auctoritate polleret, coemit nonnulla Bona in *Osterrodensi* tractu, quæ in *Allensteinensem* oram limitibus productis, ampliora reddere, & Ecclesiam *Varmiensem* piscoso lacu vicino priuare, vehementer cupiebat. Obstitit eius conatibus vnâ cum Venerabili Capitulo *Franciscus* Episcopus, & eius operâ factum est, vt designatis ad fines regendos Commissarijs, Lacus ille, de quo lis erat orta, Ecclesiæ adiudicaretur. Ab hoc Decreto Commissariorum *Ioannes Baisensis* ad Magistrum Ordinis appellauit, qui cùm sententiæ Commissariorum standum esse decreuisset, ille denuò ad Nobilitatem & Ordines Prusiæ prouocauit, allegans Magistrum Iudicem suspectum, cui cum Episcopo tam arcta Familiaritas & consuetudo intercederet. Monuit amicè Magister Ioannem, vt à cæpto desisteret, seq; pro vno Lacu, quatuor illi daturum pollicebatur Sed vt erat Vir acer, & feroci obstinatoq; ingenio, acquiescere noluit, & Causam ad Iudicium Ordinum Prusiæ deduxit: qui sententiam contra Episcopum tulerunt, contra quam protestatus est Episcopus, quòd nulla esset, quandoquidem ab ijs lata, quibus Episcopum judicandi nullum Ius competeret, se potiùs Commissariorum & Magistri decreto stare velle.

Maurum captú secum deducit in Prussiam. Bona coemit. Differentia de lacu.

Commissarij adiudicant Lacum Episcopo.

Ioannes appellat ad Magistrū

Iterùm appellat ad Ordines Prussiæ.

OrdinesPrussiæ cassatis duabus sententijs decretant pro Ioanne.

Non acceptatur Decretum.

Porrò cum *Ioannes* de Magistro passim conquereretur, famamq; eius & existimationem temerè proscinderet, ille tanquam Rebellem, bonis omnibus priuauit, Fiscoq; ea adiudicauit; Quæ res *Ioannem* valdè exacerbauit, & spe Ordinum Prusiæ Confœderatorum, se velle experiri comminatus est, quisnam ad bona alteri adimenda esset potentior: Cumq; aliquamdiu apud Fratres, *Gabrielem Baisensem*, qui in *Risenburgensi*, & *Stiborium* qui in *Christburgensi* ora consederant, versatus, adextremùm pulsus esset, duodecim Equitibus assumptis, in Aulam *Casimiri Regis Poloniæ* venit, vt Magistrum Ordinis occasione bonorum ademptorum vlcisceretur, manibus pedibusq; (vt dicitur) id egit, vt Pruthenos contra Ordinis Teutonici tyrannidem concitaret, illisq; persuaderet, vt se liberos Bonaq; omnia, Regno Regiq; Poloniæ in fidem & tutelam traderent, quod etiam factum est: Nam Rex non illibenter Pruthenorum defensionem suscepit, non cogitans Pacis perpetuæ fædus cum Cruciferis paulò ante constitutum; *Stiboriumq;* de *Baisen* supranominatum *Ioannis* Fratrem, Prusiæ Gubernatorem constituit. Cæterùm postquam Magister Teutonicorum *F. Ludouicus* de *Erlichshausen Conradi* germanus, denunciatas sibi inimiciti-

Ioannes per Magistrū priuatur omnib9. bonis.

Recurrit ad Regem Poloniæ.

Suasit Pruthenis vt jugum seruitutis excutiant Cruciferis & se subdent Regi Poloniæ.

Stiborium de Baisen Gubernatorem Prussiæ Rex constituit.

micitias publicis Ordinum Prussiæ literis accepisset, & *Casimirum Poloniæ Regem* vindicem & Patronum libertatis, ab illis electum, certis nuntijs didicisset, statim Episcopum *Franciscum* vnâ cum Fratre *Henrico Rauß* de *Plauen*, Commendatore *Elbingense*, in Germaniam ablegauit, conquestum *Friderico* Cæsari de hac rebellione, & imploratum eius auxilium, & Decreti prioris contra Confæderatos ab eodem lati, exequutionem. Sed parùm apud Imperatorem eâ Legatione perfectum est, eò quòd Italico, & Hungarico bello distineretur. Cùm videret autem Episcopus, se non modò Ordinum Prussiæ, sed Regis quoq; Poloniæ, odium & indignationem incurrisse, quòd à Partibus Teutonicorum Fratrum, contra Confæderatos *Prussiæ* staret; animaduerteretq; res valdè Cruciferorum inclinatas, quòd illis per Confæderatos, Ciuitates, Oppida & Arces (Mariebergâ duntaxat exceptâ) ereptæ ademptæq; essent; pænitere eum cæpit consilij, quòd contra mentem Venerabilis Capituli, Legationis munus ad Cæsarem suscepisset. Quamobrem in *Prussiam* magnis itineribus contendit, vt Bona sua faciliùs tueri & defendere posset; sed à subditis receptus & admissus non est, quòd ab eius Inimicis, nempè Prussiæ Ordinibus Confæderatis, & *Rege Poloniæ* præoccupati essent. Miserunt ei itaq; literas obuiam, quibus eius obedientiæ Nuntium remittebant obsignatas sigillo Equitis *Iacobi de Baisen* Capitanei Arcis *Heilspergensis*, & eiusdem Ciuitatis Secretarij signo etiam munitas, è quibus apertè videbat, eos iam in aliorum fidem & obedientiam concessisse; coactus est itaq; *Marieburgum* ad Magistrum Ordinis redire, cum quo decem & octo Mensium obsidionem, à Rege Poloniæ circumseptus, perpessus est. In Legatione, quâ pro Magistro Ordinis apud Cæsarem functus est, consumpsit octo millia Ducatorum Hungaricorum. Porrò cùm *Rudolphus* Saxoniæ Dux, cum quinq; millibus militum, ex *Germania* in auxilium Crucigeris aduenisset, & superatis ad Coninum Polonis, *Marieburgum* Anno 1454. nocte diem S. Matthæi Apostoli antecedente, obsidione molestâ & diuturnâ liberasset, *Franciscus* Episcopus Anno insequente, post festa Paschatis, *Marieburgo* relicto, *Vratislauiam* Silesiæ Metropolim migrauit, vbi censu coempto aliquamdiu vixit, ibidemq; Anno 1457. die 10. Iunij senex admodum, multa & varia perpessus, vitam cum morte commutauit, & in Sancti Ioannis Ecclesiâ sepultus requiescit.

Mouit actus iste Magistrum

Mittit Episcopum cum Henrico Rausz ad Imperatorem.

Pænitet Episc. Legationis.

Redux in propria non admittitur.

Marieburgum reclinat.

In legatione quantum consumpserit.

Marieburgo relicto Vratislauiam se cōtulit.

Mortuus Vratislauiæ.

Cùm Episcopus apud Imperatorem, Magistri Teutonicorum Legatus esset, & futuri belli non leuia apparerent argu-

 menta,

menta, Venerabile Capitulum, conuocatis omnibus totius Episcopatus Ordinibus, Comitia habuit, in quibus Fædus quoddam ictum, & iure iurando roboratum fuit, quòd in euentu Belli, nemo se vel Cruciferis, vel Confæderatis Prussiæ adiungeret, sed neutri parti adhærens, mediam viam, quæ ad bonum publicum magis accederet, sequeretur. Neq; tamen à subditis, cum maximo eorum damno, seruatum fuit hoc: Nam exorto Bello, multi sese Ciuitatibus primarijs adiunxerunt, & Cruciferis arma intulerunt; vnde tanta vastitas & desolatio huius Episcopatus subsequuta fuit, vt nec in præsentem diem felicitatem pristinam recuperare potuerit.

Neutralitas V. Capituli & subditorũ tempore belli.

Cùm videret itaq; Capitulum, pessimè miseris Vasallis, inter tantos bellorum tumultus consultum, cum Magistro & Ordine Teutonicorum, ad pacta infrascripta descendit, quæ vtrinq; subscripta & Sigillis munita fuerunt, die Epiphaniæ Anno Dñi. 1455. Magister Ordinis, Bona Venerabilis Capituli in curam acciperet, eaq; tueri & defendere teneretur, in quibus liceret Fratribus manere & hospitari, ita tamen, vt sumptibus proprijs viuerent; Venerabile Capitulum nihilominùs in ijs proprietatem, & vt antea Dominium & Iurisdictionem retineret. Pace Prouinciæ restitutâ, eadem Bona integra, absq; vllâ contradictione, Ordo Capitulo reddere & restituere teneretur. Infra vnum mensem, deberet Magister bonum amicum & Vicinum suum, Episcopum *Franciscum* Vratislauiâ reductum restituere, eumq; contra subditorum rebellium insolentiam tueri ac defendere. His Conditionibus Frater *Vilhelmus* de *Helfenstein*, cum alijs multis Fratribus ac centum Equitibus, in Ciuitatem & Arcem *Albensteinensem* recepti, & admissi fuêre. Quam cùm in Decem annos frumento, Auenâ, Farinâ, & omnis generis commeatu, copiosè instructam reperissent, bonam eiusmodi commeatûs partem, ad oppida & Arces suas conuehere cæperunt, & ciuibus multa onera & violentias intulerunt, ita vt Canonici, qui tunc temporis in arce morabantur, de ijs ad Magistrum referre coacti fuerint, orantes prouidere vellet, ne quid contra Pacta à suis admitteretur. Respondit Magister, se Pactis conuentis stare, eaq; conseruare velle. Sed qui tum erant in Arce Crucigeri, Canonicos apud Magistrum accusarunt, quòd *Polonis* Arcem dedere vellent; Quamobrem eos comprehensos, nempe *R. D. Arnoldum Datteln* Præpositum, *Ioannem Plastwig* I. V. Doctorem, *Arnoldum Clinger*, *Nicolaum Vethen* Iuris itidem vtriusq; Doctores, Canonicos Varmienses, fustibus percusserunt, & integrum Annum in Carcere deti-

Pacta sancit Capitulum vt bona conseruare possit cum Magistro Quibus Conditionibus.

Deditur Albẽsteinum Fratribus, Comeatu ad decem annos refertũ. Commeatum ad proprias arces deuehunt. Contra pacta. Violentias faciunt.

Conqueruntur Canonici.

Falso inculpati incarcerantur.

Cruciferorum erga Canonicos tyrañicum facinus.

detinerunt; postremò ligatos *Regiomontem* asseruandos miserunt, & locò gratitudinis, tanquam Proditores, pessimè accepti tractatiq; fuerunt.

Pactorum supradictorum, vigore etiam Frater *Henricus Reuss* de *Plauen* Commendator Elbingensis, admissus fuit cum suis *Melsacum*, *Reselium*, *Vartemburgum*, *Bischoffsteinum*, *Heilspergam*, *Scheburgum* & *Gutstadium*, & pro defensione eorum, *Ioannes* de *Lusianis* septingentos Bohemos aluit. Cæteræ Ciuitates & oppida, Episcopatûs Varmiensis, in Potestate *Regis Poloniæ* fuerunt, opera *Braunsbergensium*, qui ab Episcopatûs Dominio auulsi, *Regi Poloniæ* sese dediderunt, vt Ecclesiam *Varmiensem* persequerentur. Similiter cæteræ Ciuitates Cruciferis traduntur.


Armentis infesta lues vitiauerat auras,
Prosternens pecudes; quingentos mille coemit
Tum Franciscus equos, elargiturq; Colonis,
Silesiam ob motus petit, & decedit ibidem.

SCHISMA II.
In Ecclesia Varmiensi.

BEllo Ciuili tredecem annis in *Prussia* durante, Mortuo *Francisco* Episcopo, cùm DD. Capitulares hinc inde dispersi, pro eligendo Successore, simul congregari non possent; quatuor Canonici, qui vt se incommodis belli subducerent, *Glogouiam Silesiorum* concesserant, elegerunt in Episcopum Varmiensem *Æneam Syluium*, Patriâ *Senensem*, gente *Picolomineum*. S. R. E. *Presbyterum* Cardinalem, eo maximè consilio, quòd Virum optimum, gratiâ & auctoritate apud Principes pollentem, ad collapsas Ecclesiæ rationes subleuandas, cumprimis idoneum judicarent. Glogouiæ degentes eligunt Æneam Syluium. Illi autem Canonici, qui *Albensteino Regiomontem* deducti, in custodia tanquam Proditores tenebantur, in Episcopum *R. D. Arnoldum* de *Venrade*, Cantorem & Canonicum Varmien. Regiomon. incarcerati Arnoldum Cantorem Varm. Porrò Quatuor reliqui, qui *Gedanum* se subduxerant, suffragia sua contulerunt in Regis Poloniæ Procancellarium, Oratorem ad Pontificem designatum, Dominum *Ioannem Lurconem* Decanum Gnesnensem; Gedani residẽtes Procancellarium Polon. Omnes itaq; Electi, ad Pontificem *Calixtum III.* Romam miserunt, electionis factæ rationem reddentes, simul orantes, vt quem è tribus his, magis Ecclesiæ vtilem futurum iudicaret, Auctoritate suâ confirmaret & approbaret.

XIII.

Æneas Syluius postea Pius Papa II.



CALIXTVS PAPA III. ex tribus diuersarum partium, studio electis, vnum delegit & approbauit, is autem fuit Reuerendissimus in Christo Pater Dominus *Æneas Syluius* S. R. E. tituli *S. Sabinæ Presbyter* Cardinalis, Vir insignis & apprimè eruditus; eum cæteris anteferendum Pontifex existimauit, quòd à natione Germanicâ plurimum dependeret, & Magnatibus esset benè notus. Sed & *Casimiro Poloniæ Regi* non ingratus futurus credebatur.

Æneas per Pôtificem approbatur.

Possesionem per Procuratores adijt: nam vt ipsemet accederet,

Adit Possessionem per Procuratores.

cederet, & in medios bellorum tumultus, quibus Vniuersa *Prussia* deflagrabat, sese conijceret, minùs tutum videbatur. Neq; tamen intermisit Animarum sibi concreditarum, quamuis absens curam agere, partim per submissas personas, partim etiam scriptis eas informando, & in ijs instituendo, quæ ad temporariam hanc, & multò magis, quæ ad æternam salutem pertinere videbantur. Sed quæ erat temporum malignitas, nullam subditorum obedientiam expertus est.

Oues sibi concreditas informat.

Nimis quàm certum est *Æneam Syluium* electum fuisse Episcopum Varmiensem, & à *Calixto III. Papâ* confirmatum. Epistolæ ipsius vetusto impressæ typo Norimbergæ, supra Millesimum, quadringentesimo septuagesimo sexto, hoc luculenter euincunt, complures ad diuersos scriptæ, inter eas vigesimâ octauâ scribit *Casimiro Regi Poloniæ*, significatq; *Capitulum Varmien.* quòd belli furorem declinando, in Prussia concitatum, extra fines Regni, *Maiorem Glogouiam* in Silesia secesserat, se elegisse Episcopum, rogatq; vt capiendæ Episcopatûs Possessioni necessarios velit impertiri fauores. Etiam in *Lib. de Europa* cùm *Prussiam* describit, & *Episcopatus*, qui tùm quatuor Sanctæ Romanæ Sedi subiecti extabant, *Varmiensis*, *Culmensis*, *Sambiensis*, *Pomesaniensis*, (qui duo postremi merũ nunc olent sæculum, & Ducalis Prussiæ, Lutheranæ hæresis contagione infectæ, fiscum reditumq; augent) memorando hæc scribit; Ad Varmiensem Episcopatum, defuncto *Francisco Episcopo*, paruitatem nostram postulâuere Canonici, *Calixtus Pontifex Maximus*, eum Nobis annuente Senatu Apostolico, commendauit. Quominùs tamen adiret Episcopatus Possessionem, *Casimirus Rex* seu liberas Episcoporum electiones, quas primus abrogauit. Iusq; Regiæ nominationis stabiliuit, exosus, seu indignè ferens, in *Prussia* quæ jam Corpori Regni se aggregauerat, alienienam, externæq; nationis Episcopum, obicem moramq; ponebat. Sors tamen melior pinguiorq; hanc compensauit repulsam, cùm *Calixto III. P. M.* viuis abeunte, Vniuersalis Ecclesiæ summus audiuit Pontifex. Libet insuper hæc firmare, magni in Ecclesia Antistitis, in Repub. Senatoris *Stanislai Lubinski Episcopi Plocensis* authoritate, in vitis Episcoporum Plocensium, *Stiborij II. Plocensis Episcopi* texendo vitam, hoc addit ijs ferè verbis nempe, Graue jam dudum odium in *Casimirum Regem Pius II. P. M.* conceperat, ob eam causam, quòd ab eo ne Possessionem Episcopatûs Varmiensis, quem ardenter concupiêrat adiret, impeditus & exclusus fuerat, in tantumq; illâ offensione excreuerat, vt in Historia quam de Bohemis scripsit

Casimiro significat se electū esse Episcop. Varmiensem.

(etiam in Europæ descriptione) temperare sibi non potuerit, quin *Polonum & Lithuanum* nomen, omnibus notauerit probris. *Martinus Cromerus* Episcopus Varmiensis *Lib. III.* de Rebus Polonorum hæc fermè. *Æneas Syluius* Vir quidem ille magnus, sed Polonis ob negatum Episcopatum Varmiensem, vt aiunt, nimio plùs iniquus.

Sæpè locum fecit fortunæ liuor, ab ista
Exclusus Cathedrâ, fit Præsul Maximus Orbi.
Inuide quid frustra Fortunam inuertis Amici!
Perrumpet fossas, & ab obice fortior ibit.

XIV.

PAVLVS de LEGENDORF.

ECclesiâ Varmiensi, per assumptionem ad summi Pontificatus apicem, *Æneæ Syluij*, vacante, cùm propter Bella Ciuilia, Canonici hinc inde dispersi, ad electionem conuenire non possent, idem *Pontifex Pius II.* Veteri suo Amico *Paulo Legendorf* Nobili Prutheno, Canonico Varmiensi, Scriptori & demùm Prothonotario Apostolico, Episcopatum Varmiensem, pro vno Anno, in Commendam primùm, deinde verò in perpetuum titulum tradidit, eumq́ue *Româ* in *Prussiam* misit, cum literis ad Regem, & Ordinis Magistrum, quibus ab eis postulabat, vt nouum Episcopum, in Sedem & Bona restituerent, ita tamen vt nulli partium, sub amissione Bonorum adhæreret. Atq; ita *Paulus Episcopus* Anno 1460. Mense Maio in Episcopatum suum venit, & Bona licet tardè, & non absq́ue maximâ difficultate recuperauit. Postea Pacis constituendæ gratiâ, multas Legationes, vltrò citròq́ue, quamuis fructu non ita magno, obiuit. Postremò habita sunt in Ciuitate *Elbingensi* Comitia, in quibus Pax confecta & stabilita fuit, cuius occasione *Paulus Episcopus* se & Ecclesiam Varmiensem, *Regi & Regno Poloniæ*, tanquam Defensoribus & Patronis tradidit, prout latius ex pactis perpetuæ pacis, literis Casimiri Regis confirmatis videre licet. Anno Domini 1464.

Idem Pontifex cõfert Episcopatum Varm. Paulo Legendorf.

Episcopatum adit & Bona recuperat.

Pax concluditur. Vigore cuius Episcopatus Varm. Regno Pol. adnectitur

Cùm ad Colloquium cum Magistro Ordinis, *Bartsteinum* accessis-

accesſiſſet, à *Weigelo Leczelt* tibicinâ, qui illi fuit inimicisſimus, veneno propinato, in morbum incidit, atq; ita æger *Braunsbergam* delatus, ſubitò mortuus eſt. Et quoniam propter æſtiuos calores, fætor cadaueris ferri non poterat, nec propter bellicam rabiem, tutum erat, vt Varmiam deduceretur, ibidem *Braunsberga* in Parochiali Eccleſia ante maius Altare tu- Veneno extinguitur.



mulatum eſt, Anno Domini 1471. circa feſtum S. Mariæ Magdalenæ.

Sub hoc Epiſcopo, memorat *Ioannes de Fulſtyn Herbortus Caſtellanus Sanocenſis* virtutis doctrinæ, & natalium claritudine Illuſtris Heros, in ſua chronica, ſeu Polonæ Hiſtoriæ compendio, tum & *Salomon Neügebauarus à Cadamo Pruthenus Grandentinus*, non indiligens rerum Polonarum Scriptor, (Vir niſi à

Religi-

Religione haud aspernabilis) in sua Historia rerum Polonicarum, Marienwerder seu Quidzinum, vbi Pomesaniensis quondam Cathedralis Ecclesia, sub titulo *Sancti Ioannis Euangelistæ* à Cruciferis erecta (supra portam templi visitur adhuc Catholicismi vestigium, effigies *Sancti Ioannis Euangelistæ* opere musino, tum in Ecclesia Cleri Catholici, Canonicorum illius Ecclesiæ, lapides sepulchrales) nunc Cruciferis & eorum supremo Magistro à fide Catholicâ Romanâ descifcentibus, in Lutheranam deformata Synagogam, tum & Frauenburgum, à Polona militia, in Prussiam excurrente captũ direptũq;, vnde tam opulentâ prædâ auctus dotatusq; miles, vt ducenti floreni in capita cederent; Hoc verò contigit antequam *Paulus Episcopus*, desertis Crucigeris, rebusq; eorum inclinatis, partibus *Casimiri Iagellonidis Regis* cum toto se adiunxisset Episcopatu. Cæterùm Cruciferi defectionem hanc Episcopi, acerbioris animi sensu excipiendo, cladem q; à Polonis in Pomeraniâ illatam ad *Osiecum* vlciscendo, *Varmiam* flammâ ferroq; deuastant, segetes in Agris conculcant, non sine lachrymis & fremitu plebis in Episcopum, quasi hac ad partes Regias accessione, Cruciferorum prouocasset immanem rabiem. Porrò hæc aduersa, secuta in breui cum Cruciferis Pacificatio, operâ Nuntij Apostolici Rudolphi Lauantini Episcopi confectâ, leniuit & obliterauit.

Pomesaniensis Episcopat⁹ hoc tẽpore perijt.

Paulus Episc. Regis Poloniæ Protectionem accipit.

Papa Pius Paulo ceu fido imponit Amico
Varmiacam Mitram, qui se Cathedramq; Polonis
Subdit, non potuit factum hoc tolerare Magister
Ordinis, & Paulo dat, serui fraude Venenum.

SCHISMA III.

Concurrentibus VINCENTIO KIEŁBASA & ALBERTO OPOROVIO ortum.

PAulo *Episcopo* Vitâ functo, cùm Ecclesia *Varmiensis*, ob continuas Bellorum tempestates, desolata remaneret; & Canonici hinc inde dispersi, ad noui Episcopi electionem faciendam, conuenire non possent, *Casimirus Poloniæ Rex*, Administrationẽ Episcopatûs Varm. R̃ndiss. Dño *Vincentio Kiełbasa* Episcopo *Culmensi* & Administratori *Pomesaniensi* cõmisit, qui curam eius in se suscepit, dũ Rex aliter de eo decerneret. Is valdè se Amicũ & Beneuolũ, Canonicis Varmien. exhibere cæpit, & ope auxilioq; suo id ad extremũ perfecit, vt Canonici è diuersis partibus, ad Electionẽ Canonicè faciendam, conuenirent, credens futurum, vt ipsemet pro officijs præstitis eligeretur. Sed contra accidit; Nam electus est à Canonicis *Nicolaus* à *Tungen*.

Rex Poloniæ committit Administrationẽ Episcopo Culmensi.

Spe obtinendi Episcopat⁹ Canonicos reuocat ab exilio.

XV.

XV.
NICOLAVS à TVNGEN.



NICOLAVS à TVNGEN Pago. Districtûs *Wormditensis* denominatus, Canonicus Varmiensis, apud *Paulum II.* Pontificem Maximum Breuium Apostolicorum Scriptor. Is Canonicè in Episcopum electus, *Romæ* confirmatus, & ibidem consecratus est. Eligitur Canonice Nicolaus à Tungen.

Paulò post cùm in grauissimum morbum incidisset, ad Ecclesiam tam citò accedere non potuit. Itaq; *Vincentius Kielbasa*, cùm se spe Episcopatus frustratum animaduertisset, cæpit Propter infirmitatẽ ad Ecclesiam non accedit.

Spe frustratus Kielbasa opprimit Incolas & Canonicos.

non magis Canonicos, quàm Ciuitatum etiam Incolas, nouis adinuentionibus persequi & vexare; adeò vt nonnulli ex Ciuibus, in imo turris fundo, durissimo carcere clausi, miserè expirauerint; Alij vxoribus & liberis relictis, fugâ salutem quærere coacti fuerint; Alij grandi pecuniâ collatâ vitam redimebant. In tam miserabili rerum statu, cùm toto biennio miseri subditi versarentur, eò necessitatis deuenerunt, vt obedientiæ dicti *Kielbasæ* renunciantes, de tot grauaminibus apud Regem, per Nuntios conquesti fuerint, qui datis ad eum literis, præcipit vt vitandi tumultûs popularis causâ, ab Administratione Bonorum & Ciuitatum, Episcopatûs Varmiensis abstineret, quod fecit. Interim ab Ordinibus Vniuersi Episcopatus, in Prouisorem assumptus fuit, Circumspectus & Prouidus Vir Dominus *Michaël Ertmannus*, Senator & Conciuis Regiæ Ciuitatis Gedanensis. Cæterùm *Vincentius* acceptis Mandatis Regiæ Maiestatis, cùm è Prouinciâ tardiùs decederet, Subditiq; eius, plusquam Moschouiticæ Tyrannidis Iugum, ampliùs tolerare non possent, conspiratione cum rusticis factâ, eum occidere decreuerunt, nisi maturè ex Episcopatu discederet. Quamobrem diutiùs sibi cunctandam non putauit, & ad solitam residentiam *Lubauiam* profectus est.

Oppressi recurrunt ad Regẽ

Priuatur Administratione.

Eligitur Prouisor.

Cõspiratio cõtra Kielbasam

Quam præuenit suo discessu.

Quoniam autem Rex, in nouiter adepta Prouincia, non facilè habebat cui fideret, vt eum sibi nihilominus deuinctum redderet, Episcopatum *Pomesaniensem* illi regendum tradidit; vtrumq; duriter, acerbè, & paulò imperiosius administrauit, nihilq; aliud egit, quã vt modò hũc, modò illũ, occasione Bonorũ, citando, subditorum Priuilegia & Libertates imminuendo, nouis subinde oneribus & exactionibus, eos obrueret & pessundaret. Quamobrem omnes eum passim, tanquam Auarum & Immitem detestabantur, & quibuscunq; modis poterant, subterfugiebant, adeò vt eius Villæ & Prædia, non solum habitatoribus vacua, sed & ædificijs quoq;, quæ satis egregia antea conspiciebantur, planè destituta ita redderentur, vt ad pristinum statum & splendorem, reduci facile non potuerint.

In recompensam Rex confert Vincentio Administratio nem Episc. Pomesaniæ.

Vtrobiq; grauis.

Ab omnibus exosus.

Anno Domini 1473. Cùm videret *Casimirus Rex* Pruthenos erga *Kielbasam* valdè exacerbatos, Episcopatum Varmiensem, tanquam Patronus, contulit Secretario suo *Alberto Oporowski*, eumq; Pontifici Maximo præsentauit, & confirmari Apostolicâ auctoritate petiuit. Huic Regiæ nominationi, Procuratores *Nicolai* vehementer contradicebant, certis documentis ostendentes, *Nicolaum* non modò Canonicè legitimeq; electum, sed etiam à Pontifice confirmatum, insuper & ordinatum

Rex confert Episcopatũ Varmien. Alberto Oporowski.

tum ac consecratum jam esse Episcopum, vt nec nominationi Regiæ, nec petitioni *Oporouij*, vllus ampliùs locus relictus videatur, eius nihilominus in Vrbe Procurator, eò rem deduxit per Secretas practicas, vt surreptitias Bullas super prouisione dicti Episcopatus obtentas, ad eum miserit; Quibus acceptis *Oporouius*, rem benè confectam credens, ad *Marieburgensem* Capitaneum profectus, ab eo se petijt, in Posſesſionem Episcopatus Varmiensis admitti. Respondit Capitaneus se id facere non posse. Præcepisse Regem vt neminem, absq; particulari Mandato, Episcopatum adire permitteret; Interea curam Bonorum & Ciuitatum haberet, quibus nulli cedere, nisi de voluntate Regia plenè constaret, saluâ fide existimationeq; suâ non posset. *Oporouius* contra asserebat, se eiusmodi mandata, tàm citò habere non posse, quandoquidem Regia Maiestas, longiſsimis terrarum spatijs diſsita, apud *Kijouiam* versaretur.

Contradicitur Oporouio.

Dolo obtinet Bullas.

Tentat adire possessionem, sed frustra.

Interea venit *Nicolaus* à *Tungen* ex Vrbe, & coram Ordinibus & Ciuitatibus *Prussiæ*, Iura & Prouisionem super Episcopatu produxit, rationesq; suas, non solùm literis & sigillis authenticis, sed viuis etiam & fide dignis testimonijs, euidentiſsimè comprobauit. Consiliarij autem Terrarum Prusſiæ, cognitionem huius Causæ, ad ipsam Regiam Maiestatem reiecerunt, & Comitia pro Festo S. Ioannis in Ciuitate *Elbingensi* indixerunt, in quibus vterq; Episcopus, Regiæ Maiestatis responsum accepturus esset. Responsum autem tale erat. Consiliarij causam hanc diligenter cognoscerent; Nemini Episcopatus Posseſsionem adiudicarent, nisi Regi & Regno obedientiam jurejurando polliceretur. Comparuit vtraq; Pars in Comitijs die constituto, *Oporouius* productis literis & documentis, asserebat se à Regiâ Maiestate, qui Ius Patronatus super Episcopatu Varmiensi haberet, Præsentatum, & à Sede Apostolicâ confirmatum esse, cuius rei testes literas Apostolicas ostendens, se admitti ad Posseſsionem Episcopatus, vrgebat. Ad hæc *Nicolaus*, Etsi non constaret de Iure Patronatus, Regiæ Maiestatis, tamen in Præsentationis huiusmodi literis, clausulam hanc Regiam Maiestatem apposuisse. Saluis Priuilegijs Saluoq; Iure Ecclesiæ Varmiensis, Valdè absurdum videri, Dominos Capitulares primæuæ fundationi & Priuilegijs suis nuntium remisisse, nec criminis alicuius reos & conuictos fuisse, vt propterea Libertatibus & Priuilegijs, exui & priuari deberent, quibus in suo robore permanentibus, quandoquidem ipse legitimè electus esset Episcopus, dubium non videri, quin ea sit mens & volun-

Nicolaus à Tũgen producit Statibus Prouisionem.

Cuius cognitionem ad Regẽ reiecerunt.

Responsum à Rege.

Oporouius in Comitijs producit Iura ad Episcopatum.

Idem facit Nicolaus.

H2 tas

tas Maiestatis Regiæ, vt is pro legitimo Episcopo haberetur, qui à Capitulo Canonicè electus, à Sede Apostolicâ confirmatus & approbatus esset: Nam quod ad Confirmationem ipsius *Oporouij* attineret, eam falsam & subreptitiam esse, sibi certò constare, quod vt re & veritate comprobetur, vtriusq; partis Confirmationis Literas, suis sumptibus (quos illico deposuit) paratum se esse in Vrbem mittere dicebat, vt isthic ex Actis Curiæ, cuiusnam literæ veriores essent, peti posit. Intra Biennium quicunq; Ius suum clarè & dilucidè demonstrasset, is absq; vllâ controuersia Episcopus constitueretur. Eam conditionem admittere noluit *Oporouius*, sed totius causæ suæ præsidium, in Patrocinio & Auctoritate Maiestatis Regiæ, constituendum sibi esse existimauit.

Falsitatem Cõfirmationis literis Oporouianis deducit.

Conditionẽ interponit.

Quam Oporouius non admittit.

Consiliarij autem terrarum *Prussiæ*, cùm audiuissent quò se *Nicolaus* demiserit, postulatis eius acquieuerunt, & acceptis Bullis,& pecuniâ per eum depositâ, *Romam* miserunt, vbi repertum est, Domini *Nicolai* Bullas veras, *Oporouij* autem falsas & subreptitias fuisse, vnde Prutheni magis impense *Nicolao* quàm *Oporouio* fauere cæperunt, & quandoquidem Iure potiori niteretur, se Causam illius apud Regiam Maiestatem, ita promoturos receperunt, vt Episcopatu potiatur; Interim autem in Res Episcopatus & Iurisdictionem, se nullâ ratione ingerere deberet, quod se facturum datâ fide promisit.

Error Romæ repertus Bullæ Oporouianæ.

Cæterùm dum *Romá* verificatio Bullarum expectatur, & Rex in *Podolia* versaretur, *Oporouius* armis rem aggredi, & Episcopatum per vim occupare conatus, non absq; suorum cæde reiectus est. Quoniam autem in *Polonia*, propter Familiæ Nobilitatem, multos amicos habebat, collegit statim, tria millia equitum, quibus duos Capitaneos præfecit *Schamnikium* Bohemum, & *Schortzium* Morauum, eosq; ad Bellum Sacerdotale prosequendum,in Episcopatum Varmiensem signa inferre præcepit, qui cùm non paucas Villas depopulati sunt, & non contemnendam prædam equorum, armentorum, aliarumq; rerum ex *Bischsteinense* tractu abigerunt. *Bischsteinenses* collectâ nobilium & ignobilium manu, inter *Vuselacken* & *Bischsteinum* eos insequuti, egregiè vlti sunt, multi cæsi fugatiq; prædâ recuperatâ, vterq; Capitaneus captus,& *Bischsteinum* deductus est. Vnde postea datâ fide, quòd coram Episcopo quandocunque visum esset, se sistere deberent, dimissi fuerunt. Hos belli Sacerdotalis tumultus, egerrimè Consiliarij & Status terrarum *Prussiæ* ferebant: Quamobrem habito *Elbingæ* Conuentu *Oporouio* præceperunt, vt ab armis tantisper abstineret, donec *Romá* re-

Oporouius nõ expectatâ decisione Romanâ militẽ colligit.

Qui ingressus Episcopatum multas Villas depopulatus est & prædam accepit.

Bischsteinẽses eosdem profligant & Duces captiuant.

mâ responsum adferretur; quisnam Iure potior esset. Morem illis gessit *Oporouius*, quòd amissis copijs vires debilitatas haberet.

Nicolaus autem animosior & audacior factus, supramemoratos duos Capitaneos citari fecit, vt datæ fidei satisfacientes, coram illo personaliter comparerent, decretum audituri. Responderunt, illos ad comparendum coram Episcopo Varmiensi tantùm teneri, eum verò nondum pro Episcopo agnoscere, cum decisum non sit, quis legitimus Episcopus esset. Hæc & alia similia, varias *Nicolao* cogitationes ingerebant.

Nicolaus citat Capitaneos ad respondendũ.

Se non teneri respondere nisi coram legitimo Episc.

Habuit is in Aula, egregium quondam Equitem *Hilritter* dictum; hic quodam tempore alloquens Episcopum, Notum tibi est (inquit) proculdubiò quòd *Oporouius*, amisso quem huc miserat milite, nouas practicas in *Polonia* exercet, ac modos & rationes omnes persequitur, vt armata manu Episcopatum tibi eripiat; Quamobrem nisi bono consilio vsus, maturè tuis rebus consulueris, antequam Aduersarius Possesionem adeat. te, tuaq; omnia, in extremum discrimen adduces; Nec est quòd in Pruthenorum & subditorum auxilijs, multùm spei reponas: Nam si Equestris Ordinis hominibus,& nobilitati non semper fidendum, multò minus Oppidanis & Ciuibus tribuendum est, qui superioribus bellis efferati, facile fidei obliuiscuntur, & nuper etiam hoc vltimo prælio demonstrârunt, non minus eorum consilia stabilia permanere, quàm butyrum solis radijs expositum, Nolit itaq; cum maximo damno, & perpetuâ sui nominis Infamiâ, res suas diutius negligere. His & similibus persuasionibus, *Nicolaus* se adduci passus est, vt clam ad ciues quosdam *Heilsbergenses* amicos suos, literis datis, ab eis auxilium peteret, Arcis aliquâ ratione occupandæ. Sed nullus eorum rem aggredi ausus est.

Hilritter consilium dat Nicolao vt tempestiuè rebus suis consulat.

Acceptat consilium.

Intellexit postremò *Michaëlem Ertmannum* Administratorem, sæpius diebus Dominicis compatres suos in Ciuitate solitum accedere, & cum illis hilariter potitare, Arcis custodiâ neglectâ. Quamobrem *Nicolaus*, vt propior esset, *Gutstadium* venit habitâq; notitia, *Ertmannum* morè solito, die Dominico in Ciuitatem iturum, ipse quoq; sub horam vesperarum ad Arcem *Heilspergensem* accurrit, quam veluti visitandi gratiâ ingressus, cum suo *Hilrittero*, & nonnullis familiaribus, portas claudi præcepit, *Ertmanno* in Ciuitate, inter Ciues & Mulieres, cum suis hilariter agente, vt qui nullum periculum extimesceret. Postquam id didicit, ad Arcem cum familia properauit; sed à Nicolao intromissus non est, qui eius operâ se amplius

NicolausHeilspergam capit.

pliùs non egere dixit, Custodes jam esse Domi qui diligentius Arcem seruaturi essent, quàm ille fecisset. Equos nihilominus, Currus & Suppellectilem illi reddi jussit, qui *Gedanum* est reuersus.

Quo offensi Status Prussiæ eius amicitiæ renuntiarũnt.

Factum hoc *Nicolai*, cùm ex *Hertmanno* Ordines Prussiæ cognouissent, indignè admodum ferebant, quòd contra fidem datam, Episcopatus Arcem inuasisset, antequam Pontificis declaratio *Romá* adferretur. Quamobrem cum eo, quòd promissis non steterit, grauiter expostulârunt, & Amicitiæ eius renuntiauerunt.

Recurrit ad Amicitiam Magistri Ordinis.

Ea porro res adegit *Nicolaum*, vt cum Magistro Theutonicorum, Fratre *Martino Truchsio* de *Vetzhausen*, qui recens Anno 1475. in Magistrum electus *Regiomonti* fuerat, Amicitiam & societatem ineundam existimaret, vt eo mediante apud Principes exteros contra Polonos, & Regiarum Partium Pruthenos, sibi præsidium facilius comparare posset, quod etiam subsequutum est: Nam habitá ex integro Episcopatus Possesione, & Subditorum obedientiâ, Arces & Oppida egregiè muniuit, rebusq; necessarijs, contra Polonorum inuasionem instruxit, ac ita demum cum Ordinis Magistro simul conspirarunt, se excusso *Poloniæ Regis* jugo, libertates suas recuperaturos, etiam ad sanguinis effusionem.

Conspirat cum Magistro, ad excutiendũ Iugum Polonorum

Magister hic fuit egregius, prudens, & deuotus, fortis etiam & magnanimus Vir, vt vulgari prouerbio de eo diceretur, Martinum Monachum egregium, & in Campo Leonem esse. Quamuis autem Antecessores eius, post continuum tredecim annorum bellum, pacem perpetuam cum *Casimiro Rege* composuerant, quam Iuramento & sigillis roborauerant, contrarius tamen huic transactioni fuit Magister, hic semper; & animo valdè angebatur, quòd eius Ordo, cum perpetuâ quadam Infamiâ, meliorem Prussiæ partem amiserit, & Polonis subijci permiserit: Quamobrem vias omnes inuestigare cæpit, vt Prussiam è manibus Polonorum eliberare, & in potestatem sui Ordinis redigere posset. Ad hoc tam præclarum facinus aggrediendum, suorum etiam persuasionibus incitabatur, qui sæpius inconcinnè jactabant, eos *Polonis* Bellum omninò illaturos, etiamsi extremam Casei & Panis micam, perdere deberent. Sibi magis gloriosum, qui milites essent, nihil accidere posse, quàm pro Patria fortiter in bello mori potiùs, quàm Inimicis Polonis subijci, Deum ipsum, & Vniuersum Orbem, in eorum præsidium præstò affuturum, qui justam causam habe-

Consilium cõtra Polonos.

Idem suadebãt & Fratres.

rent

rent; Nec eos ad obseruandas perpetuæ pacis conditiones teneri, in quas non liberâ voluntate, sed vi & potentiâ coacti, jurauerunt. Non teneri ad conditiones pacis.

Ad eos motus concitandos, etiam Astrologi clasicum canere videbantur: nam in suis Iudiciorum libellis, publicè affirmabant, hoc Anno Theutonicos, Prussiam è manibus Polonorum erepturos. Sed nihil minus est consequutum: Nam non solum à pecunia erant imparati, sed omnia etiam eorum consilia, retrò, more cancri, ferebantur. Etiam Astrologi suadent bellum aggrediendum. Sed Vana fine Viator ira.

Non latebant ista terrarum Prussiæ Consiliarios, qui Machinationes istas, dolenter admodum ferebant, quæ si erupissent, maximum Prouinciæ damnum creare potuissent.

His ita se habentibus, allatæ sunt ex vrbe literæ, seu Bullæ Apostolicæ, cum declaratione, quòd non *Oporouius*, sed *Nicolaus* Episcopus Varmiensis, per Sedem Apostolicam approbatus fuerit. Gratum hoc fuit nuntium Consiliarijs Prussiæ, qui vnâ cum Ciuitatum Nuntijs *Ioannem* de *Baisen* miserunt, qui Episcopalem Dignitatem *Nicolao* gratularetur, eumq; certiorem redderet, qualiter eius Antecessor *Paulus* Episcopus Anno 1464. in Conuentu Elbingensi, coram Vniuersis Prussiæ Ordinibus, sese obligauerat, quòd vnâ cum Vasallis *Poloniæ Regi* obediens esset futurus, & cum Ordinis Theutonicorum Magistro, tanquam hoste Patriæ, nullum commercium omninò habiturus. Quamobrem moneret vt Antecessoris sui vestigijs inhæreret Episcopus, alioquin res eius non bono loco futuras. Respondit ille; Episcopatum Varmiensem nunquam ad *Poloniæ* Regnum pertinuisse, nec se facile intelligere, quidnam Iuris in illum Rex habere queat: nam licet eius Antecessor, in Conuentu *Elbingensi*, periculosis illis temporibus, promiserit Regi Regnoq; subiectionem, tamen id sub certis conditionibus fieri debebat, nec res ad effectum deducta fuit, quandoquidem non constaret, quòd Rex & Regnum eam obedientiam vnquā acceptauerit; Sed nec ad eā rem Venerabilis Capituli consensus accesit, vt eiusmodi obligatio etiam ad Successores transiret. Cùm itaq; temporibus *Ioannis Streiffrockij*, Episcopatus hic Sacro Romano Imperio incorporatus fuerit, nec ab eo discessionem vnquam fecerit, se nullum alium pro Ecclesiæ suæ Patrono, agnoscere præterquam Imperatorem. Et quandoquidem *Poloniæ Rex*, Secretarium suum contra Iura & Priuilegia Varmiensis Ecclesiæ, cum maximo damno, Episcopum intruserit, se multò minus etiam eum pro Domino habi-

Bullæ de Vrbe adferūtur pro parte Nicolai. Ordines Prussiæ gratulātur Nicolao cum admonitione. Responsum Episcopi.

turum & accepturum. Porrò cum vidissent Nuntij apud Episcopum nullum esse Consiliariorũ admonitioni locum, profecti sunt Regiomontem, admonentes itidem Magistrum Ordinis, vt secundum perpetuæ pacis fædera, per Antecessores eius iurata & stabilita, se in obedientia *Poloniæ Regis* contineret. Sed simile ab eo responsum, quemadmodum ab Episcopo retulerunt, qui etiam verbis petulantibus in *Polonos* inuectus est, quòd iniqui, & alieni appetentes essent; oblatam nunc esse egregiam occasionem, Prussiam in Ordinis potestatem redigendi, quandoquidem *Valachico* bello Rex distineretur, quam sibi elabi non facile passurus esset.

Iidem Nuntij descendunt ad Magistrum.

His actis Consiliarij *Elbingæ* conuentum egerunt, & datis ad Ordinis Magistrum & Episcopum literis, eos denuò monuerunt, vt intra sex mensium spatium, Regiæ Maiestati obedientiam præstarent, alioquin vtrumq; Prouinciâ eiectum & deturbatum iri, vt facilius miserorum Incolarum quieti & tranquillitati consuli posit. Regiæ etiam Maiestati, de totius negotij progressu & statu, diligenter perscripturi. Atq; ita miles vtrinq; conscribi, & bellum cæpit apparari.

Monent Proceres Prussiæ Magistrum & Episcopum vt obedientiâ Regi præstent.

Anno 1476. Cum omni ex parte atrox bellum instrueretur, *Nicolaus* Episcopus de rebus suis solicitus, ad Ordinis Magistrum accessit, & denuò cum illo societatem Belli, iuramento vtrinq; firmatam iniuit, additâ etiam hac conditione, vt melius Ordinis Magister, Episcopatum tueri & defendere posset, liceret illi, in Oppidis & Munitionibus, Præsidiarios milites collocare, cui Conditioni vt quamprimum satisfaceret, dedit ad Prouinciæ Liuoniæ Magistrum mandata, vt primo quoq; tempore, tria millia selectorum Militum conscriberet, & ad se in Prussiam transmitteret, quorum Virtute, à Polonorum jugo eliberari, & amicissimum Episcopum, à vi & omni injuriâ illæsum conseruare posset.

Renouatur societas belli cũ Magistro.

Permittit Episcopus in Munitionibus suis Præsidia Magistri.

Liuoniæ Magister vt ad se militem mittat

Respondit ille, quòd superioribus bellis, cum suo milite, plus præstitisset, quàm teneretur, nunc verò Prouinciam milite destituere non posset, quandoquidem in dies & horas *Moschouitarum* irruptiones expectaret.

Responsũ negatiuum.

Cum spe frustratus esset, dedit etiam ad Magistrum Prouinciæ in Germania literas, quibus illi injungebat, vt quàm maximum numerum Militum conscribere posset, in Prussiam contra Polonos, nullâ morâ longiore interpositâ ad se mitteret. Offendit ea res ipsos Ordinis Fratres, qui questi sunt, quòd in prioris Belli apparatum, omnium Bonorum suorum

Idem mandat Magistro Germaniæ.

partem

partem oppignorauerant, partem vendiderant, partem absumpserant; ita vt si noua illis expeditio esset instituenda, ad extremam inopiam deueniendum illis esset. Quamobrem nulla ab illis præsidia hoc tempore expectaret.

Mãdato offensus denegat.

Cùm nec ista ratio congregandi Militis succederet, ex arculâ suâ Romanâ, septem millia ducatorum deprompsit *Nicolaus Episcopus*, addiditq; etiam non contemnendam auri quantitatem, Ordinis Magister, quam pecuniæ summam, Duci *Ioanni* de *Sagen* in *Silesiam* miserunt, obnixè orantes, vt Militem in *Bohemia* conscriberet, & inde per *Neümarckiam* in *Prussiam*, deduceret. Fecit ille quod postulabant, & quatuor millia ex *Bohemis* & *Silesijs* collegit, quæ vt per *Neümarckiam* deducere posset, à *Ioanne Margrabio Brandeburgensi* facultatem sibi concedi petiuit. Negauit is se id facturum, illiq; per eam Prouinciam transitum concessurum, cuius occasione, cum illo non ita pridem, bello decertaret, neq; adhuc ea controuersia sopita esset. Ægrè tulit repulsam hanc *Ioannes*, significauitque *Marchioni*, transitum quem illi denegauit, sibi facilè patefacturum. Pupugit ea res *Marchionem*, quòd *Neümarckia*, non ad eum pertineret sed ad Ordinis Magistrum, qui ratione expensarum, quas Pruthenico Bello in gratiam Ordinis fecerat, sub titulo pignoris, eam Prouinciam ad certum tempus illi, scripto publico obligauerat, tum etiam quòd superiori Anno cum *Ioanne* Duce, occasione *Franckforti*, *Crosnæ* & *Dreznæ*, aliorumq; Bonorum, bello disceptaret, quod nondum sopitum & obliteratum esset. Quamobrem non solùm ex vasallis, sed etiam ex milite mercenario, collectis copijs, transitum Duci *Ioanni* prohibere constitutum habebat. Qui cùm Exercitum nihilominùs per *Neümarckiam* ducere instituisset, persuasus fuit à *Bohemis* & *Silesijs*, vt ne se in periculum conijceret, sed Pacem priùs cum *Marchione* componeret. At tractationes de Pace, adeò in tempus longum protractæ sunt, vt Miles ob victûs inopiam, sensim dilaberetur. Ad eum modum Episcopus & Ordinis Magister, amissâ pecuniâ, nullo operæ precio facto, etiam sumptus, quos in alendum Militem *Ioannes* Dux fecerat, refundere coacti fuerunt.

Episcop. 7000 aureorum dat pro milite.

Cõscribitur miles in Bohemia

Denegatur trãsitus per Neümarckiam.

Transitum per potentiam sibi patefacturũ declarat.

Potentiæ potentiam opponere decernit.

Tandem Tractatur de libero transitu.

Interim miles dilabitur & pecunia data pro milite perit.

Cæterùm *Casimirus Rex*, posteaquam à Consiliarijs *Prussiæ* certior est factus, de nouis hisce motibus, Ordinis Magistrum & Episcopum, de Obedientiâ præstandâ, ad se citari iussit, qui comparere noluerunt, subinde prouocantes ad *Imperatorem*, & *Matthiam Hungariæ Regem*, quorum tutelæ & Patroci-

Citantur Magister & Episcopus.

Recurrunt ad Imperatorẽ & Regem Hungariæ.

trocinio, contra *Polonorum* potentiam se subdidissent. Scripsit itaq; Rex ad vtrumq;, scire cupiens num Magistrum & Episcopum in fidem recepissent. Responsum illi tantùm fuit, à Prouinciæ per *Germaniam* Magistro, in eam Sententiam. Quæcunq; nunc supremus Ordinis Teutonicorum Magister ageret, ea contra mentem Ordinis fieri: Nam cùm in Magistrum Ordinis eligeretur, inter cæteras conditiones, hanc etiam præcipuam fuisse, vt Pacem perpetuam cum Regno Poloniæ constitutam, seruaret & Iuramento confirmaret. Ad hoc itaque faciendum, se illum exhortaturos; alioquin sciret se ab Officio Magistri depositum iri. Interea *Casimirus* exercitum Equitatu & Peditatu egregiè instructum, in *Prussiam* mittere decreuit.

Responsum Regi.

Rex Poloniæ in Prussiam Exercitum mittit.

Anno insequenti qui fuit 1477. die Epiphaniæ, inter *Ioannem* Ducem de *Sagen*, & *Ioannem Marchionem Brandeburgensem*, occasione *Neümarckiæ*, pax confecta & stabilita fuit, etiam cum clausula, vt per *Neümarckiam Ioannes* Dux, in *Prussiam* Exercitum, absq; tamen subditorum damno, ducere posset: Qui vt fidem suam Ordinis Magistro, & Episcopo comprobaret, Bona sua apud *Marchionem Vilhelmum* de *Eichsen*, in non contemnenda pecuniæ summa oppignorauit, & tria millia Equitum *Silesiorum* conscripsit, & ad Ducem Pomeraniæ pro libero transitu misit, cum interminatione, si non concederet, sibi eum ferro & flammâ patefacturum. *Pomeranus* autem qui *Poloniæ* Regi, affinitatis vinculo coniunctus erat, tàm superbo *Ioannis* Nuntio accepto, collectâ suorum manu, ad fines *Prouinciæ* suæ tutandos, statim misit: *Poloniæ* quoq; Rex eidem misso *Choinitiam*, duorum millium Equitum, & sex millium Peditum Præsidio, celeriter succurrit.

Pax inter Marchionẽ & Ducem de Sagen.

Silesiorũ tria millia proCru cigeris collecta.

Per Pomeraniam transitum sibi patefacere minantur.

Sed frustra.

Choinitia forti præsidio munitur.

Cæterùm cùm *Ioannes* loco moturus esset Exercitum, exorta fuit in Castris maxima seditio; Nec enim Miles progredi volebat, nisi de stipendio persoluendo, bonis aliquibus immobilibus obligatis, illi idoneè caueretur; Alioquin barbatis in *Prussia Monachis* se non seruiturum, cùm non ignoret qualiter stipendia persoluere soleat. Dux verò cùm eam cautionem militi dare nollet, res ad extremum eò deducta fuit, vt proclamatum sit, quicunq; in *Prussia* Fortunam experiri vellet, id cuiq; facere liceret. Ita Dux ab expeditione per *Pomeraniam* supersedit, & Bona *Sagen*, quæ *Marchioni Vilhelmo* oppignorauerat, cùm eliberare non posset, deperdidit.

Cõscriptus miles vacillat.

Monachis non fidit cautionẽ vult

Denegata cautione miles absoluitur.

Rex autem *Casimirus*, cùm manifestis argumentis didicisset,

set, rem in rebellionem apertam prorupisse; *Braunsbergæ* pro Dominica Palmarum, Generalia Prouinciæ Comitia indixit, è quibus splendida Legatio, ad Magistrum & Episcopum missa fuit, quâ amicè admonebantur, vt nisi se suaptè omnia deperdita velint, Regi *Poloniæ* obedientiam præstarent. sed nihil apud obstinatos effici potuit, qui satiùs in sanguine proprio se velle suffocari responderunt, quàm vt *Polonis* subijci deberent. Dixerunt adhæc Legati; Nolunt itaq; vitæ & Fortunarum, miserorum vestrorum subditorum, rationem habere? Ad hæc Magister, omnes inquit subditi, non tanti sunt æstimandi, quantùm vnus capillus Dominicorum; Ego me ipsum *Polonis* obijciam, quamobrem me subditis meis parcere aut misereri non conuenit; Me Deus adiuabit, & Inclytus *Hungariæ Rex*, totumq; *Romanum Imperium*, sum hac de re securus. Comitia Braunsbergæ. Monetur Magister & Episcopus. Obstinati ambo. Et Respósum obstinax.

Paulò post Magister, conuocatis omnibus Dominij sui Vasallis, occasione Belli huius *Regiomonti* Comitia habuit, & Nobilitatem, seu Equestris Ordinis homines, in suas partes facilè pertraxit. Cæterùm Ciuitatum Nuntij, sibi planè constitutum esse responderunt, quòd propter obstinationem Magistri, vitam Fortunasq; amittere nollent; Cogitaret secum, quàm rectè illi, in societatem Belli, contra *Poloniæ* Regem, venire possent, cui jam fidem suam obstrinxissent, qui nullam illis occasionem belli dederit. Nec Vires eorum tantas esse, vt contra adeò potentem Regem, arma sumere audeant. Quod si aliquis inimicus, in Prouinciam ad eorum interitum, impressionem faceret, tunc se vitam & fortunas, vltrò exposituros, omniaq; facturos, quæ fideles subditos præstare conuenit. Responsum hoc Magistro non placuit, qui acrioribus verbis Nuntios obiurgauit, quòd ab Ordine Equestri dissentirent; deliberarent ampliùs; quam ad rem, mensis vnius spatium, illis concedebat; sed eo elapso in eadem sententia persistebant, quòd ad injustè suscipiendum Bellum, quod solâ obstinatione Magistri conflatur, nullâ ratione teneri volebant. Comitia Regiomonti Cruciferorum. Votum NunciorumCiuitatum dissuadet bellum. DisplicuitMagistro sententia Ciuitatum. Vt per mésem deliberêt concedit. Perseuerant in suo proposito

Eodem Anno, mortuus est *Bernardus* de *Tinnenberg*, qui à Regiâ Maiestate, Bona *Strasburg* & *Althaus* cum eorum attinentijs, ad suæ & Fratrum suorum vitæ tempora obtinuerat, Eo defuncto, frater statim ad Magistrum scripsit, vt si vellet Bona demortui occuparet, & præsidijs firmaret; qui sexcentos eò Milites misit, & Bona in potestatem redegit, deditq; ad suos *Marianos* in *Germania* Fratres, vt eos languentes excitaret, Literas, quibus significabat, se propemodum Vniuersam *Prus-* Mors Bernardi de Tinnenberg. MagisterStrasburgû & Althaus occupat.

Offensa Regis Poloniæ. Bellum Nicolao Episcopo denuntiatur.

siam breui recuperaturum, cuius rei magna jam essent jacta fundamenta. Eâ res adeò Regem offendit, quod per Episcopum *Cuiauiensem*, tanquam pari dignitate præfulgentem, Episcopo *Nicolao*, Bellum denuntiari jussit; Cæterùm quo minùs id cum Magistro quoq; faceret, preces Fratrum Teutonicorum in *Germania* effecerant, qui Magistrum Regi obedientem futurum, aut officio exutum iri, vt supra dictum est, promiserant.

Bielauius in Prussiam cum Exercitu mittitur.

Marieuerderũ expugnatur & comburitur.

Ecclesia Cathedralis expugnari non potuit.

Itaq; Rex septem millia electorum Militum, Duce *Bielauio* in *Prussiam* misit, qui vt *Marieuerderum* attigit, petijt sibi liberum transitum concedi, quòd haberet in mandatis, ne quid molestiæ, locis Magistro subiectis, inferret. Sed parùm illi Ciuitas fidebat & aditu prohibuit. Itaq; Dux Exercitûs, ciuitatem & Arcem validâ manu aggressus, vtramq; facile expugnauit & combussit; Cathedralem tamen Ecclesiam, ad elegantiam & munitionem egregiè constructam, occupare non potuit, quòd præstantiores robore Viri, illatis eò facultatibus & opibus, suis præclarè se tuerentur & defenderent. Inde

Vartemburgũ Gutstadiũ Scheburgum & Resselium similiter.

Vormdittum deditur vltrò.

Melsacum exustum.

Varmia subacta & Domus Canonicorum combustæ.

Ecclesia Varmiensis in stabulũ conuersa.

Braunsberga defensa.

Braunsbergenses eruptione facta Polonos trucidant.

Heilsberga graui obsidione cingitur.

Bielauius *Vartemburgum*, *Gutstadium*, *Scheburgum* & *Resselium* expugnare aggressus, non absq; suorum clade repulsus fuit, quòd oppida hæc, satis benè munita validis præsidijs, optimè defenderentur. *Vormdittum* cùm aliquot dierum obsidionem tolerasset, vltrò se dedit. *Melsacum* pluribus pilis igneis sæpius petitum, totum deflagrauit. *Frauenberga* siue *Varmia* vim hostium ferre non potuit, qui desolatas Canonicorum hinc inde dispersorum, curias exusserunt. Ecclesiâ verò, equis tribus ordinibus dispositis, pro stabulo vsi sunt. Inde *Braunsberga* obsessa, DEI & Diui *Andreæ* Patroni sui, qui sæpiùs in aëre apparuit, auxilium sensit: Nam Ciues nullo damno accepto, eruptione factâ *Polonos* trucidârunt, & violati ac prophanati ab eis *Varmiensis* templi, justas pænas exegerunt.

Alia porrò Exercitûs *Poloni* pars, Heilsbergam obsidione cinxit, Peditatus à regione Arcis, supra montem ab *Alla* vsque ad *Sinsam*, fossam ingentem duxit: Equitatus verò partem Ciuitatis, quæ campos & *Grossendorffum* respicit, ita cinxit vt nemo ingredi vel egredi portas auderet. Superuenit & recens miles, qui rates nonnullas in *Alla* fluuio construxit, è quibus commodè tormenta bellica, ad Arcis expugnationem explodi

In arce præses fuit Nicolaus Episcopus.

Magister congregat Vasallos ad Heiligenbeil.

possent. Erat tum in Arce Episcopus, qui ad obsidionem ferendam, rebus necessarijs satis instructus erat. Magister autem, societatis cum Episcopo initæ memor, vt Amico in obsidione posito, succurreret, omnibus Vasallis præcepit, vt ad

Heilgen-

Heiligenbeil conuenirent, quorum lustratione factâ, reperta sunt promiscuæ multitudinis, quindecim millia, quæ vt in eodem loco suis sumptibus manerent, mandauit. Interea Exercitus hic, victûs inopiâ pressus, excursiones Commeatûs causâ, in Vicinos Pagos & Oppida faciebat, maximo cum Incolarum damno, qui maximo cum eiulatu subinde conquerebantur, se tantis oneribus ferendis, nullâ ratione sufficere. Quamobrem ad persuasionem Fratrum, Magister decreuit, ex Equestri tantùm ordine, firmanda Arcium præsidia, ciuibus autem renuntiari jussit, vt quò vellent, etiam in malam rem abirent; Ipse ducentis selectis Equitibus comitatus, *Heilsbergam* ire constituit, vt colloqueretur cum Episcopo: qui cùm se spe suâ frustratum, omnibusq; præsidijs destitutum animaduertisset, Inducias cum *Polonis* fecerat, vt cum Regia Maiestate de Pace tractationem inire posset. Eum vt à priore consilio discessisse Magister cognouit, renuntiari illi fecit secretò, quòd conclusum & deliberatum haberet, ipsemet Arcem suis Præsidijs defendere, Episcopum autem securitatis causâ, Regiomontem transferre. Sed Episcopus coram cum ipsemet, ad colloquium venire recusauit, dicens se in ardentem febrim incidisse; quamobrem si quid vellet, scripto cum illo ageret. Offendit ea res Magistrum vehementer, quòd socium suum parùm sibi fidere animaduerteret. Quamobrem videns se à Rege Hungariæ, ab Imperatore, & expectatione eius militis, quem in *Silesia* conscribi jusserat, tum à Vasallis quoq; suis, omni præsidio destitutum; Sociumq; Episcopum Pacem à Rege petere; Consiliarijs *Prussiæ*, per subditos suos, (non suo tamen nomine) denuntiari fecit, vt ab illis locus, & tempus de tractanda Pace, constitueretur. Indicta sunt itaq; pro festo S. Vrsulæ, in *Elbingensi* Ciuitate Comitia; In quibus subditi Magistri & Episcopi comparuerunt, paratos se ad obedientiam Regiæ Maiestati præstandam asserentes, modò tempus aliud illis constitueretur, quo de ratione totius negotij ad exitum deducendi, certi aliquid concludi & definiri possit. Etsi autem Domini Consiliarij facile videbant, miseros subditos rem suam agere, qui se tot bellis implicari molestè ferebant, dederunt tamen eorum petitioni locum, & alia Comitia pro festo *S. Nicolai Thorunij* indixerunt, in quibus cum nullus nomine Magistri & Episcopi comparuisset, cæpit illicò, mandante Rege, miles Polonus, qui alioquin sub Inducijs modestè se gerebat, furere & populationibus ac cædibus, miseros colonos vexare, & acriter

Selectis ex Equestri ordine, Ciues abire fecit.

Episcopus Inducias cum Polonis sancit.

Episcopus colloquium cum Magistro subterfugit. Destitutus omni præsidio.

Locum tractatuum petit.

Comitia Elbingæ pro festo S. Vrsulæ.

Alia Comitia Thorunij pro festo S. Nicolai. In quibus nemo ab Episcopo & Magistro comparet.

MilesPolonus vexat non solum Episcopi sed etiam Magistri ditiones.

Heilsbergam oppugnare: In ipsis Episcopatûs confinijs, etiam Magistri Ditionem inuasit, & circa *Bartsteinum*, *Naydemburgum*, ac *Passenheimum* flammâ ferroq; absq; vllâ misericordiâ desæuijt. Hîc iterùm Coloni tàm Magistri quàm Episcopi, calamitates suas deplorauêre, & magnoperè de Dominis suis conquerebantur, quòd nec Pacem constituerent, neç subditos tuerentur. Petiuerunt denuò Comitia congregari, quæ pro festo Epiphaniæ *Elbingæ* habita fuerunt. Ibi se per Nuntios excusabant, quòd cùm *Hungariæ Rex*, cum *Casimiro Rege Olomucij* in *Morauia*, Pacis tractandæ summam in se recepisset, *Thoronium* ad proximè præterita Comitia, venire non poterant. Responsum illis est acriter à Dominis Consiliarijs; Eos non ita obturatas nares habere, vt odorari non posint, vnde dilationes istæ veniant, quæ tot insignibus mendaciorum pallijs, obteguntur & velantur. Pro vltimâ declaratione, se breue tempus ad festum duntaxat Purificationis, illis concedere, intra quod si Homagium Regiæ Maiestati non præstiterint, sciant in se flammâ ferroq; animaduersum iri. Elapso tempore, nihil eorum quæ debebant, Magister & Episcopus præstitit, sed nec facti sui excusationem aliquam attulit: Quamobrem statim per literas, Rex Magistro bellum denuntiat, & decem millia Militum in *Prussiam* misit.

Tertio Comitia assignantur pro festo Epiphaniæ.

Tempus reflexionis ad præstandum homagium.

Spreta beneuolentia excâdescit.

Interea Magister, conuocatis omnibus Ditionum suarum Ordinibus, Literas Regias quibus Bellum illi denuntiabatur, exhibuit, Fidei ac Officij admonuit, vtq; in hac tam extrema necessitate, maiorem alacritatem & constantiam, quàm hactenus fecissent, illi comprobarent, postulauit. Ad ea, habitâ priùs deliberatione, & inter se consultatione, Status responderunt. Nihil cum illis initio de Bello hoc, communicatum fuisse: itaq; nihil etiam nunc de Belli huius subsidio, quod peteret, illos scire velle. Quod sibi quisq; intriuit, id comederet. Quandoquidem ipse absq; causa, cum eorum sanguinis effusione, Bello Sacerdotali sese implicauerit, vt eorum clade & interitu, nominis celebritatem acquireret, eos voluntati suæ morem gerere, nullâ ratione teneri. Monebant itaq; vt absq; longiori procrastinatione, juxta condictas perpetuæ Pacis conditiones, in verba Regis juraret, & sic cladem à Vasallis & Ditionibus suis auerteret. Iratus hoc responso Magister, & assumptis non paucis sui *Mariani* Ordinis Militibus, & Nobilibus, in Vniuersum circiter Ducentis Equitibus, cum eis animum, aliquid cum laude aggrediendi, declarasset, ipsiq; præstò

Magister Ordinibus suis extremam necessitatem exponit.

Responsum Ordinum.

Responso hoc iratus Magister.

sese

se se illi in omnibus, quæ ad nominis eius dignitatem pertinerent, obfuturos pollicerentur, statim *Heilsbergam* contendit, & ex improuiso adortos plures *Polonos* interfecit, rateq; supra *Allam* fluuium, cum triginta militibus egregijs, & viginti tormentis bellicis maioribus, quæ mutuò ab *Elbingensibus* & *Gedanensibus* acceperant, in potestatem reductâ, in sequenti die, tormentis secundo flumine abductis, *Bartsteinum* re feliciter gestâ reuersus est, nec tentandum ampliùs Martis aleam cum *Polonis* arbitrabatur, qui aliquot millia benè instructa habebant.

Aggreditur Heilsbergam.

Ratem cum tormentis capit & abducit.

Poloni cladem illatam vlturi, eum insequuti sunt, & in fuga plures è Marianis militibus interfecerunt.

Poloni cladem illatam vlciscuntur.

Tandem cùm Rex *Casimirus*, maiora in dies Militum præsidia *Heilsbergam* submitteret, & *Polonus* in Ditionem Magistri, subinde excursionem faceret; Et illi in quorum spem Magister Bellum hoc susceperat, nulla suppeditarent Auxilia, Magister cum Episcopo, ad præstandum Regiæ Maiestati homagium consenserunt, non tamen vt Rex, sed vt ipsi vellent, vtq; *Strasburgum* & *Althausum* penes Ordinem remaneret. Ad extremum res eò deducta fuit, vt datis obsidibus, se pro festo *S. Ioannis* ad Regni Comitia venturos, & obedientiam Regi præstaturos, pollicerentur: Atq; ita Polonica Præsidia, ex Episcopatu deducta, in *Marieburgensi* tractu collocata fuerunt, quæ Colonis cum vastatione agrorum, non leuia damna inferebant.

Ad præstandũ homagium Magister cum Episcopo consentiunt. Dantur obsides.

Anno Domini 1479. ad diem *S. Ioannis* de mense Iunio, habito saluo conductu Regio, Magister & Episcopus, copioso Comitatu, *Petricouiam* ad Regem simul venerunt. Magister nigro, Episcopus rubeo panno, vestitam familiam habebat. Aderant quoq; ibidem Regij Terrarum Prussiæ Consiliarij. Post aliquot dies, cùm Magister & Episcopus in Senatum deducti essent, Rex apertis & disertis verbis, Rebellionem illis exprobrauit, Illi post breuem facti excusationem, Misericordiam Regis implorauêre. Oblata demùm fuit Magistro formula, in quam iurare deberet; hanc ille acceptare noluit, declarans se non alia vsurum, nisi quam ipsemet conscripsisset, eâ conditione abiectâ vt *Strasburgum* & *Althausum* Ordini concederetur, nec eo nomine à quoquam ampliùs molestaretur. Rex eò condescendere nullâ ratione voluit. Eam absq; contradictione acceptauit Episcopus, & procumbens in genua, præeunte Vice Cancellario, verbis conceptis solenniter absoluit. Rex verò statim eum in gratiam recepit, publiceq; promisit, quòd

Magister & Episcopus Petricouiam veniunt.

Disputatio circa formam Iuramenti cum Magistro.

Episc. acceptat formã & exequitur. Rex ei gratiam spondet.

excessus

exceſſus quicunq; fuerunt, nullum nec illi nec ſuis, perpetuis futuris temporibus, periculum creare deberent. Articuli etiam, ſiue concordata fuerunt conſcripta, qualiter in poſterum ſe gerere teneretur Epiſcopus.

Vt vidit hæc Magiſter, in admirationem verſus, elatâ voce exclamauit; *O doloſe Iuda quid feciſti!*

Reconciliatus Epiſcop⁹ Regi Heilsbergā redit.

Conſcriptis tandem & obſignatis Concordatorum Articulis, Epiſcopus *Petricouiâ Heilsbergam* redijt, quem aliquoties Magiſter inuadere tentauit, vt eum manu propriâ, tanquam datæ fidei, minùs tenacem confoderet. Perſtititq; in ſuâ obſtinatione Magiſter, nec aliâ homagij formulâ, niſi quam ipſe confeciſſet, vti voluit; quòd in *Matthia* Rege *Hungariæ* ſpem adhuc repoſitam haberet. Interea miſſa cum quadringentis equitibus, ab eodem *Hungariæ* Rege, ſplendida Legatio, ad Regem, dum in *Noua Ciuitate* eſſet, ſuperuenit; quæ inter cætera adferebat & hoc. *Regem certò ſibi perſuadere debere, ne vnum quidem Equum, in gratiam Ordinis Teutonicorum Magiſtro, ſellâ inſternere conſtitutum haberet.* Iniecit ea res terrorem Magiſtro, & omnibus Ordinis *Mariani* fratribus, qui in mærore poſiti, coram Rege ſeſe humiliauêre: & juxta formulæ præſcriptum, obedientiam jurare volebant. Sed Rex non admittebat, vt Aulam eius ſequi cogerentur; ita fiebat, vt in ſumptum equos & currus diſtraherent. Ad extremum tamen *Hungariæ* Legatus id effecit, vt Rex à Magiſtro, tanquam obſtinato & inquieto homine, obedientiam homagij acceptaret, qui ſeſe ita obligare coactus fuit, vt *Poloni* volebant.

Venit Legatio ex Hungaria ad Regem. Declarat Legatus ſuum Regem ne Equū quidem ſuppeditaturum Magiſtro.

Declaratione tantâ perterrefactus Magiſter acceptat formam Iuramenti.

Ad inſtantiam Legati Hungariæ, admittitur ad præſtandum Homagium Magiſter.

Redit Regiomontem.

Inde Regiomontem, animo valdè exacerbato redijt Magiſter, ſubditis ad extrema vitæ tempora valde grauis, quòd eius cupiditati in Bello proſequendo, contrarios ſe præbuerunt: Fortunâ ſemper contrariâ vſus. In Epiſcopum *Nicolaum* valdè inuehebatur, eum proditorem appellabat, ac in Eccleſiaſticâ Iuriſdictione, quam ad ipſam vſque Regiomontanam Ciuitatem habuit, ſemper impediebat.

Infenſus ſemper Epiſcopo.

Porrò cum Epiſcopo *Nicolao*, infraſcriptis conditionibus pax confecta & ſtabilita fuit. *Primò.* Quòd Epiſcopus Varmienſis cum Capitulo, Regem *Poloniæ* pro Domino & Protectore, perpetuis temporibus agnoſceret.

Secundò. Quòd quilibet Epiſcopus Varmienſis, tertio Menſe ab obtenta confirmatione Sedis Apoſtolicæ, perſonaliter coram Regia Maieſtate, ſi in Pruſsia fuerit, ſin minùs in

Arce Marieburgensi, comparere, ibiq; in Ecclesia majori, coram summo Altari, in manibus vnius Episcopi, per Regem deputandi, in præsentia Consulum Ciuitatis *Thorunienſis Elbingenſis*, *Gedanenſis*, & Palatini ac Capitanei *Marieburgenſis*, Regiæ Maiestati fidem & obedientiam jurare teneatur, quod Fædus & societatem cum nullo Mortalium, absq; scitu & voluntate Regia, quouis prætextu nunquam inibit.

Tertiò. Quòd si quis Episcopus homagium tale præstare recusauerit, debent eius subditi à Iuramento Fidelitatis, absoluti censeri, & à Rege Poloniæ dependere.

Quartò. Quòd Omnes Vasalli, coram Comissarijs, Regiæ Maiestati jurare, & singulis decem annis Iuramentum huiusmodi renouare teneantur.

Quintò. Quòd Canonici *Varmienſes*, & Generalis Aduocatus, post vnius mensis ab assumptione decursum, jurare ibidem sint obligati. Aduocatus autem subditus Regis, aut Bona immobilia in Episcopatu posſidens, esse debeat.

Sextò. Quòd in Episcopum is eligatur, qui Regiæ Maiestati gratus sit futurus.

Septimò. Quòd Ecclesiastici cùm inuestiuntur, Regi jurare teneantur.

Octauò. Quòd Vasallis, qui in Iudicijs ab Episcopo se grauatos sentiunt, liberum sit ad Regiam Maiestatem prouocare & appellare, & qui causâ ceciderit, victori sumptuum partem refundere teneatur.

In eos Articulos, cùm Episcopus & Nuntij Capitulares jurassent, domum reuersi, ob præterita Bella desolata inuenerunt omnia. Atq; ita sacerdotali bello finis est tandem impositus.

Nimis peruulgatum est, Casimirum Iagellonidem Regem Poloniæ, Liberam Episcoporum à Collegijs Canonicorum electionem, primùm in Basilica Cathedrali Cracou. à Morte *Thomæ Stzempinij*, acrioribus etiam medijs, nominatione sibi vsurpatâ, sustulisse penitusq; extinxisse, quod ad alias in Regno Ecclesias deriuatum. Ius hoc Regium Varmiensem Ecclesiam, quæ prisci moris liberam retinebat electionem, complecti censebatur, quæ recenter cum Prussia intolerabile jugum, crudumq; Crucigerorum dominium excutiendo, in ditionem deditionemq Regis Casimiri concesserat, eò Iuris quæsiti colore, *Nicolaus Tungenus* electus à Collegio Canonicorum, & à Sede Romanâ confirmatus, inuitus ad Caminen: in Pomerania Ducali

Quando libera Electio Ecclesiæ Cracou: sublata.

Cathedram, quæ nunc Lutheranâ mephiti oppressa, fiscum auget Electoralem, transferebatur; *Alberto Oporouio* eidem, Rex Successorem designante, impensiusq; promouente. Nihilominùs *Niçolaus Tungen* Pontificis summi fultus Patrocinio, tum & fauore Pruthenæ Nobilitatis, quæ ægrè ferebat Polonos, pane pasci Prutheno; Possessionem Varmiensis retinuit Episcopatus. Hinc illæ lacrymæ quòd Regi fuerit obliquus, cùm Rege Hungariæ *Matthia*, qui cum *Casimiro* apertam exercuit hostilitatem, consilia & armorum aliquam, contra *Casimirum* fouit colligationem. Tandem pacis tractatu inter *Casimirum* & *Matthiam* concluso, *Tungenus* vigore eiusdem, Reconciliationem gratiæq; redintegritatem *Regis Casimiri* obtinuit. Veniens verò Petricouiam, ad pedes Regis prostratus, Regiam placauit indignationem, permissumq; illi retinere Episcopatum Varmiensem, ijs acceptis conditionibus quæ supra positæ sunt; & is in hunc vsq; diem eligitur Episcopus, qui grata Regi persona, Regiâq; Nominatione seu commendatione designatur. Stemmata ipsius in hunc vsq; diem visuntur in fenestris templi, tum in testudine supra maius Altare; Aniuersariumque eius in hunc vsq; diem extat, florenorum sexaginta.

Episcopus redintegratione gratiæ Regis obtinet.

Hic Episcopus *Nicolaus* in maxima rerum varietate, & perturbato statu, multa perpessus, administrauit Episcopatum vsque ad Annum 1489. Excessit è viuis die 14. Febr. eiusdem Anni. In Ecclesia *Varmiensi* sepultus, vnâ cum alijs quiescit.

Detrectat Regis Casimiri, agnoscere Sceptra,
Vnitaq; manu cum Fratribus Ordinis, Arma
Et parat & sumit, sed Bello lassus adorat
Regales fasces, iuratq; in Regia Verba.

XVI.

LVCAS WEISELRODT.

LVCAS WEISELRODT alias de *Allen*, *Thoruniensis*, Iuris Vtriusq; Doctor, Canonicus *Varmiensis*, à Capitulo legitimè electus, *Romæ* confirmatus & consecratus Episcopus, In *Prussiam* veniens, quietam Bonorum Episcopatûs Possessionem assequutus est. Rex tamen *Casimirus* nonnullis de causis illi infensus, dignitatem hanc ad eum delatam ægrè ferebat, & quan-

Lucas eligitur legitimè à Capitulo.

Electio hoc Regi non gustum fuit.

& quandoquidem pro veteri Priuilegio, nullus in Polonia, absq; scitu Regis, in Episcopum promoueri posset, de eo, loco amouendo valdè cogitabat. Sed quoniam Episcopatus Possessionem habebat, & Vir doctus, Pius, linguarum peritus, & adeò vitæ exemplaris erat, vt eum ridentem nullus vnquam viderit, Senatores Prutheni eius defendendi curam susceperant, ne

Lucas Vir pius doctus linguarum peritus. Senatores Prussiæ eum defendunt.



quid Rex in eum durius statueret, qui etiam ætate valetudineq; fatigatus, eum facile tolerabat. Rege mortuo, Successores singulari quadam beneuolentiâ eum prosequebantur. *Sigismundus* præsertim, qui operâ illius in maximis quibusque negotijs libenter vtebatur, & Capitaneatus *Starogardensem*, *Stumensem*, *Christburgensem* illi locauerat.

A Sigismundo Rege adamatur.

Administrator tam in spiritualibus quam temporalibus optimus.

Ecclesiam Varmiensem non minùs in spiritualibus quàm temporalibus, adeò rectè prudenterq; administrauit, vt ex censibus Episcopatus, quindecim marcarum millia, in reditibus annuis habuerit, quam pecuniam non in propinquos & consanguineos, sed in Ecclesiarum necessitates, & Prouinciæ suæ commodum, & vtilitatem liberaliter impendebat: præsertim verò preciosa ornamenta, & sacra vasa plurima, multis Ecclesijs summâ cum alacritate largiebatur. Eius tempore Anno videlicet 1497. Arx *Heilspergensis* tota conflagrauit, in quam reficiendam plurimùm impendit.

Arx Heilsbergensis conflagrauit.

Diffidentia Episcopi cum Teutonicis.

Cum Ordine *Teutonico* in *Prussia* parùm illi conueniebat, Et nisi *Fridericus Saxo* Ordinis Magister, Probus Vir & quietus esset, magnas procul dubio à Fratribus molestias pertulisset Episcopus, qui non minùs illis, quàm illi ipsi erant infensi, quòd eorum progressus multis in rebus, valdè impediret, præsertim in Generalibus Regni Poloniæ Comitijs *Posnaniæ* habitis; vbi Milites *Mariani* congregati ingeniosè supplantare conabantur Regem; Instabant enim mirum in modum apud Regem, vt illis Administrationem totius *Prussiæ* concederet, pro annua quinquaginta millium florenorum pensione. Et multi credebant, rem effectum habituram; Cæterùm *Lucas* Episcopus, subornatis Senatoribus, negotium impediebat, & palam profitebatur, si Ecclesiarum Bona, & res Cleri in *Prussia*, in bono & securo statu constituere vellent, cauerent diligenter, ne auari & inquieti homines, denuò potentiâ & viribus augeantur.

In Comitijs Posnaniæ obstitit se intentionibus Cruciferorum.

Iudicium Episcopi de Crucigeris.

Indignati ob hoc Fratres, vt Episcopum vlciscerentur, *Archiepiscopum Rigensem* induxerunt, vt *Lucam* ad *Synodum* in *Liuoniam* euocaret; sed eò non est profectus Episcopus, & se per literas excusauit, quòd Maioritatis & Exemptionis jure gauderet.

Ad Synodum euocatur.

Dat rationes absentiæ.

Post modùm cùm Episcopus, è Nuptijs Regijs, quas *Sigismundus* cum Comitis *Ciliæ* Filia celebrabat, *Cracouiâ* in *Prussiam* reuerteretur, *Thorunij* in Patria sua in grauem morbum incidit, ex quo mortuus est, & *Varmiam* delatus, cæteris Patribus appositus fuit Anno 1512. Dominicâ Iudica.

Mors Lucæ Episcopi.

Hic Episcopus *Lucas*, per Fratrem *Ioannem Symbaliensem Episcopum*, Suffraganeum suum, qui Parochiam in *Kiuiten* obtinebat, Monasterium *S. Antonij Varmiæ* fundauit, & obtentis ab eorum Præceptore *Wismarij* sex huius Ordinis Fratribus, eos in illo, rebus omnibus ad necessitatem decenter instructo,

Monasterium S. Antonij fundat.

Wismaric Monachos adducit.

colloca-

collocauit. Inter eos erant præcipui tres pij & eruditi Patres, qui multa bona opera in Prouincia faciebant, asſiduè pauperum, infirmorum curam gerendo, eos ad benè moriendum præparando, Miſſas celebrando, Verbum DEI, quocunque ab Epiſcopo mitterentur, cum maximo fructu prædicando. Ita fiebat vt Ordo hic nouus, magnam in *Pruſſia* Sanctitatis opinionem acquireret, & piorum Eleemoſinis optimè ſuſtentaretur, & omnibus rebus neceſſarijs ſatis abundaret. Cæterùm cùm illi receſsiſſent, ſucceſſerunt in eorũ locũ alij Fratres, longè prioribus diſsimiles, qui magis ſecularia quàm ſpiritualia curabant, populoq; perſuadebant, quòd *Diuus Antonius* eorum Patronus, dominium ignis in cælo obtineret, ſe non eſſe Monachos ſed Sancti *Antonij* Domnos. Si quis *Diuo Antonio* porcum cum eleemoſina offerret, eum in jumentis nullum damnum ſubiturum; Si qui eorum Porcis (qui pro ſigno campanellam auribus appenſam gerebant) coretum frumenti pro paſtu offerrent, eos pro quolibet Coreto, quinque annos de Indulgentia, & peccatorum venialium remiſsione, conſequuturos. *Habebant* etiam in *Sulaua Marieburgenſi* domicilium, vnde non contemnendam pecuniæ ſummam, & bonum numerum porcorum acquirebant. Hyeme verò domos obibant pro *Sancti Antonij* porco, dimidiam hordei menſuram exigentes. Qui autem in ſocietatem adſcripti eſſent, ij menſuram integram pendere tenebantur. Hæ & ſimiles exactiones *Albertum* Ordinis Magiſtrum induxerunt, vt eos Prouinciæ ſuæ aditu prohiberet, licet antea, vt eius dominia viſitarent, annuatim quadraginta Marcas illis donare ſolitus fuerit. Cum ebrietate vitam ſcandaloſam coniunxerant, vnde in contemptum apud homines adeò venerant, vt etiam à ruſticis paſsim Porcorum Papæ, vel Porcini Epiſcopi, per ignominiam vocarentur. Eos quidam eorum Præceptor, pius & doctus ſenex, viſitaturus aduenerat, vt improbos & à religionis profeſsione alienos eorum mores, emendaret & corrigeret, cumq; eos ebrietatis nomine vehementer obiurgaret, quidam arrepto fuſte, eum in capite adeò grauiter percuſsit, vt in terram decidens, paulò poſt è vulnere deceſſerit, Percuſſor autem fugâ ſibi conſuluit. Deinde Succeſſor *Lucæ*, *Fabianus Epiſcopus*, voluit eos viſitare, ſed nullâ ratione id permittere volebant. Interim noua *Lutheri* Hæreſis nonnullos inuaſit; quamobrem Epiſcopus *Fabianus* eos ferendos non putauit, & ea quæ à *Luca* prædeceſſore attributa

Tres eorum magnum fructum prædicando faciunt.

Cum magna opinione ſanctitatis.

Succeſſores eorum lõge diſſimiles.

Domnos ſe vocant.

Pro Porco emendicant.

Scandaloſè viuunt.

Viſitatorẽ vulnerant.

Epiſcopo viſitare ſe non per mittunt.

erant, illis ademit. Illi verò locum & hospitale, Venerabili Capitulo restituerunt, & abinde recesserunt.

Hic nunquam vt fertur risit, tamen omnia læta
Varmiensi Terræ præstat: Nam pace quietâ
Floruit, & mensa est multis prouentibus aucta,
Arx Heilsbergensis flammis absumpta, renata est.

XVII.
FABIANVS.



Fabianus eligitur in Episcopum tunc subdiaconus.

FABIANVS ex Nobili de *Lusianis*, tractus *Resselensis* natus, Iuris Vtriusq; Doctor & Canonicus *Varmiensis*, Vir doctus

doctus & Vrbanus, sed paulò effæminatior & mollior fuit: nam omnem administrandi rationem, Matri, quam *Heilspergæ* ad latus semper habebat, permiserat. Electus à Venerabili Capitulo Episcopus, ad *Regem Sigismundum* ipsemet profectus, eidem homagium, tanquam Domino & Protectori præstitit, cùm tantùm Subdiaconus esset, à Suffraganeo suo Fratre *Ioanne* Simbaliense Episcopo, in Ecclesia Parochiali *Heilspergensi*, Sacerdos primùm ordinatus, deinde Episcopus consecratus, primum & vltimum Sacrificium Missæ celebrauit, nec vnquam in altaris officio, ministrasse visus est.

Post electionem homagiū Regi in persona sua præstat.

Ordinatus & Episcopus cōsecratus semel in vita celebrauit.

Paulò post mortuo *Friderico, Georgij Saxoniæ Ducis* Fratre, electus fuit, Trigesimus quartus Ordinis Teutonicorum Magister, *Albertus Marchio* de *Auspach* Acolitus & Canonicus *Coloniensis*, viginti quatuor circiter Annorum Adolescens, sed in rebus tractandis sagax, & adeò magni & excelsi animi, vt parem non facilè ferret. Quo tempore in Magistrum eligebatur, fuit in Castris *Imperatoris Maximiliani*, cùm obsidionem *Patauinam* solueret. In eo Bello modum oppugnandarum Vrbium, & artis militaris rationem didicit. Et quoniam Regis *Sigismundi* sororis *Sophiæ* filius erat, eò libentius, Fratres Teutonici illum sibi Principem delegerunt, quòd Ordinem à *Polonorum* jugo liberaturus sperabatur, quandoquidem aliorum quoq; affinium, vel Consanguineorum Principum potentiâ, inniteretur; Pater tamen ipsius *Fridericus Marchio* de *Auspach* consentire noluit, vt filius delatum Magni Magistri munus acceptaret, donec splendidâ Legatione missâ, id ab eo vniuersus Teutonicorum Ordo impetraret. Sed & *Maximilianus Imperator*, Patre & Filio in consilium euocato requirebat, vt ne detrectaret. Cùm itaque Munus accepisset, Crucigeri cum maximo Triumpho eum, ad Ordinis Ciuitatem *Mergethum* in *Franconia* deduxerunt, vbi Pallium album, nigrâ cruce insignitum, pro Ordinis veteri instituto accepit, & aliquot dierum consultationem cum Fratribus habuit, quâ ratione pax in perpetuum stabilita, infectâ reddi, & *Prussia* tota in Ordinis Potestatem redigi posset. Iurauit etiam ibidem *Maximiliano* Cæsari, & Imperio Romano fidem & obedientiam. Tandem obtentis Passus, quas vocant Literis, vt per *Poloniam* liberè in *Prussiam* peruenire posset, à Fratre *Marchione Casimiro*, cum maximo & honorifico nobilium comitatu, in *Prussiam* deductus est, Anno Dñi. 1512. die 22. Nouemb: Diuæ Cæciliæ sacro. Ingressus autem *Regiomontem* cum quadrin-

Albertus Marchio in Ordine 34. Magister Anno 1511.

Dum eligebatur in Castris fuit.

Sororis Sigismundi Regis Sophiæ filius.

Pater consentire non vult.

Imperator suadet.

Introducitur Mergethum. Pallium cum cruce accipit.

Cōsultatio de excutiendo Iugo.

Iurat Imperio & Imperatori.

In Prussiam deducitur. Regiomōtem introducitur.

gentis Equitibus, Pallio nigro lugubri vsus est, propter Matris, quæ non ita pridem Vitam cum Morte commutauerat, obitum.

Homagium Regi & Regno Poloniæ præstare recusat.

Admonitus à Rege *Sigismundo* sæpiùs, vt juxta transactionem cum Prædecessoribus eius factam, Regi & Regno *Poloniæ* homagium præstaret, & in perpetuæ Pacis conditiones juraret; id facere nullâ ratione volebat, quòd totus in ea ratione versabatur, vt amissam *Prussiæ* partem, recuperaret, suoq; Ordini adiungeret: quam ad rem vt sese maturiùs præpararet, perditos quosque homines, qui sibi Nomen Militum vsurpabant, facile tolerabat. Hi non solùm vicinos è propinquo infestare, sed sæpiùs etiam in Episcopatum, excursione factâ Parochis & Miseris Colonis, damna inferre, immò & Pagos exurere solebant; idq; eo consilio maximè fiebat, vt Rex injurijs Vasallorum commotus, prior Magistro bellum denuntiaret: qui incredibili quadam pugnandi cupiditate accensus, cum nonnullis Principibus contra *Polonos*, societatem & fædus inierat, nempe cum Magno *Moschouiæ* Duce, cum Rege *Daniæ*, *Magistro Liuoniæ*, *Marchione Brandeburgensi*, *Duce Brunsuicensi*, Magistro Ordinis per *Germaniam*, *Marchione Casimiro* de *Auspach* eius Fratre; Idq; eo prætextu faciebat, quasi à Sacro Imperio Romano, post Cæsaris *Maximiliani*, qui jam ad extremam senectutem deuenerat, obitum, Generalis Dux Exercitûs constitutus esset.

Homines petulantes fouet.

Episcopatum infestant.

Pagos exurũt.

Contra Polonos fædus init cum Principibus.

Prætextu alio.

Hæc magnâ ex parte acta sunt Anno 1516. quo etiam tempore, Bonorum direptiones, & populationes in Episcopatu *Varmiensi*, ita exercebantur, vt non solùm foris, sed nec domi quidem securè agere cuiquam liceret. Quæ cùm per eam *Prussiæ* partem, quæ ad Regem pertinet, vbiq; sparsa ac diuulgata essent, accidit, quòd Pauper quidam sed animosus Nobilis, Ordinis Teutonicorum Vasallus, Ciuibus *Elbingensibus*, & Canonicis *Varmiensibus*, propter contumeliosa ab ipsis in eum prolata verba, fauore & auxilio Fratris *Vilhelmi* Comitis de *Eisenberg* fretus, hostiles inimicitias denunciauerit, & mercatorum *Elbingensium* Bona, in via publica diripuerit; sed & duos Canonicos, qui *Melsaco*, *Varmiam* proficiscebantur, in ipso *Melsacensi* saltu adortos cepit, & captiuos abduxit: vnde breui *Hillebrandus* (hoc enim nomine vocabatur) non contemnendas opes, tantumq; nomen sibi comparauit, vt ab eo, suisq; omnes sibi passim metuerent. Quamuis autem *Elbingenses* vnâ cum Capitulo, grauiter de *Hillebrando* eius Domino

Nulla securitas in Episcopatu.

Hillebrandus Nobilis Ordinis Teutonici pauper quid facit.

Canonicos captiuat.

Ab omnibus timetur.

(qui

(qui Ordinis Marschalcus erat, & in oppido *Holland* morabatur) conquesti fuerint, non aliud tamen ab eo responsum, referre potuerant, quàm vt de eo reconciliando quam primùm laborarent, ne quid deterius postea, pati illos contingat.

Nulla de illo Iustitiæ administratio.

Sub hoc ipsum tempus, euenit etiam hoc, quod cùm diues quidam Mercator *Elbingensis*, nomine *Nicolaus Tolkemit* ex vno nundinarum loco, cum Mercibus ad alium proficiscens, in sylua *Hollandica*, in *Hillebrandi* satellites incidisset, ab eisdem, & mercibus, & aliquot centenis marcarum in parata pecunia spoliatus fuit; qui paulò post duos ex dictis latronibus nactos, eos per Magistratum publicè capite plecti curauit. Eorum mortem quidam Nobilis *Pomeranus Hippolitus Wedil*, vlcisci cupiens, quòd eos sibi sanguine coniunctos diceret, Inimicum se *Elbingensibus* palam profesus, *Nicolao* illi *Tolkemito* diu insidias struxit. Tandem cùm *Wormditto Braunsbergam* proficisceretur, inter *Kirckhausen* & *Bornitte* pagos, eum cum septem benè instructis Equitibus adortus, vtraq; manu abscisâ, & aliquot vulneribus inflictis, pro mortuo reliquit, merces omnes, & septingentas paratæ pecuniæ marcas abstulit; quæ spolia vt cum socijs partiretur, celeriter ad partem *Klefeldtum* versus concesit. Interea *Bornittenses* rustici superuenerunt, & *Nicolao* adhuc semiuiuo reperto, eum *Wormdittum* reduxerunt, vbi diligenti curâ adhibitâ, sanitatem postmodum, manibus duntaxat exceptis, recuperauit.

Mercator Elbingensis spoliatur.

Prædatores duo puniũtur.

Horum mortem vlciscitur Wedil.

Porrò *Christophorus Pfaff* Burgrabius *Melsacensis*, cùm de latrocinio huiusmodi per suos certior esset factus, statim aliquot Equitibus comitatus, *Klefeldtum* aduolauit, vbi cùm *Hippolitum* prædam diuidentem, & numerandâ pecuniâ occupatum reperisset, eundem in potestatem redegit, famulos autem eius, qui sese armis tuebantur, omnes interfecit. *Hippolitus* ipse sic captus, *Heilsbergam* missus, & in carcerem propè Iuniorum Famulorum mansionem, coiectus fuit.

Capitur Hippolitus Wedil.

In carcerẽ intruditur.

Ostendit ea res Ordinis Teutonici Fratres, adeò vt denunciatis Episcopo, & Capitulo palam inimicitijs, multa eorum Bona vastauerint, Villas & Pagos plurimos exusserint. Cumq; per literas Episcopus, apud Magistrum perficere non posset, vt eiusmodi Populationes & incendia prohiberet, ipsemet adextremum, cum Consiliarijs, & familiaribus suis *Regiomontem* profectus, rogauit Magistrum, vt eiusmodi furta, rapinas, & damna, à miserorum Colonorum ceruicibus auerteret, & Pacis Bonæq; vicinitatis Iura, sanctè coleret, ne ista suorum insolentia,

Bona Episcopatûs deprædantur.

Episcopus Regiomontẽ querulaturus venit.

Excipitur humaniter. res in deterius ruant. Excepit Magister Episcopum humaniter, & quietem in vicinatu seruare promisit, dummodo *Hippolitus* è carcere dimittatur, & quæ illi ablata fuerunt, restituantur: Quod etiam factum est. Cæterùm *Hippolitus* è carcere, in quo diu latuit dimissus, aëris repentinam mutationem non ferens, altero statim die mortuus est.

Hippolitus è carcere dimittitur & moritur.

Dolenter admodum ferebant *Poloni*, hanc Episcopi cum Magistro reconciliationem. Quamobrem Episcopum nomine proditionis passim proscindebant: & in posterum parùm se illi fidere, non obscurè testabantur. Porrò ad illam Pacificationem non parùm ea quoq; res momenti attulit. Immiserat in Episcopatum Rex, non paruum militum numerum, qui excursiones & insolentias Teutonicorum auerterent. Hi cum *Bartsteinum, Schippenpilum*, & *Fridlandum* occupare constituissent, missa fuit *Bartsteino* Matrona *Romelsche*, quæ coniunctißimè cum Episcopi Matre, cuius nutu gubernabantur tunc omnia, viuebat, ad eam ipsam Matrem, vt ab Episcopo obtineret, ne Militem *Polonum*, in Ditionem Magistri eruptionem facere sineret. Res ita per Mulieres acta est, vt *Polonus* ad Episcopi persuasionem, à damnis Ordini inferrendis abstineret, & ad sua reuerteretur: qui statim vt excesit, Ordinis satellites Episcopatus Bona, adeò flammâ vastauêre, vt vix triginta villæ, tantam hanc calamitatem potuerint euadere.

Reconciliatio Episcopi suspecta.

Aggrauat suspicionem inconsideratus actus.

Effectus pessimus.

Cùm itaq; Rex certis & euidentibus, omni ex parte argumentis, intellexisset, quòd Magister debitum illi homagium præstare detrectaret; & quòd cum *Moschouitis*, *Danis* & nonnullis *Germaniæ* Principibus, contra Poloniæ Regnum secretò conspirasset, & morte *Maximiliani* Cæsaris subsequente, militem per Germaniam conscribi curasset, habitis Regni Comitijs, per nonnullos Capitaneos, missis publicis literis, eum Hostem Patriæ declarauit, bellumq; illi denunciauit; Generali Exercitûs Duce constituto, Domino Palatino Sandomiriensi *Nicolao Firleio*, cui dedit in mandatis, vt Oppidis & Ciuitatibus Episcopatûs *Varmien*, Præsidiarios *Polonos*, Milites imponeret, quò ex propinquo Bellum faciliùs Ordinis Ditioni valeret inferre. Non latebant ita Magistrum, qui *Firleij* Ducis anteuertenda Consilia ratus, *Braunsbergam* eo vt sequitur modo occupauit.

Rex bellum denunciat Magistro.

Firleium Generalem Ducem belli instituit.

ACTA ANNI 1520.

Magister vt celeritate rebus suis consuleret, rumorem

omni-

omnibus sermonibus euulgandum curauit, quasi Regiæ Maiestati præstare homagium constituisset. Et quoniam per Ciuitatem *Braunsbergensem*, iter illi faciendum erat, si *Braunsbergenses* illi transitum liberum denegarent, se culpam omnem homagij non præstiti, in eos reiecturum. Itaq; trecentos Equites egregiè instructos, partim *Heiligenbeilum*, partim *Einsiddelam* præmisit, & hospitia hinc inde, etiam vltra *Braunsbergam*, præparari iussit, quò faciliùs crederetur, illum omninò ad Regiam Maiestatem profecturum. Fingit se homagium præstiturum Magister, vt decipiat.

Magistratus autem *Braunsbergensis*, de ijs die *S. Thomæ* certior factus, in Prætorio consultationem habuit, num Magister in Ciuitatem admittendus esset, cui Maiestas Regia Bellum jam denunciauerat. Nonnulli suadebant stipendiarium Militem, vel *Polonos* ad defensionem Ciuitatis, accersendos. Alij sentiebant *Polonos* nullâ ratione admittendos, quòd insolentes & valdè graues Ciuibus futuri viderentur, Magistro potiùs liberam facultatem transeundi concedendam. Alij, Magistrum nullâ ratione intromittendum censebant, quem Regia Maiestas pro hoste declarasset, alioquin Proditionis crimen illis obijci posse, & in eos seuerè animaduerti; expectandum potiùs eorum Dominum *Fabianum* Episcopum, qui pro festo Circumcisionis ex *Elbingensibus* Comitijs, *Braunsbergæ* affuturus esset. Hæc cùm non ignoraret Magister, vt sub aduentum Episcopi *Braunsbergæ* compareret, pridie Circumcisionis *Heiligenbeilum* venit, manè autem horâ septimâ per densissimam nebulam, cum trecentis Equitibus, & nonnullis peditibus, *Braunsbergam* per molarem pontem, aduolauit, nemine in custodia turris, & portæ comparente, præter *Philippum Teschner* Consulem, quo conscio hæc acta fuisse ferebantur. Magistri ingressus, aream seu circulum Ciuitatis occupauit, tympanorum & tubarum sonitu omnia compleuit. Ipse cum aliquot præcipuis, versus Ecclesiam properauit, vbi tunc Processio peragebatur, & Magistratu, & Primoribus communitatis aduocato, iussit vt se in Arcem sequerentur, postulata ipsius audituri. Erat tum in Arce *Fabianus* de *Maulen*, *Varmiensis* Episcopatus Generalis Aduocatus, qui sororem germanam *Fabiani* Episcopi habebat in Matrimonio, & erat Magistri Vasallus. Burgrabij autem officium gerebat quidam Sacerdos, nomine *Petrus*, qui tum erat in templo. Cum ad Arcem accessisset Magister, clausam reperit, & inclamauit, *Fabianelle* (inquiens) aperi *Fabianelle*? Qui statim egressus misericordiam implorauit,

Braunsbergenses consultant de transitu cōcedēdo per Ciuitatem Magistro.

Pro & contra rationes.

Aduentum Episcopi Magister præuenit.

Dolo Ciuitatē ingreditur.

Milites in foro locat.

Ad arcem progreditur.

Aduocatus Arcem tradit.

Adigit Magistratū & Communitatem ad fidelitatis iuramentum.

& portam Arcis Magistro patefecit. Ille institit, vt Magistratus & Communitas Iuramentum Fidelitatis illi præstaret, id vt facerent, adduci non potuerunt, asserentes, quòd pro Domino, Episcopum & Ecclesiam *Varmiensem* agnoscerent; quibus quandoquidem Iuramento essent obstricti, saluâ conscientiâ, in alterius cuiusuis Domini verba, jurare nullâ ratione possent.

Denegant omnes.

Fictio Magistri falsa.

Ad hæc Magister respondit, Concessam sibi esse à Pontifice Maximo facultatem, & ita cum Episcopo eorum Domino conuenisse, vt hanc ipsam, & alias itidem *Varmiensis* Episcopatus Ciuitates, in potestate haberem, easq; à *Polonorum* injurijs defenderem. Quamobrem vel omninò iurandum, vel certè moriendum sibi esse scirent. Illi verò in genua procumbentes, orabant, vt eos liberos abire permitteret, quod concedere noluit;

Renunciari Magistratui iubet.

sed accersito *Fabiano* de *Maulen* Aduocato, & *Philippo Teschnero* Proconsule, renunciari Magistratui & Ciuium communitati iussit; Dominum Episcopum cum Magistro, apud *Balcze* ita conuenisse, vt si Belli necessitas incumberet, Magister Oppida Episcopatûs occupare, eaq; tueri & defendere, quousq; negotium componatur, posset.

Dolo & impostura decipiuntur Ciues.

Paratum esse Magistrum, Domini Episcopi consensum, super ea re in scriptis, alio tempore Ciuibus exhibere; Nunc verbo Principis illis promittere, quòd nec vnius Capilli, nec oboli quidem iacturam subituri essent, si imperata faciant. Quamobrem si sapiunt, & sua illæsa cupiunt, eiusmodi Iuramentum præstare ne detrectarent.

Victi persuasionibus iurant.

His & alijs persuasionibus inducti, ad extremum in verba Magistri iurarunt.

Braunsbergensiū descriptio.

Atq; hi sunt illi *Braunsbergenses*, qui Anno 1459. eruptione factâ, tria *Bohemorum* millia ceciderunt: Qui Anno 1588. sacerdotalis Belli tempore, septem millia *Polonorum* dissipauerunt: Nunc verò tam turpiter, ab exiguo hostium numero, se circumueniri passi sunt.

Fabiani Ingratitudo.

Sed & *Fabianus* de *Maulen*, pro tot beneficijs, egregiam Affini suo Episcopo gratiam retulit.

Similis Teschneri gratitudo.

Philippus quoq; *Teschner*, qui ex quadam Puella nothus *Lucæ* Episcopi, dum olim Ludimagistrum *Thoruniæ* ageret, & postmodum, eodem *Lucâ* creato Episcopo, promotore vsus, Diuitis *Braunsbergensis* Ciuis *Czanderti*, Filiam vxorem adeptus, atq; ita sensim, è stercore ad Consulatûs apicem, euectus fuerat, præclaram animi grati, versus Episcopi successorem, testificationem scilicet edidit.

Diffidit Ciuibus illos disarmat.

Quamuis autem *Brunsbergenses* Magistro Fidelitatem iurâssent, quoniam tamen facilè videbat, id eos illibenter fecisse, parum illis fidebat, & arma quæcunque

domi

domi habebant, in Arcem eos deferre iussit, quibus eos se defensurum pollicebatur. Edixit etiam, vt ne Ciues Cætus aut Congregationes vllas facerent. Reuerendum *Petrum* Burgrabij officio priuauit, & in eius locum *F. Bertoldum* de *Altmanshoffen* substituit; Ciuitati Præsidium è centum *Regiomontanis* benè instructis Ciuibus, imposuit; quibus Capitaneum *F. Simonem* de *Dohnen* præfecit; Militem per domos ciuium disposuit, vt iuxta facultatem, duos vel tres quilibet aleret, qui maximam molestiam hospitibus inferebant. Vt Ciues in officio contineret, ingens patibulum, in medio fori iussit erigi, si quis vel minimum rebellionis, aut inobedientiæ signum daret, vt absq; omni Misericordiâ, statim suspenderetur, promulgauit. Præterea, ad septingentos selectiores milites è suis, *Braunsbergam* accersiuit, qui tempus & occasionem expectarent, occupandæ Ciuitatis *Elbingensis*.

Collocutiones vetat.

Burgrabiū instituit.

Militem per domos dispo-nit.

Patibulum in foro erigit.

OccupandæElbingæ inhiat.

Porrò *Fabianus* Episcopus, bonæ cuiusdam sortis beneficio, propter profundas niues, *Braunsbergam* pridie Circumcisionis venire non potuit, sed *Elbingæ* se continuit. Calendis autem Ianuarij, cùm eò proficisceretur, accepit in itinere à *Fabiano* de *Maulen*, & *Philippo Teschnero* literas, quibus illi significabant, Magistrum specie Amicitæ Ciuitatem occupasse. Respondit breuiter Episcopus, illos, quàm rectè hoc fecerint, paulò post intellecturos, & *Elbingam* redijt. Posterâ die *Heilspergam* celeriter accurrit, vbi Magistri literas, eo die quo *Braunsbergam* in potestatem redegit, valdè humaniter & amicè scriptas reperit; quarum hæc erat summa. Quandoquidem in colloquio vtrinque habito, conclusum & definitum esset, vt necessitate instante, Magister Episcopatum defenderet, ideò *Braunsbergam* se occupasse, ne in ea *Poloni* sedem Belli ponere, & inde damna Episcopatui, & Ordinis ditionibus inferre possent; se orare vt Episcopus locum & tempus assignaret, in quo coram de his & alijs rebus, conferre illis liceret. Excusauit se per literas Episcopus, cur ipse venire non posset, missurum se tamen duos Canonicos *Braunsbergam*, qui cum eius Consiliarijs colloquerentur. Cùm venissent *Braunsbergam* Canonici, repererunt ibi Fratrem *Simonem* Dominum in *Heideck* qui eos (ita fertur) alloquutus: Princeps meus & Dominus Clementissimus, renunciari vobis per me iussit, quòd Pontifex Maximus, eum Protectorem ac Defensorem, Episcopatûs & Ecclesiæ *Varmiensis*, constituerit ac deputauerit; quam rem successu temporis, productis suæ Sanctitatis diplomatibus, osten-

De occupata Braunsberga certior redditur Episcopus

Heilspergā Episcopus accurrit vbi literas Magistri offendit.

Tenor literarū

ResponsumEpiscopi.

Canonici duo Braunsbergam veniunt.

Quos alloquitur F. Simon ficta proponēs

dere & comprobare paratus esset; Nunc à vobis postulat, vt ei, subditorum in morem, Fidem & Obedientiam in manibus meis iuretis. Responderunt Canonici, se quidem hoc tempore præstare id non posse, quandoquidem Domini Capitulares, apud Ecclesiam præsentes non adessent; daturos se operam, vt primo quoque tempore conueniant, & consultatione factâ, se responsum allaturos. Ita discesserunt nec ampliùs reuersi sunt.

Responsum Canonicorum.

Quamobrem octauo post die, misit Magister suos Milites *Varmiam*, qui Oppidum & Curias Canonicorum (quorum nonnulli *Allensteinum*, alij *Elbingam*, alij *Gedanum* concesserant) incenderunt & exusserunt, Antonianorum Hospitali excepto, qui in verba Magistri iurauerant. Paulò post Rex Ecclesiam Cathedralem, misso centum equitum, totidemq; peditum, Præsidio communiuit. Cæterùm Miles, quem *Braunsbergæ* Magister reliquerat, adeò indignè & malè Ciues tractabat, vt Magistratus, de tot iniurijs, apud Magistrum grauiter conquestus, ab eo humaniter petierit, vt eius insolentiam compesceret. Hîc Miles cæpit conqueri & iactare, nisi tàm sincerè cum Magistratu ageret, pridem potuisset, Ciuitatem *Christophoro Pfaffio*, Burgrauio & Aduocato *Melsacensi* tradere, quandoquidem plures claues ad portas Ciuitatis haberet, quàm illi, Capitaneo Magistri, consignassent. Scripsisset etiam vnâ cum *Petro* quondam Burgrauio, ad eundem *Christophorum Pfaffium*, vt *Polonos* accerseret, quibus Claues Ciuitatis, vt eâ facilius potiretur, traditurus esset. His cognitis Magister, diligentius inquirere cæpit; & reperit claues nonnullas, quæ non recens factæ, sed ab antiquo in Prætorio asseruabantur, & eâ re exacerbatus, maximè verò, quòd antea *Braunsbergenses* Militem Præsidiarium ciuitate eiecissent, alium suo tempore introducturi; Comprehendi statim omnes Ciuitatis Senatores iussit, & fune ligatos, binos & binos *Regiomontem* deduci; in eorum autem locum, nouum Senatum substituit, qui coactus, obedientiam ei iurauit, neque tamen claues Ciuitatis illi concredidit: vtque tumultus excitandi, omnem amputaret occasionem, interdixit ne quis vllam campanam, siue in turri, siue in Ecclesia, attrectare accederet.

Varmia exuritur.

Præsidiarij Braunsbergenses, Ciues male tractant. Conqueruntur apud Magistrû.

Inculpantur à Præsidio.

Comprehêduntur Ciues & Regiomôtem abducuntur.

Interdicitur vsus campanarum.

Et quoniam intellexerat, Canonicos *Varmienses*, & nonnullos Rurales Parochos ac Sacerdotes, in Ecclesia Parochiali *Braunsbergensi*, aliquid pecuniæ & argenti recondidisse, iussit eam ipsam Ecclesiam occludi, & claues ad asseruandum sibi deferri. Ea res Vicarios & alios Sacerdotes vehementer of-

Ecclesia occluditur.

fendit.

fendit, quòd Officia Diuina exercere non possent, & hinc inde conquerebantur de Magistro, quòd in munus illorum sese ingereret, & campanarum vsum prohiberet. Pleriq; etiam lamentabantur, Fratres suos ligatos *Regiomontem* abductos; tum alios, propè *Liebe* molam, interemptos. Nam isthuc *Braunsbergenses* nonnullos, Magister miserat, vt contra *Polonos* Ciuitatem tuerentur, qui ad vnum omnes interfecti fuerunt. Querelæ istæ ad Magistri aures delatæ, eum ita exacerbârunt, vt statim *Petrum*, qui antea Burgrauij munus gerebat, comprehendi jusserit, & vnâ cum focariâ suâ colligatum, in aliorum Parochorum ruralium & Sacerdotum comitatu, *Heilßbergam* ad Episcopum, summâ cum ignominiâ propelli & deduci jusserit. Ne autem *Braunsbergenses* Parocho carerent, *Laurentius Geldriæ* Dux appellatus, Magistri mandato, è carcere liberatus, & Ecclesiæ Rector constitutus fuit. Hunc Sacerdotem Episcopus ad perpetuos carceres, in aqua mæroris, & pane doloris, sustinendos, condemnauerat, quòd toto triennio ante bellum, cum Magistri satellitibus, latrocinijs, cædibus & furtis, per summum scelus, sese contaminauerat. Quamuis autem Sacerdotes, ita vt supra memoratum est, eiecti fuerant, didicit tamen Magister, quonam loco eorum pecunia defossa, seruaretur.

Diuina cessant

Eiulatus multorum.

Exacerbatus Magister.

Sacerdotes ligatos Episcopo remittit.

Laurentiũ scelestissimum, Parochum cõstituit.

Sub idem tempus, Magister cùm intellexisset ditiores rusticos, è vicinioribus pagis, bona & facultates suas, *Melsacum* comportasse, die 9. Febr. cum suis eo *Braunsbergâ* excurrit, & statim intromissus est, quòd nullis præsidijs Ciuitas teneretur. Inde ducenta vehicula varijs rebus, quas Coloni securitatis causâ, in Ciuitatem aduexerant, onerata, *Braunsbergam* abduxit, relictis nonnullis bellicis tormentis, cum iaculandi peritis, qui *Polonos* si superuenirent, à muris arcerent.

Cõportatas facultates Melsacum, abducit.

Melsacẽses cõtra Polonos relictis tormentis animat.

Porrò Feriâ quintâ ante Dominicam Inuocauit, *Poloni* Duce *Firleio*, *Zaremba* & *Achatio Cema*, apud *Melsacum* comparuerunt, & vt in Ciuitatem intromitterentur, instíterunt. Responderunt Ciues, se à Magistro præoccupatos, fidem suam illi iuramento obligasse, nec alium Dominum se admittere posse. Hoc respõso offensi *Poloni*, suburbia Ciuitatis incẽderũt, & circũcirca non leuia damna Colonis intulerũt, obsessi tormenta bellica, quæ Magister reliquerat, in eos exonerabãt, absq; vllo hostiũ detrimento, qui tandẽ vehementi impresione factâ, ciuibus vltra resistere posse diffidentibus, Ciuitate potiti sunt. Sic *Poloni* Ciuitatem

Melsacẽses Polonos intromittere nolũt.

Poloni suburbia incendunt.

Ciuitate potiuntur.

uitatem ingressi, omnes ad vnum Ciues trucidare volebant, quòd illis resistere ausi fuissent. Sed *Achatius Cema* germanorum Præfectus, parcendum esse miseris, qui à Magistro astu circumuenti essent, facilè persuasit, quamuis insolentiam militis ferre necesse habuerunt, quos etiam eò adegerunt *Poloni*, vt denuò Venerabili Capitulo *Varmiensi*, tanquam proprio & naturali Domino, Fidem & Obedientiam iurarent.

Ciuib⁹ parcũt.

Porrò cùm omnia *Poloni* in Ciuitate consumpsissent, in Ditionem Magistri impressionem fecerunt, custodiâ Ciuitatis *Melsacensibus* relictâ & concreditâ. Sed Parochus statim persuadere illis cæpit, vt iterùm Magistro se dederent, quòd à *Polonis* nihil aliud, præterquam damna habituri viderentur; eius sententiæ reclamabant nonnulli, sed plures tamen sequuti Parochum, *Braunsbergam* ad Magistrum tormenta, quæ illis mutuò dederat, remiserunt. Non multò post Regius miles reuersus, machinas eiusmodi requisiuit; cumque rem vt erat acta intellexisset, septem è Magistratu comprehensos, in foro capite plecti iussit, nonnulli per murum elapsi, fugâ salutem quæsiuerunt. Postea Ciuitas miserè direpta, Parochus secretò foras abductus; mouit inde Exercitus, duobus Capitaneis cum trecentis militibus relictis.

Poloni Ciuitatis custodia cõcreditâ Ciuitate irruunt in Pona Magistri.

Tormenta remitunt Magistro Ciues cõtra fidẽ datum

Plectuntur Capite septem.

Non multò post venit Magister ante Ciuitatem, & vi tormentorum, pinnas murorum cum turri, versus ortum solis deiecit; Irruptione factâ, *Poloni* omnes, qui se egregiè defendebant, interfecti sunt, nec Capitaneis quidem saluis, duo tamen Nobiles, qui ordines ducebant capti, sunt abducti. Cæsis *Polonis* Magister, ciuitatem incendi iussit, quæ vnâ cum cadaueribus in cineres redacta, habitatoribus & ædificijs, metu *Polonorum*, vacua & pænè desolata, multo tempore remansit. Magister cùm in expugnatione septem horas insumpsisset, egregium & Nobilem Virum *Ioannem* de *Leiden*, quo in explodendis bellicis tormentis, principali artifice vtebatur, cum duobus famulis, & quatuor rusticis, globo missili traiectum amisit, multi in ascensu muri vulnerati, ad triginta verò, ex eiusdem Magistri militibus, cæsi fuêre.

Magister recuperat vi Ciuitatem.

Cædit Polonos.

Ciuitatem exurit.

Septem horis in expugnatione consumptis

Feriâ secundâ post Dominicam Cantate, *Firleius* & *Zaremba* cum Exercitu *Braunsbergam* venerunt, & ex improuiso nouam ciuitatem adorti, nonnullos rusticos miseros, cum vxoribus & liberis trucidârunt, Ciuitatem verò ipsam, & vicinam Molam, iniecto igne exusserunt, quo tempore etiam, circiter quadraginta *Poloni*, ictu sclopetorum è Ciuitate veteri petiti,

Exercitus Polonus Braunsbergam obsidione cingit.

occisi

occisi fuerunt. Inde recedentes, castra propè arborem iaculatoriam posuerunt, & in obsidione Ciuitatis ad aliquot tempus perseuerauerunt, quamuis absque fructu: nam Magister milite, tormentis, & commeatu, Ciuitatem egregiè muniuerat; præsertim verò bonam iumentorum quantitatem, quam ex Episcopatu hinc inde collegerat, inter Ciuitatem & *Passariam*, in campos sub sclopetariorum custodia, emiserat, quam intempestâ nocte *Polonorum* Hussari adorti, abduxerunt; eiaculata in eos tormenta, neminem læserunt, præter vnum vitulum. Erumpentes è ciuitate postea centum Equites, eos insequuti, cum illis parùm feliciter decertârunt: nam ex illis circiter quadraginta, ex Hussaris vndecim tantùm, perierunt.

Sed absq; fructu.

Excursio è Ciuitate cæditur

Cùm itaque viderent *Poloni* se apud *Braunsbergam* frustra tempus terere, obsidione solutâ, *Regiomontem* versus commigrarunt. Non multò post vbi Rex accepisset, nullum operæ precium apud *Braunsbergam* factum, arbitratus id culpâ Ducum euenisse, quorum vterque senex & debilis fuerat; vtrumq; *Firleium* videlicet, & *Zarembam* loco mouit, & *Ianuskium* generalem Capitaneum constituit, adiuncto illi *Koscielecio*, quibus iniunxit, vt denuò *Braunsbergam* obsidione cingerent, quod etiam fecerunt, sed nullo planè vt antea fructu; tormenta bellica, absq; ciuitatis aliquo notabili damno exploserunt, fastigium tantum turris campanarum, & tectum concusserunt, & campanæ maioris partem, ictu validiore confregerunt. E contra *Braunsbergenses*, è fastigio turris eiusdem in castra *Polonorum* prospectantes, & quæ agerent studiosè obseruantes, exoneratis æneis Machinis, eorum conatus disturbabant, cumque viderent, eos non magnam rerum suarum curam agere, *Petrus* de *Dohnen* Capitaneus, cum quadraginta Equitibus & centum viginti Peditibus, inopinatò in Castra *Polonorum* erumpens, duos præcipuos *Bohemicæ* gentis Capitaneos, Dominum *Sutkaw* & *Weybersnicki*, ac circiter quingentos milites vallo exturbârunt, vbi in fuga decem Nobiles *Bohemi*, & ex *Polonis* multi perierunt, tormenta rotis imposita in Ciuitatem abducebantur, cùm in castris clamore exorto, Germani velites, nempe *Christophorus Pusch*, *Osualdus Boks* cum cæteris æqualibus (qui ante bellum, propter violentias quasdam, Magistro inimicitias denunciauerant) maximâ celeritate, *Braunsbergenses* prosequuti, tormenta eadem ipsis ademerunt, quadraginta duobus militibus ibidem interfectis, reliqui fugâ elapsi, & in ciuitatem reuersi, intra muros sese continuerunt,

Relictâ obsidione versus Regiomontem commigrant.

Reuocatur Firleius cum Zaremba, Ianuskius cum Koscielecio substituitur.

Iterum Braunsberga obsidione cingitur, nullo itidem fructu.

Excursio è Ciuitate damnû infert.

Sed repulsam cum maiori damno reportauit.

& in castra subindè absque vllâ intermissione, globos ita iaculati sunt, vt inde abscedere *Poloni* coacti fuerint.

Die *Sancti Bartholomæi*, Magister euocato suo milite *Bartsteino*, *Schippenpilo*, *Regeno*, *Rastemburgo*, magnâ celeritate vsus, die insequenti noctu *Resseliam* peruenit, vbi in septingentos Tartaros incidit, quorum sexcenti sunt interfecti, cum præda copiosa etiam sexcentos equos abegit.

Tartari à Magistro cæduntur.

Sub idem tempus Magister, Episcopo *Fabiano*, quòd eius inimicos in Episcopatu suo foueret, per literas publicas inimicitias denuntiauit, quas ille statim ad *Ianuski Polonicarum Copiarum Ducem*, & ad ipsam Regiam Maiestatem misit, orans vt Præsidijs *Heilspergam* contra Magistri insultus armarent, qui non contemnendam Militum manum, ex *Bohemis Polonis* & *Prutheuis* eò celeriter misit.

Magister Episcopo hostilitatem denunciat.

Feriâ Sextâ post festum *S. Luciæ*, venit Magister *Heilspergam* cum septem millibus virorum, & tormentis bellicis præstantioribus, eamque vno & dimidio mense obsedit, singulis ferè diebus, ad sexcentas igneas pilas emittebat, vt ciuitatem exureret, quæ ita erant paratæ, vt singulis pilis, duodecim bombardæ minores, vnius palmi longitudine, alligerentur: cumque eiusmodi pila alicubi decidisset, ardebat, & intra vnius *Aue Maria* moram, minores illas bombardas exonerabant: quæ vt absque damno Ciuitatis aliquo extingui possent, *Georgius Preuckius*, recens totius Episcopatûs Aduocatus & Capitaneus, ex Curiæ Marschalco creatus, Vir magnanimus & Miles strenuus, seriò præcepit in tectorum canalibus, & superiori ædium parte, vnusquisque Ciuium quatuor aquæ Vasa, & in quolibet vase, corium bouis madefactum haberet, quo proiecto, pilæ igneæ extinguerentur, atq; ita factum est, vt nullum damnum globi huiusmodi, ædificijs inferre potuerint, exceptâ domo *Knobeldorffij Georgij*, in quam vnus ferreus & candens cùm decidisset, tecto & tabulato perforato, in vaporarium vsq; inferius peruasit; vnus itidem globus similis in Episcopi cubiculum irrupit; Iactus quilibet eiusmodi globorum, æstimabatur viginti marcis, ita vt pro comperto haberetur, Magistrum machinis huius generis explodendis, apud *Heilspergnm* XV. Marcarum millia insumpsisse.

Heilsperga à Magistro obsidetur.

Igneis pilis assiduo impetitur.

Artificium extinguendi igneas pilas.

Quanti constent eiusmodi explosiones

Porrò cùm videret Magister, quòd pilis igneis ciuitatem accendere non posset, murum Ciuitatis cum duabus turriculis, longitudinis circiter triginta, altitudinis nouem cubitorum septemtrionem versus, vi missilium tormentorum deiecit, & mi-

Murum vi tormentorum deiecit.

liti statim præcepit, vt in Ciuitatem irrueret, qui etiamsi paratus erat, tamen ire recusauit, primò quod ante murum erat fossa, itidem muratæ profunditatis cubitorum viginti; quæ multo labore prius erat complananda, deinde quòd à multis mensibus stipendium non acceperat, nec honorarium expugnationis retulerat; itaque noluit vt Iuri militari, aliquod præiudicium inferretur, quod vsu receptum habet, vt qui in hebdomadam, vnum florenum stipendij percipit, huic antequam ad murum accedat, duo floreni numerentur: & qui plus habent vt Capitanei, Signiferi, & similes, ij primi ad murum comparere debent. Quamuis autem verbo Principis, Magister se militi satisfacturum polliceretur, nihil tamen iuuit hoc; sed subinde miles vociferabatur, pecunia nobis debetur, pecuniam nobis repræsentent nequam crucesignati Monachi, alioquin nihil faciemus, discedemus. Hæc sæpiùs Magistro renunciari fecerunt, quæ Magistrum malè habebant. *Preuckius* autem perforatam & deiectam muri partem, statim terrâ & fimo, ita obstrui curauit, vt quosuis impetus facilè sustinere posse videretur, muris etiam intra ciuitatem fossam altam addidit, & militem expansis signis ad conflictum egregiè instructum, à Noua Ciuitate vsque ad forum, decenti ordine disposuit, vt hosti obijci statim & resistere posset.

Ad assultum militem cogit.

Miles ob non persoluta stipedia recusat.

Nec verbo Principis credit.

Interim deiecta pars murorum obualatur

Ordo bonus in Ciuitate.

Tertiâ demùm nocte, validus turbo, & tanta tempestas aeris repentè exorta est, vt hostibus terra dehiscere videretur. Quamobrem summo timore attoniti, hinc inde palantes, discurrere & versus Regiomontem fugere cæperunt, Curribus, lanceis, bombardis, armis & similibus impedimentis relictis, immò ollis etiam apud focum, & alijs esculentis ac poculentis. Ferebatur tum Magistrum ad *Heilspergam*, ad mille sexcentos homines amisisse, quorum maior pars, è summitate altioris turris Bohemi pixidarij globis missilibus prostrata fuit, pars etiam crebris excursionibus inopinatè, per *Georgium Pruenckium* deleta.

Tempestas ingens miraculose fugat hostes.

Numerus cæsorum.

Anno 1521. paulò ante carnispriuij dies, *Sichauius* accepto Magistri milite, *Gutstadium* contendit, sperans se Ciuitatem per proditionem occupaturum. Sed quoniam illic Præsidia *Polonica* erant, Proditores cogitata perficere non potuerunt. Itaque è monte versus *Glottauum*, tormentis muros quatere cæpit, è contra Canonici, præsertim verò *Fabianus Emerichus* cum nonnullis, è summitate turris Ecclesiæ, ita peritè iaculabatur, vt in monte ad septuaginta duo ex hostibus

Glottauum obsessum.

perierint. Ipse *Sichauius* grauiter læsus, octauo post die decessit, & *Regiomonti* sepultus est.

Porrò cùm viderent hostes vi Ciuitatem expugnari non posse, clam noctu inter scholam & portam, turrim quandam occupârunt, & inde ex improuiso erumpentes, *Polonos* omnes trucidârunt; Insuper rusticos propè quingentos, qui securitatis causâ, cum facultatibus suis ad Ciuitatem confugerant: Ciues præterea non paucos, ita vt Ciuitas cadaueribus repleretur, multi tunc potuissent per *Wormditensem* portam, cladem hanc euadere, si consul *Vngerman* dictus aperi iussisset. Canonici per Molendini portam *Allensteinum* se subduxerunt, *Martino Grosz* excepto, quem hostes in potestatem redactum, cum Priuilegijs Capituli, & trecentis Marcis Argenti, *Regiomontem* ablegârunt. Milites tormentorum ictibus, vt supra dictum est, cæsos ritu Catholico in Ecclesia sepelierunt, *Polonorum* & rusticorum cæsorum cadauera, extra Ciuitatem humari præceperunt.

Arte & dolo occupatur. Cæsi in Ciuitate vix non omnes. Paucis elapsis.

Canonicus capitur cum Priuilegijs Capituli.

Feriâ tertiâ ante Festum S. Catharinæ, *Magister* ad Expugnationem *Wormditi* accessit, & cùm murum ciuitatis propè balnei piscinam, non mediocriter labefactasset, difficile tamen fuit militi, per aquas ad murum accedere. Non multò post, communicato inuicem consilio, Capitaneus *Polonus* & *Ioannes Gersaw* Consul, deditionem Magistro sponte fecerunt, eâ conditione, vt militibus liberè liceret oppido excedere. Incolis verò nihil damni inferretur. Quod etiam factum est. Deditio hæc adeò Regem offendit, vt Capitaneum illum, Infamem pronunciauerit & proscripserit. Magister apud *Gersawium* Consulem hospitatus, gratitudinis ergo, Bona *Stellen* in *Libestatensi* tractu, illi concessit & donauit. Ex oppido *Scheburgensi*, Magister nihil lucri reportauit, sed illud incendi iussit. *Wartemburgum* propter aquarum copiosam inundationem, oppugnare non potuit, sed tormento semel exploso, num se Incolæ dedere vellent, frustra tentauit. Inde abscedens *Allensteinum mouit*, sed nullum operæ precium fecit, septem tamen villas incendio vastauit.

Wormditum oppugnatur.

Deditionem facit.

Deditione offenditur Rex proscribit Capitaneum.

Scheburgum exuritur. Wartemburgũ inundatio aquarum saluat

Allensteinij Villæ exuruntur.

Sub hoc idem tempus, fama publica percrebuerat, quòd Magister Lunaticus euaserat, & non temerè id affirmabatur: Nam quandoque solus, quandoque duobus vel tribus tantum comitatus, pagos incendebat; Præcipuè verò *Schestum* solus exussit, ne *Poloni* statiua habere isthic possint. Credibile est eiusmodi affectionem illi euenisse, ex animi quadam anxietate,

Fama de Morbo Magistri.

quòd

quòd necessitatis huiusmodi Bellicæ tempore, nec milite, nec pecuniâ à quoquam ex *Germania* subleuatus fuerit, nec modum & rationem inueniebat, quâ stipendia emerita, quibus debebat persolueret. Quamobrem Principes nonnulli *Germani*, fratres præsertim & affines eius, apud Regem obtinuerunt, vt illi inducias ad quadriennium concederet.

Ex defectu nerui bellici.

Induciæ ad quadriennium

LVTHERANISMI INITIA.

FABIANVS Episcopus, Iurisdictioni Ecclesiasticæ,& Religioni Christianæ, non leue damnum & præiudicium intulit, quòd *Lutheranæ* pestis initijs non illico sese opposuerat: Nam quòd Episcopus *Varmiensis*, Iurisdictionem quam in Ditionibus Ordinis habebat, amisit, huic Episcopo acceptum ferri debet, qui Hæreticis nec clam nec publicè restitit; Ita vt multi Monachi, Sacerdotes & Laici scandalizarentur; & de Sacrificio Missæ, Sanctis, & cæteris fidei Articulis, peruersè sentirent, immò nonnulli etiam Sacerdotes, Parochi, sub specie Matrimonij, Mulieribus assumptis, sese sacrilego concubitu contaminarent. Eâ de causa fuit Episcopus à Venerabili Capitulo, & alijs pijs admonitus, vt officij sui memor, maturè prouideret, ne DEVS & Sancti, impunè à quoquam blasphemarentur, neue propter scandalosam Parochorum vitam, Religio Catholica detrimentum aliquod acciperet. Sed ad hæc respondebat Episcopus, *Lutherus* inquiens, est doctus Monachus, & habet suas opiniones in Scripturis fundatas; si quis tantùm habet animi, congrediatur & certet cum illo. Fuerunt deinde oblata Episcopo nonnulla scripta, quibus *Lutheri* errores confutebantur; Episcopus illis inspectis, & isti inquit, suas opiniones habent, quibus etiam credi potest. His & similibus malè prolatis Episcopi verbis, plures etiam ex Ecclesiasticis scandalizabantur, & Religionem Catholicam contemptui habebant. Credibile est, propterea præcipuè, DEVM puniuisse hunc Episcopum, vt & Diœcesim suam, bellis mirum in modum vastatam videret, & ipse à morbo correptus, & miserè cruciatus, frustra medicorum opem imploraret; immò quò plura remedia, ab eius Physico & Matre adhibebantur, eò peius habebat, adeò vt adextremum etiam pes, quem

Episcopus tepidus in obuiando hæresi.

Admonetur à Capitulo.

Responsio Episcopi tepida

Multi scandalizati Episcopo.

Pœna peccati.

vis morbi arrodebat, curationis causa, illi abscissus fuerit, ex qua abscisione sacer ignis irruens, Episcopo postmodum mortem accelerauit, qui penultimâ Ianuarij Anno 1523. *Heilsbergæ* mortuus est, quo etiam ferè tempore, DEVS *Heilsbergense* Oppidum, ita puniuit vt planè totum incendio conflagraret: Nam Ciuis quidam in domo angulari, in foro eius plateæ, quæ versus Ecclesiam tendit Parochialem, ad leuam, stabulum vt equos viseret ingressus, famulo indignatus, candelam parieti affixisset, & arrepto baculo, agasonem persequeretur, decidente in stramen candelâ, non prius hospes illius recordatus est, quàm cùm ignis totum stabulum occupasset; vnde oppidum totum, exceptâ Ecclesiâ, domo Parochi, Scholâ, Hospitali, & ædibus nonnullis coquendæ Ceruisiæ destinatis, quæ ex muro solido constructa erant omnia, exustum est. Incendium hoc accidit nocte, Dominicam Palmarum præcedente Anno 1522.

Mors Fabiani.

Conflagratio Heilspergæ.

Occasio conflagrationis.

Exceptâ Ecclesia, Schola, Domo Parochi.

Hic Episcopus paucos sibi addictos habuit: Nam & *Sigismundus Rex* illi offensus erat, quòd accepisset, publicè eum iactasse, Etiamsi Magister totum illi Episcopatum ademisset, se nihilominùs illum, absq; *Poloni Regis* auxilio, recuperaturum. Sed & Capitulum atq; vniuersa Prouincia, parùm itidem illi fauebat, quòd *Braunsbergam* sibi tam turpiter eripi facilè tulerit, & multa damna Ditioni suæ hanc ob rem intulerit. Atq; ita hic Episcopus, animo anxio, & Diuinâ punitione visitatus, ab hac luce decessit. Eo mortuo statim Venerabile Capitulum, è medio sui duos Canonicos deputauit *Tidemannum Gisium*, & *Leonardum Niderhoff*, qui iuxta receptam consuetudinem, Ciuitates in potestatem Capituli redigerent, nouo Episcopo asseruandas, quæ postea à *Ioanne* de *Lusianis* Palatino Culmense, qui Fratris mortem ibidem expectabat, *Georgio Preuckio* Aduocato & Capitaneo Episcopatûs Generali, *Paulo Schnebeck* Oeconomo, & *Iacobo Glesern* Cancellario receptæ, cum omnibus attinentijs fuerunt. Insequenti die, aduocato ad se supradicto *Georgio Preuckio*, ab eo postularunt, Quando quidem inter Episcopatus Officiales, primarium locum obtineret, Iuramentum fidelitatis, quod hactenus non fecerat, præstaret. Id ille facere renuit, quòd Arcem *Heilsbergensem* pro Regia Maiestate obtineret his periculosis belli temporibus, nec id absq; scitu Regis præstare, integrum illi esset. Hunc *Preuckium* Episcopus absq; consilio & consensu Capituli, Aduocatum & Generalem Episcopatûs Capitaneum constituerat, & stipendium pro sex Equitibus alendis, à Regia Maiestate illi im-

Episcopus paucos sibi addictos habuit.

Capitulum more solito Bona Episcopi occupat.

Preuckius iuramentum fidelitatis detrectat.

Preuckio fortuna.

petra-

petrauerat, ipse quoq; sex præstantiores equos, omnibus necessarijs instructos eidem donauerat. Quamobrem eâ ratione fidem suam Regi comprobare voluit, quandoquidem in proximo Bello, egregiam operam præclarè gestis præstitisset.

Quoniam autem videbat se, propter denegatum Iuramentum, Canonicis parùm gratum esse, qui Ciuibus in Arcem aduocatis, modum & rationem illis præscripserat, qualiter se, dum nouus Episcopus eligatur, gerere deberent, in suspicionem venit, quasi Canonici & Ciues, de illo ex arce exturbando, consilia communicassent, quæ anteuertenda ratus; *Henrico Ricarbio* Burgrauio curam Castri commisit, ipse verò familiam omnem seriò adhortatus est, vt Canonicos ex Arce expellerent, si sibi præstò adessent, amplam eius rei mercedem se reportaturos, certò sibi persuaderent; Omnes ad id se promptos & alacres obtulerunt; quibus egregiè armatis stipatus, ad conclaue è regione fontis in superiori ambulatione positum processit, & foribus pulsatis clarâ voce edixit, vt statim Canonici arce excederent, nisi interfici illicò vellent. Quid facerent, collectis statim sarcinulis ipsi inermes, inter armatorum Militum globos, castro excedere coacti fuerunt, ipso *Preuckio* exorto gladio, illos ad vltimam Arcis portam comitante. Expulsus est etiam Oeconomus (nam Cancellarius æger decumbebat) & Cadauer Episcopi ante Portam Arcis elatum; Quod acceptum, cum paucorum Ciuium comitatu, *Varmiam* deduxit, vbi absque vlla funeris pompa, aliorum Episcoporum tumulo illatum est. Sic post mortem parùm à Capitulo honoratus fuit, qui in vita Episcopatum minùs rectè administrauit. Et fuit res cumprimis admiratione digna, quòd nec Mater, nec filiæ ex *Venceslao* de *Eilenburg* liberi, nec vllus ex consanguineis qui præsentes aderant, funus comitatus est, sed & Aulicorum nemo, solus *Ioannes* de *Lusianis* equo insidens, illud extra Ciuitatem deduxit, & postea in Arcem reuersus est.

Cum Canonicis malâ fide agit.

Canonicos pellit ex arce stricto gladio.

Cadauer Episcopi sine ceremonijs extra portã exportat.

Deducitur Varmiam & sine vlla assistentia sepelitur.

Nec Mater nec affines comitati eum sunt ad sepulchrum.

Eo facto *Preuckius* tantam sibi auctoritatem conciliauit, vt omnium Ciuitatum & Arcium in Episcopatu, Burgrauij, illi tanquam Domino obedirent, quamuis se subditos Capituli & futuri Episcopi professi paulò ante essent. Militem etiam stipendijs Ecclesiæ alendum conscripsit, & pro parte Regis, Oppidis & Arcibus Præsidia imposuit, quibus se ab Ecclesiasticorum potentia tueretur. *Georgium Troschium* ad Regios in *Prussia* Consiliarios, alium etiam ad Regiam Maiestatem misit,

Preuckii authoritas.

Militem conscribit.

signi-

Et se fecisse Canonicos Tributarios Regi gloriatur.

significans, quòd Capitulares, Regi tributarios fecerit, & quandoquidem ipsum ad Iuramentum adigere voluerunt, vt neminem ex Regijs in Arces intromitteret, se illos ex Arce expulisse; Facile persuasit, vt illi fides adhiberetur, & factum apud Aulam omnium sermonibus celebratum, & res eò adducta, vt in suspicionem rebellionis, Capitulares apud Regiam Maiestatem adducti fuerint; vnde non leuia damna & grauamina, Ecclesiastico statui sunt inflicta.

Ac suspectos Canonicos rebellionis defert.

Additur illi collega.

Quoniam autem de voluntate Regia constabat, quòd Arces & Oppida, pro nouo Episcopo asseruanda, præsidijs firmare voluerit, obtinuit hoc à Regiâ Maiestate Capitulum, vt *Preuckio* qui Indigena esset, nec illi Magnopere fideret, Collega adderetur. Is autem fuit *Nicolaus Iskirecki* Capitaneus *Hohensteinensis*.

Allensteinum Canonicis relinquitur.

Allensteinensis Arx, & oppidum Ecclesiæ, liberum remansit, reliquæ verò Arces & Oppida, partim à Magistro Teutonicorum, partim à Regijs supra nominatis Capitaneis tenebantur, vsq; ad Episcopi Mauritij approbationem, quæ mandato Regio Die decima Iulij *Nicolao Copernico* tanquam Administratori, *Ioanni Crapitio* & *Felici Reich*, Episcopi & Capituli Nuntijs, post modum restituta fuêre.

Concessit Matri rerum Lusianus habenas,
Fæmineo pendens de nutu, Hunc Marchio strictè
Obsidet Albertus, sed spe frustratus inani,
Gangrænâ infectus decessit, crure reciso.

XVIII.


MAVRITIVS FERBER.

Natalitium & Adolescentia Ferberi.

MAVRITIVS FERBER Primarij Ciuis *Gedanensis* Filius, Iuris Vtriusq; Doctor, propè Sexagenarius, consentiente *Sigismundo* Rege, secundum pacta, à Capitulo electus est Episcopus. Iuuenis mercaturam exercebat, & procabatur *Pilmanni* Ciuis *Gedanensis* ditissimi Filiam virginem, eamque sibi Matrimonium promisisse dicebat, quòd cùm illa negaret, nec eum maritum habere vellet, ipse *Romam* profectus, iure cum ea agere cæpit; sed cùm probare intentionem suam non posset, Virgo alteri matrimonio iuncta fuit: ipse verò summum studium in literas contulit, & Iurium Doctor creatus

Studia Romæ Doctor creatur.

creatus *Leonis* X. Camerarius & Scriptor Apostolicus, ac successu temporis, *Custos* & *Canonicus Varmiensis*, *Lubecensis*, *Reualiensis*, *Derpatensis*, & Parochus *Gedanensis* ac *Melebacensis* factus fuit. Die 13. Octob. Anni 1523. post Electionem, quæ 14. Aprilis est celebrata, profectus est ad residentiam Episcopalem, *Varmiâ Heilspergam*, Deinde 20. Mensis eiusdem, ad Leonis X. Camerarius Custos Varmien. Eligitur Episcopus.



requisitionem Regiæ Maiestatis, *Petricouiam* profectus, ibidem debitum Iuramentum præstitit: vbi etiam à *Ioanne* de *Lasko* Archiepiscopo *Gnesnense*, Episcopus consecratus, & solenni epulo, cum inuitatis hospitibus exceptus, ac humanissimè tractatus fuit. Iurat Regi Poloniæ. Petricouiæ cõsecratur.

Adijt Episcopatûs Bona, propter Bella valdè desolata, vil-

Oeconomia eius in bonis Episcopatûs.

las passim ab Ordine *Teutonicorum* exustas, adeò vt ex reditibus annuis, vix mille marcas, Pontificatûs assumpti initio habere potuerit; quos postea diligenti curâ ad septem millia reduxit. Arces & oppida, quæ regijs præsidijs tenebantur, jussu Maiestatis Regiæ, à *Preuckio* sunt ei restituta, licet à jumentis & commeatu valdè imparata & hausta. Interea suâ & Ecclesiæ pecuniâ, coactus est militibus *Preuckij* & eius Collegæ *Iesierski* stipendia soluere.

A Preuckio Arces restituuntur Episcopo.

Persolutis stipendijs Militi de proprio.

Curiam Episcopalem ædificat

Episcopus hic, post Dominiorum & Bonorum deuastationem, plurima restaurauit & ædificauit; inter alia egregia eius opera, illud quoq; non postremum censeri debet, quod Curiam Episcopalem, amplum & elegans Palatium, apud Cathedralem Ecclesiam, à fundamentis erexit & ædificauit, & muro, ac fossâ pulchri operis ipsam, Ecclesiam cinxit.

Ecclesiam Cóstitutionibus Prouincialib⁹ corroborat.

Hæresim extirpat.

Quàm amans Ecclesiæ & Patriæ fuerit, editæ per eum Prouinciales Constitutiones, Statuta Capitularia *Varmiensia* & *Gutstadiensia*, quæ pro Bono vtriusque status promulgauit, satis abundè declarant Porrò quantus fuerit veræ & Catholicæ Religionis Assertor, & Propugnator, vel inde apparet, quòd Hæresim quæ Antecessoris negligentiâ, in Dominia eius irrepserat, non prius persequi destitit, quàm eam penitùs profligaret & exterminaret: illam tamen bonam suæ Diœcesis partem, quæ sub Ordine Teutonico est constituta, ab eâ peste purgare non potuit, quæ Antecessoris incuriâ, magnas vires acquisiuerat, sub *Lutheranis Concionatoribus*, quos *Magister Marchio Albertus* ex *Germania* euocatos, in Ciuitatibus & Oppidis suis collocauerat, qui plurimos peruersâ doctrinâ infecerunt.

Pax cum Magistro concluditur.

Anno 1525. Circa Festum Paschatis, perpetua Pax inter Maiestatem Regiam, & Ordinis *Magistrum Cracouiæ* fuit conclusa & stabilita, eo modo & ratione prout in Pactis desuper confectis videre licet. Multi mirabantur, quòd Pius, Catholicus, & Orthodoxus *Sigismundus Rex*, in Pactis eiusmodi, multa concesserit, quæ cum Religionis & Episcopalis Iurisdictionis, non leui detrimento coniuncta fuêre. Excusabatur tamen à pluribus, quòd licet inuitus, necessariò se eò demittere debuerit, quandoquidem *Gedanum*, *Elbinga*, *Marieburgum*, *Thoronium*, & aliæ Regiæ in *Prussia* Ciuitates, à *Lutheranis* Concionatoribus incitatæ; ad rebellionem prospectare videbantur: immò *Gedanenses* cum alijs nonnullis, non obscurè præferebant, quòd sese Ordinis Magistro, tanquam *Lutheranorum* Patrono, & Defensori, dedere vellent, nisi Rex à Bello absti-

Ciuitates Regiæ ad rebellionem pronæ.

neret,

neret, & libertatem Religionis permitteret. Et inde factum est, vt *Gedani, Elbingæ, Marieburgi*, in templa & Ordinis Ecclesiastici viros, sæuitum fuerit, & Catholico senatu loco moto, Lutheranæ sectæ, Magistratus non absque tumultu, & Regiæ Maiestatis insigni iniuria, & contemptu, sit substitutus; quam seditionem in sequenti Anno vix demùm Regia Maiestas repressit, exturbato hinc inde *Lutheranismo*. Quamuis autem *Braunsbergenses* durantibus Iudicijs, cum adhuc in potestate Magistri Ordinis essent, Episcopi *Mauritij* paternis admonitionibus, in rebus Ecclesiasticis aliqua ex parte obtemperarent, vbi tamen Pace cum Magistro stabilitâ, Rex Ciuitatem pro se, vt & *Tolkiemitum*, ad vnum & dimidium Annum obtinerat, volebant etiam *Gedanenses* imitari, & cæperunt Ecclesijs & Monasterio Bellum inferre, & enormia facinora, contra DEVM, Religionem, & potestatem à DEO constitutam perpetrare, prout ex infra scripta querela, per Fiscalem Regium, coram Commissarijs Maiestatis eius deposita, videre licebit, cui *Braunsbergenses* non contradicebant; sed cum intellexissent à Regia Maiestate, Rebelles *Gedanenses* partim capite, partim Exilio mulctatos, ipsi quoque humiles effecti, & ad pedes Commissariorum proiecti, supplices veniam postulabant.

Ciuitates in Viros Ecclesiasticos sæuiunt.

Idem Braunsbergenses attentant.

Ecclesijs insultant.

Rebelles puniuntur.

Enumeratio Excessuum, quos Braunsbergenses, cum in potestate Regiæ Maiestatis essent, contra Catholicam Religionem, & superiores, modò rebellionis, admiserunt, Commissarijs Regijs exhibita.

PRimùm omnium Proconsul & Senatus, tàm Parocho & Vicarijs, quàm reliquis Presbyteris, Reditus annuos, cæterosq; victûs commoditates, ab Anno 1524. in hanc viq; diem retinuit, & in proprios ac *Lutheranorum* Ministrorum vsus conuertit, quos etiam nunc contra Ius, & Regiæ Maiestatis mandata sæpiùs facta, detinet, ita vt miseri Sacerdotes, mendicando victum quærere cogantur.

Braunsbergenses Parocho proprio victû subtrahunt.

Cùm eis victum per summam iniuriam ademissent, etiam & habitationem abstulerunt, ac è Sacerdotum Contubernio, in

Domo residentiali pellunt.

quod nullum ius Ciuitati competit, violenter eos eiecerunt; Cumque *Georgius Preuckius* Regius Capitaneus, auctoritate suæ Maiestatis, in eandem domum eos introduxisset, *Gregorius Rabe*, auulso per vim ab ostio seraculo, suum apposuit, & domum quæ piorum Sacerdotum sumptu constructa fuit, vni externo *Gedanensi Concionatori Luthero* attribuit.

Lutheranis attribuunt.

Vtque violentiam hanc contumeliarum accessione, perditi homines, acerbiorem redderent, pios Sacerdotes contemptui habebant, publicè eos in plateis maledictis insectabantur, Maleficos Nebulones, ac rapacissimos Lupos appellabant, inauditisque conuicijs turpissimè lacerabant: Insuper ante eorum domos, sordes impudentissimè proijciebant, postes & seracula stercoribus illiniebant; Episcopum, Canonicos, ac reliquas Ecclesiasticas Personas, *Lutherani Concionatoris* opera, probris in concionibus publicis afficiebant.

Clerum probris afficiunt.

Quamuis autem hæc enormia sint, & cumprimis deploranda, tamen minora videri possunt ijs, quæ contra DEVM ipsum Ciues perpetrare non dubitauerunt: Nam Senatus per *Petrum Kirsten*; Concionatorem Lutheranorum, *Ioannem Barbitonsoris* dictum, *Gedano Braunsbergam* accersiuit & aduexit, vt *Lutheri* dogma introduceret, quod etiam ab eo studiosè factum fuit.

Senatus Concionatorem Lutheranorum introducit.

Cùm *Sambienses* Rustici rebellare cæpissent, Idem Minister in concione publica dixit. Quandoquidem Magnates ab Euangelio defecerunt, DEVS Spiritum Sanctum suum in pauperes Colonos immisit, vt illud conseruarent & tuerentur. Itaque hortatus est Populum, vt se illis coniungeret.

Lutherani Cóncionatores ad rebellionem concitant.

Inter plurimos & ab Ecclesia damnatos errores, hanc etiam impurissimus homo blasphemiam, ore sparcissimo euomuit, publicè docens, *in Sacramento Altaris non Christum sed Diabolum contineri*; quamobrem cum ad eleuationem Hostiæ campana pulsatur, debere illicò ex Ecclesia omnes fugere & aures obturare. Hactenus sacrificos populum dementasse & seduxisse.

Docent in Sacramentum Altaris Diabolum contineri.

Cùm impia hæc doctrina Primoribus Ciuitatis adlibuisset, *Gregorius Rabe* Proconsul, in præsentia *Leonardi* de *Rossen* eius Collegæ, & aliorum multorum, cum domi Cereuisiam coqueret, in Contemptum Diuini sacrificij, ludicrum Missæ simulachrum repræsentauit, & ex calice suos spectatores potauit, illisque præbibit.

Proconsul ludicrum Missæ simulachrum repræsentat.

Postea dictus *Leonardus* de *Rossen* Consularis, Vestibus

Sacerdotalibus indutus, cum *Laurentio Schenradi*, in publicum forum prodijt; vbi ludicram eiusmodi Missam celebrauerunt; vtque nihil impietatis prætermitteretur, clarâ voce Populum, vt ad humani ventris onus, ore percipiendum sese præpararent inuitabant, quæ turpido nec apud gentiles, nec apud Iudæos, vnquam est audita.

In publico foro ludicrâ Missam celebrant.

Cùm Sacerdos quidam in Ecclesia Parochiali, Dominicâ secundâ Aduentûs Anno superiore, Missam iuxta ritum Catholicorum celebraret, idem *Gregorius Rabe* supra nominatus Proconsul, in Capella Corporis Christi, à tergo sacerdotis stans, publicè gestus eius scuriliter imitabatur, Missam & ipse celebrando, Cruces formando, voce submissa verba proferendo, illum apertè deridens.

Celebrantem Presbyterũ Catholicum deridènt.

Nocte Natalis *Domini Nostri IESV Christi*, supra memorati *Laurentius Schenradi*, & *Ioannes Fochs*, cum eorum complicibus, quo tempore Diuina officia peragebantur, pellibus vrsinis, & laceris vestibus, vt histriones amicti, Ecclesiam Parochialem primùm, deinde Monachorum Templum ingressi, clamores ingentes, ac inconcinnas saltationes, bachantium more, ediderunt, vt à Psalmodia & Officijs Diuinis, abstinere coacti fuerint Sacerdotes.

Diuina Officia impediunt.

Imagines præterea Diuorum, è templis abstulerunt, & *Bullas Pontificias* Cloacis affixerunt, & tempore Dedicationis Ecclesiæ, Vexillum è laceris pannis consutum appensis fractis poculis vitreis, in contemptum Cæremoniarum Ecclesiasticarum, loco sublimi erexerunt, quæ res Senatum Ciuitatis minimè offendit, immò id illi non displicuisse præ se tulit.

Cæremonias Ecclesiasticas irrident.

Posteaquam autem Nobilis *Georgius Preuckius*, Regius in Ciuitate *Braunsbergensi* Capitaneus, Mandata Maiestatis suæ accepisset, de *Lutherana* Hæresi exterminanda, & rebus Ecclesiæ in pristinum statum restituendis, Sacerdotem Catholicum, qui ad Populum verba faceret, introduxit; Quem seditiosi *Lutheranæ* factionis homines, annuente ac permittente Senatu, tumultu contra Capitaneum ita excitato, vt à cæde parùm abfuerit, non solum è suggestu, sed etiam ex ipsa Ecclesia per vim expulerunt, & in eius locum *Lutheranum* Ministrum statuerunt.

Mandatis Regijs contra eunt.



Auctores tumultûs huiûs præcipui fuerunt.

GRegorius Rabe Proconsul, qui primus vociferari cæpit in Concionatorem. *Ecce Lupus, ecce Lupus. Laurentius Schenrade. Simon Eberth. Vrbanus Pericke. Petrus Hoffman. Sebastianus Hutter. Notarius Ciuitatis. Matthæus Schissentherissel. Nicolaus Barbirer. Andreas Horber. Ioannes Passe.* Cæterùm *Petrus Kirsten* & *Valentinus Kirt* post inchoatum tumultum è templo sese proripuerunt, Et est communis vox, quòd & ipsi in ordienda hac tela, cooperatores fuerint.

Contra articulos transactionis peccant. Præterea eorum legitimum Parochum, contra Articulos vltimæ transactionis reiecerunt, & cum ad Mandata Regiæ Maiestatis, ac corporalem Ecclesiæ possessionem, eum admittere noluissent, tamen impudenter apud Regiam Maiestatem conqueri non dubitârunt, quòd ipse Parochus apud eos esse nollet.

Cùm tempus Regij aduentus, in has oras immineret, idem *Gregorius Rabe* Concionatorem Lutheranum *Ioannem Barbitonsoris, Gedanum* remisit, eâ tamen conditione, vt post discessum Regiæ Maiestatis, *Braunsbergam* rursus rediret. Senatus contra mandata Regia multa audet. Interea vt ne *Lutheranorum* dogma, Catholicorum Concionatorum operâ aboleretur, non permisit Senatus, vt aliquis in Parochiali Ecclesia, aut Monachorum templo, in hodiernum vsq; diem concionaretur, cum maximo multarum animarum salutis detrimento; quamlibet eo nomine, ab Episcopo frequenter essent admoniti, & Capitaneus Regius, ac *Achatius Varmiensis* Canonicus id vrgerent, quibus idem *Gregorius* impudens responsum dedit, *Si Episcopus* (inquiens) *scribendo mitius non egerit, sciat me eius Epistolis nates abstersurum.*

Ecclesias spoliant. Postremò Senatus Vasa Sacra, clenodia, & Ecclesiastica paramenta, Diuino cultui deputata, ex Monasterio abstulit, quorum nomina & valorem ipsimet Monachi in scriptis exhibuerunt. Ex Ecclesia itidem Parochiali VIII. argenteos calices deauratos, ampullas argenteas sex, pacificalia duo, humeralia tria acceperunt, quorum exemplum Textores sequuti, calicem & duas ampulas argenteas rapuerunt, pretio inter se diuiso, id sibi licere rati, quod superioribus facere licuit.

Mandata Regia contemnût. Et quamuis ab Episcopo, & ipsa Regia Maiestate requisiti essent, vt adempta restituerent, id tamen facere noluerunt, & mandata eiusmodi, elato spiritu contempserunt.

Adex-

Adextremum cum multi Ciuium rebellionis huius culpam sustineant, eorum tamen Antesignani præcipui fuerunt. *Gregorius Rabe* Proconsul. *Vrbanus Poytke. Leonardus* de *Rossen* Consiliarius. *Ciuitatis Notarius. Petrus & Matthias Kirsten* Fratres. *Nicolaus* & *Albertus Barbitonsores. Simon Ebert. Andreas Hatcher. Ioannes Ludka. Georgius Falke. Sebastianus Hutter. Matthæus Winenpsenig. Petrus Hoffman. Ioannes Engelbrecht. Ioannes Paffe. Laurentius Schönrade. Valentinus Birt.*

Authores rebellionis.

Braunsbergensium ad obiecta Responsum.

BRaunsbergenses supra memoratos Articulos, veros esse partim negarunt, partim extenuarunt, partim ambagibus quibusdam inuoluerunt. Sed cùm timerent ne idem illis accideret, quod paulò ante rebellibus *Gedanensibus*, sese magnopere demiserunt, & ad pedes prostrati, tàm à Regijs Consiliarijs, quàm ab ipso Domino Episcopo *Varmiense* (in cuius potestatem illis veniendum erat) supplices veniam petiuerunt. Res tandem eò deducta fuit, vt omnia reijcerentur in felicem aduentum Regiorum Commissariorum *Braunsbergam*, vt tantò melius negotium, in re præsenti examinari, & in Capita seditionis inquiri posſit. Duo tamen ex Magistratu *Vrbanus Poytke* & *Laurentius Schönrade* (qui negare non potuerunt, quòd cùm Regis mandato Capitaneus *Preuckius*, Sacerdotes in Ecclesiam introduceret, ipsi tumultu excitato, eosdem Sacerdotes interfici debere proclamassent) in Carceres sunt coniecti; vnde postea datâ sufficienti cautione, quòd in Iudicio comparere deberent, quoties requisiti essent, dimisſi fuerunt, quæ omnia clarius ex Actis Dominorum Regiorum Commissariorum patebunt.

In responsione variant.

Totum negotium ad Commissionem reijcitur.

Auctores duo incarcerantur.

Literæ Commissariorum.

NOs Prælati, Palatini, Castellani, tàm Regni *Poloniæ* quàm harum Terrarum *Prussiæ* Consiliarij, à Regiâ Maiestate Domino Nostro Clementisſimo, cum plena potestate Deputati, significamus tenore præsentium, quorum interest vniuersis. Quòd cùm Sacra Regia Maiestas, Senatum, &

aliquas

aliquas Personas ex Communitate Ciuitatis *Braunsbergensis*, propter diuersos excessus, huc *Elbingam* aduocasset, & propter magnas & varias occupationes, quibus Maiestas eius distinebatur, Nobis, vt Maiestatis eius nomine causam, hanc iudicaremus, iniunxisset: Comparuerunt coram Nobis personaliter, *Georgius Rabe, Leonhardus* de *Rossen, Petrus* & *Matthias Kirsten, Simon Ebert, Ioannes Ludka, Tobias Matthæus Vinnenpfenig, Matthæus Schiffenteriffel, Ioannes Passe, Ioannes Engelbrecht, Laurentius Schönrade, Notarius Ciuitatis, Vrbanus Poytki, Nicolaus & Albertus Barbitonsores, Andreas Heicher, Sebastianus Hutter, Petrus Hoffman,* & *Valentinus Birt*; Quos Regij Tribunalis & Fisci Procurator, in quibusdam grauibus articulis, quibus Diuinam & Regiam Maiestatem contemnentes, Christianæ Religioni, & eorum Episcopo, tanquam spirituali Prælato aduersantes, ac aduersus Regium Capitaneum, Seditionem concitantes, grauiter deliquerunt, iurè ac meritò accusauit. Quamuis Regia Maiestas, & Nos, non ita facile reperire possemus, omnia ita se habere, quemadmodum in eos congesta fuerunt, tamen nolle illos, cum Regia Maiestate Domino suo Clementissimo, in disceptationem Iuris descendere, & cum summa animorum submissione, humilitate, ac genuum flexione, Nos ac prænominatum eorum Reuerendissimum Dominum Episcopum, orare & obsecrare, si quos excessus pro humana fragilitate, in prædictis admiserunt, debitamque pro ijs castigationem promeruerunt; vt hæc omnia, ex mera gratiâ & misericordiâ, amore DEI illis condonaremus, & rigorem Iuris in eos extendere nollemus. Fore illos deinceps Sacræ Regiæ Maiestati, & Reuerendissimo Domino Episcopo, in omnibus obedientes, & omnem debitam subiectionem, absq; reprehensione illos præstare velle, atque id Sanctè polliceri. Quibus Nos maturâ deliberatione & consultatione præhabitâ, tale pro tunc responsum dedimus.

Responsio Commissariorum. Etsi tanta delictorum magnitudo, debitas pænas iure exposceret, quas differre integrum non esset; tamen ad examinandos eiusmodi excessus, ac puniendos, non ita præcipitanter accedere Nobis videri, & habitâ petitionis ac humilitatis eorum ratione, ex merâ gratiâ & benignitate conniuendum aliquâ ex parte illis nunc Nos constituisse. Interea tamen *Vrbanum Poytke,* & *Laurentium Schönrade,* tanquam Auctores & capita seditionis huius, puniẽdos & in carcerem conijciendos esse putauimus. Cæteris autem mandauimus, *vt Clenodia & pa-*

ramen-

ramenta Ecclesiastica, quæ ex Ecclesia Parochiali & Monasterio abstulerunt, omninò restituere debeant; Et si quid inde distractum est, id intra vnius Anni terminum reponere, aut iuxta arbitrium & sententiam Reuerendissimi Domini Episcopi pro pænitentia mille florenos persoluere teneantur. Debent itidem inuestigare, Quis Concionatorem Lutheranum aduocauerit; Et cuius iussu & auctoritate perfectum id fuerit; simul & illud detegere, quinam Vrbano Poytki, & Laurentio Schönrade supranominatis, in tumultu contra Regium Capitaneum excitando, Complices & Socij fuerint. Et quoniam Regia Maiestas, Ciuitatem *Braunsbergensem*, Episcopatui *Varmiensi* clementer restituere dignata est, Mandauimus vt Reuerendissimo in Christo Patri, Domino *Mauritio*. Ecclesiæ huius Episcopo, tanquam vero & legitimo eorum Domino, debitam obedientiam & subiectionem, reddere omninò sint adstricti. Intimauimus quoque eisdem Regiam Maiestatem, Reuerendissimos & Magnificos Dominos, *Matthiam Vladislauiensem*, & *Mauritium Varmiensem* Episcopos, ac *Ludouicum* de *Mortangen* Castellanum *Elbingensem*, & Capitaneum *Engelburgensem*, suos cum plenâ potestate Commissarios *Braunsbergam* deputâsse, quibus etiam Nos, eam quâ Regiæ Maiestatis nomine fungimur, auctoritatem delegauimus, vt ibidem reos supra nominatos conuenire, & delinquentes punire, abusus omnes tollere, & Ciuitatem in Ordinem ac bonam quietem reducere valeant; simul Possesionem eiusdem Reuerendissimo Domino Episcopo Varmiensi tradant, quorum Dominorum Commissariorum aduentum, pro feria sexta proximè futura, dicti Ciues intimare debebunt, vt nemo incolarum, sub amisione vitæ & Bonorum, se absentare præsumat; quod datâ fide dicti Ciues se facturos receperunt. Datum & Actum *Elbingæ* feriâ secundâ, post Festum *S. Laurenti*, Anno Domini 1526.

Intimatio Cõmissionis futuræ.

Tandem Regij Commissarij, *Dominus Matthias Episcopus Vladislauiensis*, & *Ludouicus* de *Mortangen Elbingensis Castellanus*, 16. Augusti *Braunsbergam* venerunt, quò etiam *Episcopus Mauritius* appulerat. Die sequenti in Monasterio congregati, inquisitionem faciebant de Auctoribus, & Causis tumultûs excitati, in Ecclesia Parochiali, contra Catholicos & Capitaneum Regium. Et quamuis *Braunsbergenses*, Auctores huiusmodi prodere nollent, ideò fortasis quòd Senatus ipse, tanti mali Causa fuerit, tamen coniunctim omnes nemine excepto in genua prouoluti, culpam deprecabantur. Inter alios autem duo Proconsules, *Georgius Rabe* & *Leonardus* de *Rossen*, & ex Com-

Commissarij Braunsbergam venerunt.

Inquisitio instituitur.

Culpam agnoscunt.

munitate *Petrus Hirsten*, cum enumeratione facinorum perpetratorum, quorum causa, vitæ & amissionis bonorum, pænam promeruissent, maximè rei pronunciabantur. Sed nihilo minùs omnes coniunctim, ac si æqualiter deliquissent, prostrati, veniam à Dominis Commissarijs, præcipuè verò ab Episcopo *Mauritio*, in cuius potestatem venire debebant, supplices sibi dari petebant. Ad extremùm precibus & tantâ submissione id effecerunt, vt Domini Commissarij, Iuris rigore omisso, mitiùs cum illis agendum, quàm meruissent, existimarent. Itaque vt die sequenti in Arcem, Regiæ Maiestatis Mandata auditurí conuenirent, edixerunt.

Deprecantur.

Cùm in Arcem ventum esset die 18. Augusti, *Felix Reich* Cancellarius in hanc Sententiam verba fecit.

Sermo Cancellarij in Arce Braunsbergensi ad Ciues.

Postquam Serenissimus Princeps & Dominus, Dominus *Sigismundus* Dei gratia *Rex Poloniæ*, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Dominus & Hæres, Dominus Noster Clementissimus, Ciuitatem hanc *Braunsbergensem*, iustis de Causis in potestatem suam accepisset, eamque hucusque retinuisset, multa hic enormia euenerunt, contra Diuinam primùm, deinde etiam contra Regiam ipsam Maiestatem, contra Maiestatis illius Officiales, contra Reuerendissimi Domini Episcopi *Varmiensis*, Domini mei gratiosissimi dignitatem & auctoritatem. Diuinissimum Sacramentum suo cultu, Sancti DEI suo honore spoliati; Parochi & Sacerdotum aliorum annui reditus, contra Regiæ Maiestatis mandatum, per vim erepti & retenti; Seditiones excitatæ, templa & Monasterium spoliatum, Christiana vetus Religio exterminata; noua peregrina, & condemnata doctrina introducta; Senatus inordinatè loco motus, regendæ ac gubernandæ Ciuitatis ratio immutata, plurimaque alia illicita sunt perpetrata. Quamobrem cùm Regia Maiestas, grauissimis Regni negotijs occupata, venire huc non posset, pro Christiani Regis ac Principis officio, Commissarios suos cum summa potestate huc destinauit, videlicet Reuerendissimum in Christo Patrem Dominum *Matthiam* Dei Gratia Episcopum *Vladislauiensem*, & Magnificum Dominum *Ludouicum* de *Mortangen Elbingensem* Castellanum, vt excessus & abusus huc introductos, vnâ cum Reuerendissimo in Christo Patre Domino *Mauritio*, Dei Gratia Episcopo *Varmiensi* Domino meo gratiosissimo hîc præsente, tollerent & abolerent, ac in pristinum statum, tàm in spiritualibus, quàm etiam in temporalibus, ad DEI omnipotentis laudem, Regiæ

Maiesta-

Maiestatis honorem, Publicam pacem & vtilitatem, gubernandæ Ciuitatis huius modum reducerent; simul eius Possessionem, Reuerendissimo meo Domino Episcopo *Varmiensi*, darent & traderent.

Quamuis autem ipsa Iustitiæ & Iuris ratio dictet, vt illa tot tantorumque delictorum grauitas, capitali supplicio, Bonorum confiscatione, & Priuilegiorum ac Libertatis amissione puniatur; Habito tamen Vestræ humilitatis, & supplicationis ac deprecationis, quam *Elbingæ* per Nuntios vestros, & hîc ipsimet aliquoties præstitistis, benigno intuitu, quodque ea omnia facere, quæ vobis à Regia Maiestate, & Reuerendissimo in Christo Patre, Domino *Mauritio* Episcopo *Varmiensi*, vestro proprio ac naturali Domino, iniungentur, paratos vos esse promittitis; Illustres Domini Commissarij Domini mei Colendissimi, Iuris & punitionis rigorem hac vice omittere, & pro merâ gratiâ & bonitate, vobiscum clementer agere, ac quæ tolerabilia sunt, pro delictorum pænitentia, vobis imponere constituerunt. Quamobrem Regiæ Maiestatis auctoritate, & de eius speciali mandato, ad malorum correctionem, bonorum autem solatium, & Ciuitatis huius commodum, Illustres Domini Commissarij, Articulos quosdam & statuta conscripserunt & ordinârunt, quæ ab omnibus vobis in genere, & à quolibet in specie, sub obedientia Regiæ Maiestati debita, inuiolabiliter obseruari, volunt & mandant, Ea nunc vobis per me publicari iusserunt; quod etiam facio.

Nos *Matthias* Dei Gratiâ Episcopus *Vladislauiensis* & *Ludouicus* de *Mortangen*, *Elbingensis* Castellanus & Capitaneus *Engelburgensis*, Oratores & Commissarij Serenissimi Principis & Domini, Domini *Sigismundi* Dei Gratiâ Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithuaniæ, Russiæ, totius Prussiæ Domini & Hæredis, Domini Nostri Clementissimi, *Braunsbergam* cum plena Maiestatis Regiæ Auctoritate missi, significamus omnibus & singulis quorum interest. Quòd cùm Sacra Regia Maiestas, perpetuâ pace cum Illustrissimo Duce in *Prussia* stabilitâ, Ciuitatem hanc *Braunsbergensem*, quam tempore Belli idem Illustrissimus Dux occupauerat, ab eodem in suam potestatem recepisset, Ciuitas factionibus laborare, & seditiones ac tumultus concitare cæpit; Peregrinam & Catholicæ Ecclesiæ contrariam religionem recepit, Ecclesias spoliauit, Sacerdotes oppressit; Ordinariam Iurisdictionem Domini Episcopi contempsit; Contra Regium Capitaneum tumultuose insurrexit; Senatum

Decretû DD. Commissariorum.

& Regiminis rationem mutauit; Regia Mandata contemptui habuit; & multa alia detestanda facinora commisit. Quibus & alijs causis, Regia Maiestas adducta, Ciuitatem ipsam tantisper in sua potestate esse voluit, dum Regiâ auctoritate excessus punirentur, Christiana Religio restitueretur, tumultus sopirentur, & omnia in ordinem debitum redigerentur. Vt sic rebus compositis, Ciuitas talibus morbis liberata, pacificè ad obedientiam & Officium reuocata, Reuerendissimo Episcopo tanquam legitimo, & naturali Domino, in potestatem traderetur. Cùm Regia Maiestas, pro officij sui ratione, tanquam Christianissimus Princeps, in *Prussiam* veniens, subditorum suorum commoda procuraret, antequam discessisset, Nobis iniunxit, vt sublatis è Ciuitate hac, turbis & seditionibus, rebusq; Spiritualibus & Secularibus in ea rectè constitutis, eam sic purgatam & restitutam, Reuerendissimo in Christo Patri Domino *Mauritio* Episcopo *Varmiensi* & eius Ecclesiæ, cum omni Iure & pleno Dominio, consignaremus & traderemus. Quod quidem Negotium summâ fide ac diligentiâ, vnâ cum alijs Regiæ Maiestatis Consiliarijs, *Elbingæ* cum summa potestate congregatis, tractauimus, & rebus benè perpensis, maturâ deliberatione præhabitâ, Auctores seditionis puniendos, cæteros in Ordinem redigendos existimauimus. Vt autem futuris temporibus in hac Ciuitate Pax, Quies, & tranquillitas facilius conseruari, ab eaque incommoda & pericula quæque propulsari ac amoueri possint. Articulos & Statuta, inuiolabiliter perpetuò ab omnibus seruanda, ordinauimus & conscripsimus, quæ ad vtramque Ciuitatem *Braunsbergensem*, veterem videlicet & nouam, extendi & referri debere, volumus & decernimus.

Inprimis vetus Religio, & Catholicæ Ecclesiæ consuetudo, quam à maioribus Nostris, puram & incorruptam accepimus, salua & integra conseruari ac retineri debet. Nam si quilibet, pro suo arbitrio, religionem condere & mutare, ac iuxta proprium sensum, scripturas interpretari voluerit, nihil in rebus Fidei firmum, nihil in Politicis fixum erit, ac stabile; quod luce meridianâ, clarius videre licet apud Religionis Nouatores, qui dum Ecclesiæ Catholicæ doctrinam oppugnare conantur, ipsi inter se diuisi, miserandum in modum sese dilacerant.

I. Statutũ vt Fides & Religio Catholicæ Ecclesiæ conseruetur.

Mandamus itaque, vt Sacrosanctæ Catholicæ fidei & Cæremoniarum Ecclesiasticarum vsus, quemadmodum à maioribus per manus traditum accepimus, in omnibus & per omnia in ista Ciuitate deinceps retineatur, & obseruetur, quòd si quis con-

Ac Cæremoniarum Ecclesiasticarum vsus

trauení-

trauenire præsumpserit, pro delicti magnitudine se nouerit esse puniendum.

Si quis juxta receptum Ecclesiæ Catholicæ ritum, & Nostræ Constitutionis huius ordinationem viuere voluerit, hic intra quatuordecim dies, è Ciuitate, quocunque migrare voluerit, & ampliùs in eam non reuerti, tenebitur; alioquin capitis & bonorum omnium amissione mulctabitur. 2. Si quis ita viuere noluerit, migret.

Quoniam autem hoc tempore, multi sese in prædicationis munus præsumptuosè ingerunt, & sub specioso verbi DEI titulo, Zizania seminant; Mandamus sub vitæ & Bonorum amissione, ne quis deinceps, tàm intra quàm extra Ciuitatem, siue sit Ecclesiasticus siue secularis, publicè aut priuatim, alicui prædicandi facultatem concedat, absque expresso Reuerendissimi Domini Episcopi, aut eius Officialis consensu. 3. De Concionatoribus.

Quoniam Nouatores Religionis, veteribus & ab Ecclesia receptis orationibus, & Canticis spiritualibus reiectis, nouas precatiunculas & cantilenas, rudi plebeculæ venditant; Præcipimus & mandamus, vt omnes Ecclesiastici, Diuina Officia & Missas, juxta receptam Catholicæ Religionis consuetudinem, in hac Ciuitate celebrent, nullisque alijs orationibus, Antiphonis, Responsorijs, aut cantionibus vtantur, quàm ijs quæ fuerint, à Domino Episcopo, vel eius in spiritualibus Vicario, receptæ & approbatæ. 4. De Diuinis Officijs ac Missa & cantu Ecclesiastico.

Et quia multi spiritu auaritiæ ducti, violentas manus Bonis Ecclesiasticis inijciunt; Statuimus & ordinamus, quicunq; Clenodia, Vestes sacras, & alia Diuinis vsibus applicata ex Ecclesia vel Monasterio abstulerit, aut in suos vsus conuerterit, vt tanquam Sacrilegus, supplicio Capitis puniatur. 5. De apparamentis Ecclesiæ.

Inhærentes Regiæ Maiestatis, tanquam Christiani Principis, piæ & Catholicæ Ordinationi, præcipimus & districtè mandamus, ne quis in posterum libros ab Ecclesia prohibitos, turpes cantilenas, libellos famosos, & alia eiusmodi, quæ Christianæ Professioni non conueniunt, in Ciuitatem introducat, aut disseminet, sub pænâ Bonorum amissionis & publicationis ac proscriptionis. 6. De libris prohibitis.

Quandoquidem id cum æquitate & Principis dignitate coniunctum videtur, statuimus & inuiolabiliter perpetuis temporibus obseruari volumus, vt Officiales Reuerendissimi Dñi. Episcopi, Nempe Aduocatus, Capitaneus, aut Burgrauius vbiq; & in omnibus, Proconsulem & Senatum Ciuitatis, loco præcedant, quandoquidem Personam & locum Episcopi sustinent. 7. De præcedentia Officialium Episcopi.

Quòd ad Magistratum secularem attinet, quandoquidem ij qui Rempub: administrant, & Iuri dicendo præsunt, Dominorum & Principum suorum vices gerunt, quorum Auctoritatem sequuntur, valdè iniquum, & à Politica, rectè constitutarum Ciuitatum prorsus alienum Nobis videtur, vt Princeps à Boni publici procuratione, Iudiciorum, & Iustitiæ, ac rerum præsertim Criminalium administratione, excludi & remoueri debeat; Cumque euidenter appareat, quòd Proconsules Ciuitatis huius, libertate, in exercendâ suâ Iurisdictione multoties abutuntur, vnde Ciuitas in periculum & Discrimen aliquod, adduci posset; statuimus & Regiæ Maiestatis, quâ fungimur, auctoritate decernimus, ne Senatus modernus, à Plebe inordinatè electus, Officium & locum suum amplius obtineat & exerceat. Reuerendissimo autem Episcopo, nouum Senatum eligendi, auctoritatem & facultatem damus, & concedimus, districtè mandantes, vt nemo in posterum in Senatum admittatur & eligatur, absque scitu & voluntate Reuerendissimi Dñi. Episcopi, aut eius locum tenentis; cui etiam potestatem facimus, vt Proconsulem aut Consiliarios, cùm illi opportunum & expediens visum fuerit, loco suo moueat & deponat.

8. De electione Proconsulis & Consulum.

Declaramus itidem & decernimus, quòd in posterum Iudicium Capitis, in Ciuitate *Braunsbergensi*, pertinere tantùm debeat ad Dominum Episcopum pro tempore existentem, aut eius locum tenentem, qui de capite sententiam ferendi potestatem tantùm habebunt. Quodque Magistratus Ciuilis perpetuis futuris temporibus, absq; scitu & voluntate Reuerendissimi Episcopi, nemini in Ciuitate saluum conductum concedere, aut Militaribus copijs liberum Passum permittere possit.

9. De Sententia Capitis. & Libero passu.

Quicunque de nouo Consiliarius aut Scabinus creatus & electus fuerit, antequam loci & Officij possessionem adeptus fuerit, debet coram Reuerendissimo Episcopo, aut ab eo Deputato Iuramentum fidelitatis præstare, quodque si quos seditionem mouere velle animaduerterit, de ijs absque mora aliqua Reuerendissimo Domino Episcopo, aut eius Capitaneo significabit, idque procurabit, vt seditiosi huiusmodi, iuxta delicti qualitatem puniantur. Simile Iuramentum etiam præstabunt illi, qui in Contubernijs Artificum, in Seniores & Præsides electi fuerint.

10. De Iuramento fidelitatis per nouiter electos Consiliarios scabinos & Præsides artificum.

Mandamus itidem, vt nullus Ciuium tumultuosè, aut indebitis ac illicitis modis, se eligi in senatum procuret, sub pæna Capitis, vtq; non plures quàm quatuordecim Personæ in Senatum adsciscantur.

11. De electione quomodo fieri debent & quot Personæ in senatu eligi debeant.

Inter-

Interdicimus etiam & prohibemus in perpetuum, ne aliquo in loco, Congregationes Communitatis in particulari aut generali fiant, sine speciali licentiâ & concessione Reuerendissimi Domini Episcopi, aut eius locum tenentis, sub pæna amissionis omnium Priuilegiorum, si quid tamen emerserit quod communi consilio & assensu decerni & definiri debeat, tunc ex quatuor Ciuitatis regionibus, sex graues ac prudentes Viri ex Senioribus autem Artificum Duo, deputari debent, qui locum & suffragiũ in Consilio habeant, & in Prætorium aduocentur. Quilibet autem ex dictis Tribunis, ordinem suum in sedendo retinebit. Monemus etiam, ne quis aliquid aliud in medium adferat, quàm quod pro communi bono à Senatu propositum fuerit. Quòd si quis tale quid proposuerit, quod Ciuium vnitati, & statutis Nostris aduersetur, & non vocatus, inordinatè in Prætorium veniens, consultationes turbare ausus fuerit, is Capitis supplicium luet. 12. De modo Consiliorum faciendorũ & ordine eorum.

Quæ autem in supradicto Consilio, à Senatu & triginta duobus viris, definita & constituta fuerint, ea ab omnibus Ciuibus & totâ communitate inuiolabiliter obseruari debent. Quòd si de aliquo Articulo inter se conuenire non potuerint, de eo, ad Reuerendissimum Episcopum referent, vt is negotium determinet. 13. Quomodo Cõsilia obseruari debent.

Si Ciuis contra Ciuem aliquid habuerit, rem ad Magistratum & Iudicem competentem referet; & si illi Sententia Magistratus non satisfecerit, ad Dominum Episcopum illi appellare licebit, vel ad eius locum tenentem; Causæque huius prosequutionem, quæ tumultus aliquos excitare posset, sub pæna Capitis, nullibi, præterquam apud legitimum Dominum aggredietur. 14. De Appellatione.

Ne autem dissensionis & seditionis flamma, quæ non tàm facile sopiri possit, resuscitetur; seriò mandamus & statuimus, ne quis clam aut publicè talia verba faciat, quæ diuisionem aut rebellionem, contra spirituales personas, aut superiores excitare possit. 15. De Occasione dissensionum & seditionum fugiendâ.

Et quoniam seditiosi, solent initio clàm secum consilia communicare, præcipimus & mandamus, vbi duo vel tres personæ, siue viri siue mulieres fuerint, in ædibus priuatis, in templo, hortis, intra vel extra Ciuitatem conciliabula fecerint, quæ Constitutionibus & ordinationibus Nostris, & publicæ Ciuium quieti aduersentur, & si quis ad eiusmodi conuenticula consensum præbuerit, & nuntium aut literas miserit, de ijs, 16. Contra cõuenticula clandestina.

quicun-

quicunque notitiam habuerit, & Domino Episcopo; aut eius Capitaneo hæc non indicauerit, is Capitis & Bonorum omnium amisſione puniri debet.

17. Qualiter se gerere debeant seniores Artificum cum Opificibus.

Volumus, etiam vt seniores Artificum, habitâ Iuramenti sui ratione, in recipiendis exteris opificibus, eos diligenter admoneant, quam diu in Ciuitate versati fuerint, vt se modestè & fideliter gerant, & juxta Ordinationes Nostras, & Reuerendissimi Domini Episcopi mandata, tàm in spiritualibus quàm in secularibus negotijs, viuant. Magistri autem familias, huiusmodi leges, intimare Opificibus tenebuntur, qui si ob inscitiam contra eas aliquid commiserint, ipsimet Magistri, pro illis juxta delicti magnitudinem punientur.

18. Vt constitutiones istæ etiam per hospitia & tabernas publicentur.

Vt autem nullus Constitutionum harum nostrarum, ignorantiam prætendere possit, præcipimus & mandamus omnibus, Cauponibus, Cereuisiæ venditoribus, Tabernarijs & Ciuibus, qui exteros hospites, & aduenas, vel amicos, in ædes recipiunt, vt ad hospitum notitiam, leges has Nostras, tàm Fidem Catholicam, quàm Ciuitatis regimen concernentes, deducant, eosque moneant, vt ad Regiæ Maiestatis, & Domini Episcopi præscriptum, sese accommodent, sub grauibus pœnis à Senatu injungendis. Quòd si quis externus, Hæresim & damnatas ab Ecclesiâ doctrinas introducere, & ea quæ Fidei, aut Ordinationibus his Nostris aduersantur, disseminare ausus, post admonitionem huiusmodi fuerit; Is à Reuerendissimi Domini Episcopi Capitaneo, & Magistratu Ciuili, pro qualitate patrati facinoris, puniri & castigari debebit.

19. Vt Constitutiones istæ publicis libris inserantur.

Correctio, additio, diminutio, reseruatur Episcopo.

Articulus Capitalis Sententiæ ad Regem remittitur.

Ad extremùm volumus & mandamus, vt Articuli & Constitutiones hæ Nostræ, ad perpetuam rei memoriam, publicis libris insertæ, singulis annis semel Populo legantur; vtque ab omnibus, strictè & inuiolabiliter perpetuis temporibus obseruentur, quas tamen mutare corrigere, in illisque aliqua addere vel minuere, prout temporis & vtilitatis publicæ ratio dictauerit, potestatem & auctoritatem Reuerendissimo Domino Episcopo damus & concedimus. Articulum tamen ferendæ sententiæ Capitalis, Ciuitati contra Priuilegia, ademptum, ad Cognitionem, & Sacræ Regiæ Maiestatis vltimam Definitionem, reijcimus & remittimus.

Nos itaque supranominati Regiæ Maiestatis Legati & Commissarij, post lectionem & publicationem suprascriptorum Articulorum, in præsentia totius Communitatis congregati: adque sufficienti auctoritate fulti, Ciuitatem *Braunsbergensem*,

cum

cum omnibus Iuribus, Attinentijs, Dominiis & Præeminentijs, post præstitum fidelitatis Iuramentum, Regiæ Maiestatis nomine, Reuerendissimo Domino *Mauritio*, Episcopo *Varmiensi* hîc præsenti, eiusque Successoribus ac Ecclesiæ prædictæ, de speciali suæ Maiestatis mandato, restituimus & reddidimus. In cuius rei fidem & testimonium, Sigilla Nostra præsentibus literis apposuimus. Datum & Actum in Arce dictæ Ciuitatis *Braunsbergensis*, Sabbatho post Assumptionem Beatissimæ Virginis MARIÆ, die xviij. Mensis Augusti, Anno Dñi. 1526.

Restituitur Braunsberga Episcopo.

Sub hoc Episcopo, *Elbinga* à fide Catholicâ, ad Sectam desciuit Lutheranam; Infames Apostatæ, multùm contulerunt ad exterminium Religionis Orthodoxæ, quorum nomina graphicè recenset, *Ioannes Leo Decanus Canonicus Gudstadiensis*, in suo Chronico Prutheno, quod manuscriptum extat; hæcque se recognoscit mutuatum, ex historia Pruthenâ illius temporis, scriptâ linguâ Germanicâ, scriptâ non impressâ *Simonis Grünau Tolkmiten, Sodalis Ordinis S. Dominici*, qui eâ tempestate vixit Thorunij, Gedani mortuus est. è propinquo vidit & audiuit, quo furore, quàm impio ausu, Sanctior oppressa Antiquitas, Sacra omnia profanata, nouumque & heri natum dogma introductum. Neq; prætermittendum censemus, quod in Libro, seu Tractatu recenter impresso, super aduertentiam defectuum, in Capitibus Imperij Sarmatici connotauit, *Casimirus Zawádzki Succamerarius Mariebusgensis, Lipinensis Capitaneus*, auitæ claritudinis & Ciuilis prudentiæ præclarus *Rex Alexander*, in distrahendo Reipub: Patrimonio, nimiùm profusus, Districtum Scharpauiensem, cum aliqua Mensæ Regiæ prouentuum diminutione, *Lucæ Weisselroth de Alen Episcopo Varmiensi*, concessit an donauit. Successor *Lucæ Mauritius*, cum Ciuitate *Gedanensi* transegit, eundemq; vendidit Districtum, pro summa leuium marcarum, quindecim millibus. Adeò illo tempore, de non alienandis Bonis Ecclesiæ, inualidum fuerat Legum auxilium.

Ad propagandam Hæresim Apostatæ multùm contulerunt.

Hos Apostatas recenset Simon Grünau Dominicanus.

Rex Alexander districtum Scharpauiensē Episc. Varm. donat.

Hunc Mauritius Gedanensibus vendidit.

Mauritius autem Episcopus, plenus dierum & de Ecclesia DEI meritorum, inter manus suorum Officialium, Calendis Iulij Anno 1537. mortuus, & in Ecclesia Cathedrali *Varmiæ* honorificè sepultus est. Electus fuit à Capitulo in Episcopum Anno 1523. die Sanctorum Tiburtij & Valeriani.


Mauritius Febr. moritur.

Motus Braunsbergæ cicurat, noua dogmata in herba
*Extinguit. Leges dat Clero, * & Sacra statuta,*
Auget prouentus, successoriq; decoras
Ædes erexit Fraumburgi, & mœnia templi.

* *Gutstadiensis Collegij.*

XIX.

IOANNES IV.



ET huic Natales dedit *Gedanum*, Prudentiam, per Europam, Asiam, cùm Palestinam & sepulchrum Domini visêrit, pararûnt peregrinationes. Poësi valebat, Laureamq; meruit Poeticam. *Petri Tomicij Episcopi Cracouiensis Regni Cancellarij*, Viri incomparabilis, fauore promotioneq; fultus, & qui magnus literatorum audiebat Patronus, primùm Secretarius mox ad Cæsares, *Maximilianum, Carolum Quintum, Ferdinandum Bohemorum Regem*; *ad Rempublicam Venetam*, fuit Legatus;

Petro, Tomicio, charus.

Legatus ad Imperatores.

tus; Quas functiones cum eximiâ prudentiæ obiuit commendatione. In Aulâ *Caroli V. Imperatoris*, annis duodecim Legatus ordinarius morabatur, omnium Comes itinerum, etiam bellicarum expeditionum. Ad *Ticinum* seu *Papiam*, cladem *Gallorum*, *Francisci Regis* captiuitatem, vidit, spectauit. Legationis suæ tam longinquæ & diuturnæ, spisso complexus volumine seriem, quod extat inter Acta publica Tomicij. Dum eâ fungeretur Legatione, non alio prouisus fuit Sacerdotio, vt ipse scribit, nisi Parochiâ in *Gotabie*, quam vocat Columbam, ad Vistulam in Diœcesi Cracouiensi. Redux ab ea Legatione, Canonicatu auctus *Varmiensi*, Rege promouente *Culmensem*, adeptus *Episcopatum*, *Mauritioq;* defuncto, *Electus Episcopus Varmiensis*; annis vndecim in regimine completis, exuit Mortalitatem *Heilsbergæ* Anno 1548. Ætatis 64. sepultus in Ecclesia Cathedrali. *Paulus Piasecius* in suo Chronico scribit *Ioannem Dantiscum* perpetuas amicitias prophanarum literarum, commercia cum præstantioribus Scholarum Hæreticarum Magistris retinuisse, præsertim cum *Georgio Sabino* primo Academiæ Regiomontanæ Rectore, qui fuit gener *Philippi Melanchtonis*. Extant impressa eiusdem poëmata, vbi mutuo carmine scriptæ Epistolæ, Dantisci & Sabini leguntur. Non longè à fato hæc sibi scripsit epicedia.

Franciscum Regem Gallorũ vidit captiuũ

Parochus in Gotabie.

Canonicus Varmien. Episcopus Culmensis tandẽ Varmiensis.

Cum hæreticis commercia literaria habuit.

Iam Sexaginta coëunt & tres simul Anni,
Hactenus à superis quòd mihi vita datur,
Quam Climactericum contingere sentio tempus,
Vltimus hoc multis terminus esse solet.
Intra quod, si forte DEVS migrare iubebit,
Qui fuerim, paucis ista notata dabunt.
Aula diu tenuit me Regia, misit ad Orbis
Primores: erat hinc Infula dupla mihi.
Corpus habet tandem nunc terra: quiete fruatur
Spiritus ætherea, quæ sine fine beat.
Hoc quisquis transis, mihi quæso precare Viator.
Vt tibi posteritas, inde precetur idem.

Aliud.

Terra tegat carnem, sit Vermibus illius esca,
In cineres abeat, quod fuit ante cinis.
Ad te summe DEVS contendit Spiritus, illum
Reddo tibi; redeat, Venerat vnde prius.

Ambitio, spes, cura, labor, luxus, dolor, & mens
Rebus in humanis, irrequieta vale.
Soluor ab his, in bis dena trieteride, & vna,
Illecebris, durus quæ mihi carcer erant.
Viuimus incerti, postquam procul esse putabis,
Et minimè reris, fata venire solent.
Tu qui securus vis viuere, Mortuus esto
Mundo, & in hoc dubio turbine, viue DEO.

Effigies ipsius visitur in Domo Canonicorum Ecclesiæ Collegiatæ *Gudstadiensis.* Facies quadrata, inclinans ad rotunditatem, obesior vultus, oculi amænum quid spirare videntur, cui ipsemet hos adscripsit versus.

Vndecimum lustrum, mensem transgressus & vnum
Talis eram, qualem, picta tabella refert,
Quod vitæ superest, sit te Duce quæso peracta,
Sanctius in iussis ô pie Christe tuis.

Cui etiam Noster Senator egregiè alludit.

Eloquio nitidus præsul, charusq; Poësi,
Tres illum Reges titulis auxêre Poloni.
Munere Legati, Icarias perfunctus ad Oras,
Ingentes plausus famæ, & referebat Honores.

XX.

TIDEMANNVS.

Gisius in Aula Sigismundi meruit.

NOn interruptâ serie, tres Præsules Dantiscani Municipes, hanc rexêre Cathedram; Ex ijs *Tidemannus Gise* in Aula *Sigismundi Primi & Augusti* meruit, negotijs grauioribus expediendis, Literis scribendis in Cancellaria operam commodabat, eâ quâ pollebat, doctrinæ, styli, promptitudine, meritò illorum temporum, limatis scriptoribus adnumerare *Gissium* non veretur, *Reinholdus Heidenstenius*, magni olim *Ioannis Zamoyscij* familiaris. Prima illius fuêre Sacerdotia, Custodia Canonicatus Varmien. & Gedanensis Parochia; Ad Episcopatum Culmensem Regiâ euectus nominatione, Fidem Catholicam remissè, languideq;, non eo quem tantus exigit gradus promouit zelo. Cum Erasmo Rotherodamo, qui

Heidenstenius Gissium inter limatos scriptores recenset.

Frigidus Catholicus.

elega-

elegantioris literaturæ venditabat se restauratorem, amicam familiaritatem, scriptis ad inuicem literis fouit retinuitq;. Constans habet traditio, aliqua eum composuisse, quæ fidei Orthodoxæ iniuria aliqua deprӕhensa, neq; tamen in lucem prodiêre, rectèq; ad æternas damnata tenebras. Non toto biennio gubernauit Episcopatum. Moritur septuagenarius, anno 1550. 14. Immò suspectus.



Octob. & in Ecclesia Cathedrali, sepulturæ traditur. In Arce Lubauiensi Episcopatûs Culmensis, supra portas camerarum ab antiquo superius structarum, visitur bina eius effigies, sculpta & picta, facies oblongior, genæ barbâ rasæ, oculi viuaces, nasus aquilinus, vultus ad grauitatem compositus, germanicam. Moritur septuagenarius.

Facundus calamo Præsul, facundus & ore,
Sed (quod vix credas) in Religione remissus.
Immò aliquid contra scriptis vulgauit iniquum,
Quam sæpè ingenijs, mixta est dementia magnis.

XXI.

STANISLAVS HOSIVS.



STANISLAVS HOSIVS, Patre *Vlricho Hosio* ex *Anna* Coniuge, nobili familiâ ex *Marchionatu Badensi* prodijt. *Natus est Cracouiæ* Anno Domini 1504. die 5. Maij. Adole-

ſcens in Vniuerſitate Cracouienſi, in ſtudijs & Pietate educatus; ibidem Baccalaureatûs Lauream accepit. Auctore *Petro Tomicki* Epiſcopo Cracouienſe, in *Italiam* profectus; *Patauij* primùm, deinde *Bononiæ*, *Lazaro Bonamico* Præceptore vſus, Vtriuſq; Iuris Doctor creatus eſt. Reuerſus in *Poloniam*, promotore *Samuele Macieieuio*, Epiſcopo *Cracouienſi* & Regni Vice Cancellario; Secretarius Regiæ Maieſtatis factus; In Cancellaria, & præſertim negotijs *Pruſſicis*, *Sigiſmundo* Primo Regi, egregiam operam præſtitit: Qui eius præclaris virtutibus incitatus, non ſolùm Canonicatu *Cracouienſi*, & alijs Sacerdotijs Eccleſiaſticis eum auxit; ſed etiam moriens *Sigiſmundo Auguſto Regi*, Filio ſuo injunxit, vt eum ad Epiſcopatum quem in *Pruſſia*, primum vacare contigeret, eueheret; Itaque primùm Epiſcopus *Culmenſis* ſub *Iulio III. Pontifice Maximo* factus; Ab eodem *Auguſto* Rege, ad *Carolum V.* Imperatorem, & *Ferdinandum Romanorum*, ac *Philippum Hiſpaniarum* Reges, Orator in Belgium miſſus eſt. Legatione peractâ, ab Eccleſia *Culmenſi* ad *Varmienſem* translatus eſt, Anno Domini 1551. die 21. Iulij. In Epiſcopatu conſtitutus, totum ſe ad quærendam animarum ſalutem, & Sacræ Theologiæ ſtudium contulit. Ex Decreto Synodi Prouincialis *Petricouienſis*, inſigne illud Confeſsionis Chriſtianæ volumen conſcripſit, multaque alia contra ſui temporis Hæreticos edidit. Deinde auctore *Aloyſio Lippomano Veronēſi Epiſcopo* (qui cùm eſſet in *Polonia* Nuntius Apoſtolicus, *Hoſio* familiariter vtebatur) à *Paulo quarto Pontifice Maximo*, *Romam* euocatus, cum eo, de juuandis Eccleſiæ DEI rationibus conſilia communicauit; quo mortuo, à *Pio IV.* eius ſucceſſore, ad *Ferdinandum* Cæſarem, Nuntius Apoſtolicus, Concilij Generalis congregandi causâ, deſignatus eſt, apud quem, cùm triennium exegiſſet, & rem ex voluntate Pontificis, & Eccleſiæ Catholicæ commodo feliciter confeciſſet, ab eodem Anno Domini 1561. die 26. Februarij, abſens Cardinalis creatus eſt, & paulò poſt, etiam Legatus ad Concilium Oecumenicum *Tridentinum* miſſus; ibi toto triennio cum alijs S. R. E. Cardinalibus Legatis, Præſidentis munere, magnâ cum *Poloni* nominis gloriâ feliciter functus eſt. Finito Concilio ad Eccleſiam ſuam *Varmienſem* reuerſus, Diœceſim ab Hæreſi; quæ pullulare cæperat repurgauit. Patres Societatis IESV primus in *Poloniam* introduxit. Collegiū ac Seminariū *Braunsbergæ* eiſdē fundauit. In Regni Comitijs, Catholicam Religionem liberè, contra Hæreticorum conatus, defendit. Eccleſiam Parochialem

In Italiam proficiſcitur. I. V. D. Creatur

Redit in Patriā

Ad Aulam ſe confert.

Secretarius Regius creatur.

Canonic. Crac.

Epiſcopus Culmenſis.

Legatus ad Principes.

Epiſc. Varm.

Contra Hæreticos ſcribit.

Ad Pontificē Romam euocatur.

Nuntius Apoſtolicus ad Cæſarem.

Cardinalis Creatur.

Legatus ad Cōcilium.

Concilio Præſidet.

Varmiam reuertitur.

Patres Soc. IESV in Poloniam introducit.

Religionē Catholicam defendit.

Elbin-

Romam mittitur.

Pœnitentiarius Maior creatur.

Hospitale Romæ erexit.

Coadiutorē assumit.

Moritur.

Elbingæ ab Hæreticis occupatā, recuperauit. *Regiomontanam* seditionem auctoritate & prudentiâ suâ repressit. Postea à *Sigismundo Augusto* Rege, *Romam* Missus, negotia Maiestatis eius, summâ fide ac diligentiâ tractauit. *Pio V.* Pontifici Maximo, & eius Successori *Gregorio XIII*, valde charus, à quo etiam Maior Pænitentiarius, (quæ prima post Pontificiam in *Romana* Curiâ dignitas est,) creatus. Officium illud summâ cum integritatis laude gessit. Hospitale *Polonorum* in Vrbe fundauit & erexit. Cùm redeundi in *Poloniam* facultatem ætas ingrauescens prohiberet; Coadiutorem Episcopatûs *Varmiensis* assumpsit, *Martinum Cromerum*, Virum de Ecclesiâ & Repub. Polonâ benè meritum. Tandem in Septuagesimo sexto ætatis anno, cùm *Capranicam* vitandi æstûs gratiâ se contulisset, Anno 1579. die 5. Augusti ex hac luce migrauit. Corpus *Romam* translatum, in eius titulari Ecclesiâ S. MARIÆ Trans Tyberim, marmoreo tumulo conditum est. Præfuit autem Ecclesiæ *Varmiensi* Annis viginti octo, diebus quindecim.

Ad Ferdinandi fit, Papæ Nuntius, Aulam;
Concilij primus Præses Rectorq; Tridenti,
Absens Purpureum capit, inuitusq; galerum,
Sed gerit inuictus, propugnans Dogmata Christi.

Aliud.

Scripta Hosij mundus veneratur; gesta stupescit;
Catholicus sequitur, proterit Hæreticus.
Concilij Præses: Perfectus Episcopus, Vrbis
Gloria; Dux Fidei, Flos Patriæ, Orbis Amor.

Beneuolo Lectori.

MEruit ingens Orbis Christiani Lumen, *Stanislaus Hosius S. R. E. Cardinalis & Episcopus Varmiensis* (Cuius vitæ Sanctimoniam, Incomparabilem doctrinam, tota miratur & veneratur Europa) vt Vita ipsius prolixiori calamo connotata, huic insereretur Operi: At *Thomas Treterus Custos Canonicus Varmiensis*, tot annis *Hosio*, ad supremum diem familiaris, poterat aut debebat, copiosiùs & accuratiùs, Vitam ac Acta Hosij consignare; Verùm cùm *Stanislaus Rescius Abbas Andreieuiensis*, *Canonicus Varmiensis*, *Decanus Varsauiensis*, *Signaturæ in Curia Romana Referendarius*, *Hosij*

per

per annos complures Secretarius, justo Volumine vitam Patroni Benefactoris sui, eleganter eruditèq; sit complexus; Fortassis & *Thomas Treterus*, manum (vt aiunt) de tabula, actaq; agere supersedit. Neq; nos præsumimus ea in compendium redigere, quæ alias exacto cultoque dicendi genere, à *Rescio* connotata; satiùs foret si sumptus abundaret, eandem vitam, quæ non nisi in Bibliothecis exstat, iteratò in publicam mittere lucem, hocq; fieri optaremus. Porrò cùm *Cromeri* & aliorum sequentium, vix in aliquot lineis hæreat memoria; Nos simplici neq; ad genium sæculi vibrato stylo, ad modernum vsque Antistitem (cui vitam longæuam, curam, solicitudinem pastoralem auguramur) incorruptam professi veritatem. Seriem à *Tretero* inchoatam continuamus. Tu Lector faue & vale.

XXII.

MARTINVS CROMERVS.

PEr arduam Virtutis, Doctrinæq; viam, ex humiliori nascendi sorte, ad tantum gradum *Martinus Cromerus* euasit; Natale illi solum obtigit *Betzium*, Regij Iuris Ciuitas, tractûs submontanei in Palatinatu Cracouiensi. Ætatem primam, literis Latinis, Græcis, in Academia Cracouiensi, veteri Musarum domicilio, excoluit, manuductore *M. Ioanne* de *Casimiriá*, Viro illâ tempestate literarum præclaro. Primâ etiam obtentâ laureâ, & secundâ; ad eam eruditionis famam, quæ post Orbi innotuit literato, assurrexit. Exstant aiquot eius opera impressa, quæ Iunior ex Græco in Latinum vertit. Germanicâ, Italicâ postmodum susceptâ peregrinatione, cultiorem quæsiuit literaturam, quæ illi fauorem, patrociniumque *Ioannis Choinski, Gente Habdanci Episcopi Cracou: Regni Cancellarij*, egregiè probi & docti, conciliauit: Dumq; inter *Choinij* familiares eminet eruditione, opimioremq; præstolatur fortunam, præcox & immaturũ fatum, magno cum omnium dolore, *Choinium* rebus exemit humanis; nec minori luctu *Cromerum* compleuit, cùm spes suas intelligeret euersas; verùm qui in Episcopatu Cracouiensi successit *Petrus Gamratus*, collapsam *Cromeri* fortunam mox erexit; comperta erat doctrina *Cromeri*, tantòque faciliùs in censum suorum cooptauit Clientum, ingenij, industriæ exercendæ, monstrauit campum, grauiorumq; negotiorum æstimauit Arbi-

Patria Cromeri.

Studia in Academia Cracouiensi.

Eius profectus in Literis.

Peregrinationes.

Cancellario Regni, ob egregias dotes carus.

Petrus Gamratus fortunam eius erigit.

In Synodo Petricouiensi per orat.

trum: nec dum enim sacris initiatus, in Synodo Petricouiensi Prouinciali, à *Gamrato* Archiepiscopo Gnesnensi & Episcopo Cracouień. congregatâ, sermonem dixit, de dignitate Sacerdotali, qui exstat impressus. Ab eodem *Gamrato* Canonicatu Cracouień. & alijs auctus Sacerdotijs, Sandomirień Kielceń Canonicatu, Custodiâ Vislicensi, quorum retentionem, in Bulla Coadjutoriæ *Pius V.* indulsit, in Regiâ Aulâ comparuit, in numerum-

Canonicus Cracouień.



Secretarius Regius.

Ad reuidendũ Archiuum destinatur.

que & album adscriptus Secretariorum; Mox ad reuidenda connotandaque Archiui Regni diplomata, Priuilegia, aliasq; scripturas, à Rege *Sigismundo Augusto*, designatus. Negotium commissum prudenter, dextrè confecit; accuratum eorum omnium Indicem conscripsit, qui etiamnum manuscriptus exstat, cum Præfatione & Epistola dedicatoria ad *Sigismundum Augustum*. Memorat ibidem, arduum hunc se suscepisse laborem, suasu, consilio, ac promotione *Ioannis Ocieski*, tùm Procancellarii, mox

Ociescii promotione.

Regni

Regni Cancellarij, quem Patronum suum & Affinem, scribit nominatq; honorificè: Hinc magna conquisiuit adjumenta ad Historiam Regni conscribendam, quàm terso limatoq; dicendi genere, ac à Repub: literariâ nunquam satis laudato, ad tempora *Sigismundi Primi Regis*, omnium sæculorum memoriâ digni, perduxit. Opus primæ, secundæ, ac tertiæ editionis, *Basileæ* fuit impressum, vltimâ & nouissimâ recognitum curâ, jam Episcopus Varmień. *Stephano Regi* inscriptum, *Coloniæ Agrippinæ* dedit imprimendum; quod dum sub prælo sudat, Rex augendo conseruandoq; Regno vnicè intentus, mortalitatem expleuit. *Sigismundo Augusto* tam gratus, tantæq; æstimationis erat *Cromerus*, vt eundem (quod tùm Iuris erat Regii) Nobilitatis decorauerit prærogatiuâ. Recognoscit id ipsum Lib. 2do. suæ Poloniæ, narratq; Maternum se ducere genus, ex Gente *Iastrzębeciâ*, Paternum verò ex *Pierschaliâ*, & *Osmorogiâ*.

Historiam Polonam conscribit.

A Sigismundo Augusto, Nobilitatis prærogatiuâ condecoratur.

Legationibus ad Exteros Principes, cum eximiâ prudentiæ, dexteritatis, commendatione perfunctus: Ad *Carolum V.* Imperatorem, vnâ cum Principe *Nicolao Radziuilio M. D. Lithuaniæ Marschalco*; Dein ad *Ferdinandum Primum Romanorum Regem* mox *Imperatorem*; *Paulum IV. Pontificem Maximum*. Posteaquam verò *Carolus V.* rarò & insolito exemplo, cessione spontaneâ, Imperii diadema dimisisset, illudq; Collegium Electorale Ferdinando detulisset, apud eundem integrum exegit septennium, cum titulo Legati Ordinarii; cum eaq; dignatione à *Ferdinando* dimissus, vt ad Stemma, quo illum *Sigismundus Augustus*, cum Fratribus & omni ornauerat posteritate, nimirum dimidia Aquila pectore tenus, naturali colore extensis alis, laureâ coronâ, circa collum redimita, in rubro, gentilitium Austriacæ suæ familiæ insigne, rubram in albo scuto teniam per transuersum ductam, addidit, duoque Imperialis aquilæ capita, supra conum galeæ coronatæ posuit.

Legatione Cromeri.

Carolus V. imperium dimittit.

Domûs Austriacæ & Imperiali Insigni, augetur.

Inde redux *Ioanne* de *Stangenberg Kostka* Gedanensi Castellano, Terrarum Prussiæ Thesaurario, post Sandomirień Palatino, ad Anseaticas Ciuitates Lubecam, Rostochium, ab eodē Rege, demandatam, Legationem pari obiuit dexteritate. Tantorum ergò meritorum Prælatus, illâ ætate, in procliui erat altiorem sperare & occupare gradum; Erat in oculis orbis Poloni Doctrinâ præstans eruditioneq;, tùm vitæ morū spectata integritate *Stanislaus Hosius S. R. E.* Cardinalis & Maior Pœnitētiarius, quem in Epistola Dedicatoria, Polonæ Historiæ ad *Sigismundum Augustum*; suum recognoscit Præceptorem, ad prælaturam Cantoris & Canonicatum Varmień. promouerat *Cromerum*; Concilio

Redux in Patriam destinatur Legatus ad Anseaticas Ciuitates.

lio Tridentino, cui præerat Summi Pontificis Legatus, absoluto; redierat in Poloniam; cùm iteratò à *Pio IV.* Romam euocaretur, vbi grauioribus Ecclesiæ incumbens negotiis, ad supremam fati mansit lineam; Ne ergò Episcopatum, ab hæresi in viciniâ gliscente, aliqua afflaret contagio (prout ante *Hosii* contigerat tẽpora) *Sigismundo Augusto Rege* promouẽte, sacri Collegii Ecclesiæ Varmieñ. electione accedente, *Pius V.* cum futura successione Anno 1574. designauit, approbauit Coadjutorem: Reditu etiam prouisum ampliori, cum Schmolaineñ Cameraptum, *Hosio* indulgente, non contemnendam Patrimonij Episcopalis portionem, possidendam retinendamque *Pius V.* in diplomate Coadjutoriæ decreuit. Toto tempore vsque ad excessum *Hosii* Episcopatum Spirituali ac temporali gubernauit potestate; Circa cultum Diuinum, Fidei Catholicæ conseruationem, Ecclesiarum à Parochianis frequentationem, zelum ac solicitudinem spirantes Pastoralem, scripsit publicauit Ordinationes, quæ annexæ Statutis Synodalibus, eiusdem Diœcesis exstant impressæ. Cum *Stanislao Karnkouio* Episcopo Vladislauieñ post Gnesneñ Archiepiscopo, doctrinâ, pietate, zelo fidei Catholicæ, eminentissimo in Regno Antistite, coluit Amicitiam, id ipsum mutuæ testantur Epistolæ, quæ opera *Karnkouii*, in lucem prodierant publicam. Sæpiùs *Karnkouius* in *Prussiam* excurrebat Episcopalem, ac pro *Cromero*, designato necdum consecrato Episcopo, Ordinationes Cleri aliaq; munia faciebat Episcopalia. Cùm verò belli Dantiscani exarsisset flamma, eidemq; opprimendæ *Rex Stephanus* incumberet, post tentatam oppugnationem, Mindani fortalitii seu Laternæ, obsidione illius intermissâ, sub initium Septemb. Anni 1577. exercitu in statiuis disposito, cumq; *Marieburgum* Rex diuerteret, Danicæ quindecim Naues quæ Gedanensibus auxiliaturæ in Mari Balthico propè Gedanum comparuerant, in sinum eiusdem Maris, Habum dictum, excurrerunt, ductore seu Architalasso *Erchardo Munck Dano*, & *Ferdinando* Comite ab *Hardeck*, (qui Anno 1594. ob factam deditionem *Iauerini* seu *Iaurini* Turcis, capitis subiit supplicium) insperatè, morè Piratarum *Braunsbergæ* inuaserunt portum, missoq; ad Ciuitatem Tubicine, extrema denuntiant Ciuitati, ni rabiem, depræcationemq; militarẽ, Viginti imperialium millibus, redimerent: tandem conuentum, repræsentatâ impossibilitate, tantò lytro Ciuitatem imparem, vt minori pretio, quinque millibus imperialium, impendens Ciuitati pagisq; vicinis clades auerteretur; Hacq; summâ extorta, mittunt subitò *Frauenburgum*, imperando ingentis summæ solutionem, quæ

nisi

Coadiutor Episcopat⁹ Varmieñ. creatur.

In administrãdo Episcopatu eius diligẽtia.

Initium belli Dantiscani.

Rex Daniæ auxilium præbet Dantisco.

Braunsbergam inuadunt.

Lytrum extorquent.

nisi exolueretur tempestiue, ferro, igne sæuituros denuntiant: Coactum Capitulum, etiam consentiente *Martino Cromero* Administratore, durũ necessitatis telum auertere; hostilitatẽ comminatam mille redemit imperialibus. Nuntius horum ad Regem *Mariæburgi* peruenit subsistentem, miseratq; cum expedita militum manu *Gasparum Bekessium*, qui classe jam recedente venerat *Elbingam*. Sequiùs etiam Regi fuerat delatum, Capitulum fouere, vel non improbare, bellum contra Regem motum. Aderant aliqui Gedano oriundi, qui primaria tùm Collegii censebantur capita. Patuit nihilominùs innocentia, luculenterq; deductum, integerrimam fidem, subiectionem Regiæ Maiestati Capitulum, ne minimâ quidem temerasse suspicione. Multùm profuit Capitulo, efficax & validum patrocinium ac interuentio *Petri Dunin Wolski*, Supremi Regni Cancellarii, demùm Plocen. Episcopi. Addiderat non leue momentum *Hieronymus* Comes de Rozrazow Regni Secretarius Maior, Plocen. Præpositus; post Vladislauien. ac Pomeraniæ Episcopus. Hanc infelicitatem, alia domestica subsecuta, *Cromerus* mouit litem Capitulo, super certis articulis, præsertim circa iurisdictionem temporalem in bonis mensæ capitularis, quam hucusque independenter exercet Capitulum; Erant nonnulla juribus Capituli oppido præjudiciosa. Res ad Romanum deuenerat Tribunal, cuius declaratione, commissum Vincentio Laureo Episcopo Montis regalis, vt arbiter litem complanaret, quod egregie præstitit, litemq; hanc molestiorem, sine omni jurium Capitularium comminutione, definiuit. Tandem *Stanislao Hosio*, viam vniuersæ Carnis ingresso, Romæ nonis Augusti 1579. Ætatis 76. *Cromerus* pleni & integri juris Episcopus, Varsauiæ consecratus à *Stanislao Karnkowio* Wladislauien. Episcopo, vigilem, solicitum gregis, à Dño commissi, egit pastorem, Ecclesiam Remerswalden. Lauteren. Sacellum *S. Annæ* in arce Capitulari *Allenstein* consecrauit. Rege *Stephano* Victricibus armis, Liuoniam è manibus Moschorũ, Tyranni *Ioannis Basiliadis* vindicante, religionemque Catholicam à barbarie illâ prostratam, vel ejectam instaurante, nouos industriosque ex Episcopatu, ad Noualia, Liuonica excolenda misit operarios, Presbyteros, vitæ doctrinæ probatæ, Hæresi Lutheranæ circumquaque gliscenti, ne in *Prussiam* deriuaretur Episcopalem, summâ obuiauit solicitudine. Societatem Iesu, magno rei Catholicæ commodo *Braunsbergam* ab *Hosio* introductam fouit, in eamque fuit beneficus. Historia Polona ab ipso conscripta, cùm maleuolorum acriori laceraretur censurâ, Apologiam pro eadem scripsit. Annis iam fessus & Septuage-

Simile Frauẽburgo exigũt,

Capitulũ Varmiense fidei inculpatur.

Lis capitulo intentatur.

Tandem per commissarium componitur.

Morte Hosii publicatâ plenum Ius in Episcopatu Varmiensi obtinet Cromerus.

Mittit Rex in Liuoniam Presbyteros ne hæresi intaminetur.

Andream Bathoreū in Coadiutorem assumpsit.

ptuagenario maior, *Stephano Rege* requirente & commendante, *Andream Bathoreum Regis* Nepotem, Præpositum Generalem Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri, Miechowień. S. R. E. Diaconum Cardinalem, cum futurâ successione *Gregorio XIII.* approbante, Canonicatu ante Varmień prouisum, à Capituloq; electum, in Anno 1584. prout instrumentum coadjutoriæ satis clarè testatur, assumpsit Coadiutorem. Adoptionis huiusce honorificam facit mentionem, in Epistola dedicatoria ad *Regem Stephanum*, operis Historiæ vltimæ editionis; vocatq; *Andream Cardinalem Bathoreum*, dignitate Patrem, sacrâ adoptione filium. Nec diu superuixit *Cromerus* huic adoptioni, Anno 1589. Viuere desijt. Verùm obitum & aliqua memorabilia libet consignare verbis *Ioannis Leonis* Decani Canonici Gutstadień. cōpertæ probitatis, doctrinæq; Sacerdotis, qui in Chronico Prussiæ accuratè satis eleganterq; conscripto, quòd manuscriptum duntaxat in Bibliotheca Gutstadień. Collegiatæ asseruatur. Ita verò ille de morte *Cromeri*, Anno 1589. ætatis 77. Moritur *Martinus Cromerus* Episcopus Varmień. è Ciuitate Betzeń. oriundus I. V D. Canoń. primùm Cracou. Cantor Varmień. Regius Secretarius. A *Sigismundo Augusto* ad *Paulum IV. Pontificem Max:* deindè ad *Ferdinandum Primum* missus Orator, summam prudentiæ & integritatis laudem consecutus, ab eodem Episcopatus Varmień. Administrator, deindè Rege commendante, Coadiutor cum futurâ successione designatus, & à *Pio V.* Pontifice Maximo confirmatus, quo in munere nouem annos ita versatus est, vt ob absentiam Cardinalis Episcopi Varmień. Ecclesia nullum sentiret dispendium. Mortuo Cardinali in Conuentu Generali Varsauiæ solenniter ab Archiepiscopo Gnesnensi *Stanislao Karnkowio*, 6. Decembris. 1579. in Episcopum consecratus. Vir fuit pietate doctrinâ, insigniter præditus, & in negotiis tractandis, singulari quadam pollens dexteritate, cùm iam processisset in diebus, *Stephani Poloniæ Regis* adductus requisitione, consensu Capituli accedente, de Canonicatu Ecclesiæ Varmień. ante prouisum, designauit Coadiutorem *Andream Bathoreum* S. R. E. Diaconum Cardinalem. Quinquennio demùm ab hac adoptione euoluto, in senectute bona, plenus dierum, Anniuersario in Ecclesia ordinato, obdormiuit in Dño die 23. Martij. Sepultus in Ecclesia Cathed. Varmień. *Eius elogium nonnemo hoc consignauit metro.*

Moritur Anno 1589.

Ad Summum Pontificē, tùm Imperatorem Orator.

Vir pius & doctus legumq; peritus
Princeps Historiæ Sarmatis ora tuæ.
Prudens Orator, Pastor bonus, arbiter æqui,
Iustitiæ vindex, hostis atrox scelerum.

Circa

Circa Ecclesiam sibi commissam, vigilans solicitusq; fuit. Patet hoc ex frequentibus eius literis scriptis, quæ processus seu Circulares vocantur, quæ etiam nunc exstant; Ex Synodis ad emendationem vitæ, populi juxtaq; Sacerdotum, accommodatis. Quàm verò minùs otio & voluptatibus deditus fuerit, lucubrationes, & ingenij monumenta testantur, aliquorum pono indicem. Triginta libri de origine & rebus gestis Polonorum, opus ab exteris etiam *Paulo Iouio* Nouocomen Episcopo in elogijs Illustrium Virorum; *Francisco Robortello* Vtineñ. *Antonio Possevino* Societatis Iesu in apparatu ad omnium gentium Historiam, quanti æstimentur, ac ab alijs omnis literaturæ consultissimis; satis innuisse. Exstat etiam liber dialogorum, de vera & falsa religione, opus aduersus Lutheri, Caluini deliria polemicum. Catechises pro Diœcesi, germanicè & polonicè impressa. De musica liber. Apologia de nobilitate suâ, Oratio in funere *Sigismundi Primi Regis*. Aliquot etiam homilias *S. Ioannis Chrysostomi*, ex Græco in latinum vertit. Missalia, breuiaria, Agenda, qui sunt libri Ecclesiastici, ad ordinem aliquem reduxit, quibus post hac antiquatis, decenter maioriq; cum commodo Missalia, breuiaria Romana, ad vsum cleri Diœcesani introducta. Pari vsus diligentiâ in justitia administranda: Nam quotidiè post Missæ Sacrificium, quod vel ipse deuotè absoluebat, vel alio celebrante audiebat, querelis causisq; subditorum audiendis vacabat. *Burgrabium Heilsbergeñ.* alias affinem suum, ob illatam subdito cuidam Episcopali iniuriam, officio mouit, anteque solis occasum, arce migrare mandauit. Quamuis verò in Episcopali residentiâ, frequens opus exercebat justitiæ, quotannis nihilominùs arces, ciuitates visitabat; vbi de Burgrabiorum, Magistratuum probitate, administratione justitiæ, inquirebat. Grata & prospera viget eius memoria, vel apud eos, quibus ius dixit, etiam apud illos, quorum aliquos errores, vel delicta quandoq; redarguit. Dicere solebat *Futura tempora, quando illum viuum è tumulo desiderarent.* Mortuus est in lecto, præsentibus adstantibusque presbyteris, non ad mensam vt aliquis Geographus mendax scribere ausus. Cæterùm in Ecclesiâ Cathedrali, nulla ipsius exstat memoria, præter anniuersarium. Tantus Vir, sine honore tumuli & elogio quiescit sepulchrali. Quanquam erudita ingenij monumenta, ærè perenniùs Mausoleũ quæ Doctior admiratur orbis, eidẽ erexerunt: Sed & noster Senator tale illi dedit elogium.

Circa curã Ecclesiæ Cromeri Vigilantia.

Triginta libri de Origine & gestis Polonorum.

Alia Opera eiusdem.

Iustitiæ administrandæ amãtissimus.

Quotannis Ciuitates & Arces visitabat.

Mors Cromeri.

Nouit Cromerum, nouit, quicunq; Polonos,
Quos docto, totum calamo produxit in Orbem,
Extendens fastis facta, & longæua Trophæa,
Nec Scriptor tantùm, sed Pastor magnus vbiq;.

XXIII.

XXIII.

ANDREAS CARDINALIS DIACONVS BATHOREVS.



Bona Institutio. est Basis Virtutis.

FOns aut basis Virtutis, maturioris ætatis Viaticum, proba Institutio. Enimuerò euenit identidem, vt probæ ac sanctiori educationi, adultiores anni minimè respondeant, postremaq; primis non cohæreant. Hoc vtrumq; non euenisset *Bathoreo*, qui elegantem satis juuentutis sanctiùs curatiùsque educatæ prologum, tristi & lamentabili absoluit epilogo. Solicitam nimis dedit operam *Stephanus Rex*, vt literis iuxtaq; pietate à teneris imburetur. Abstractum à Matre, quæ sectæ fuit

tenax Luteranæ, *Pultouiam* ad Collegium Societatis Iesu, recenter ab *Andrea Noskowski Ploçense Episcopo*, erectum, transtulit: eiusque Institutioni *Iacobum Vuiecium* Societatis Iesu clarum Theologum, voluit ordinauitque præesse. Literis, Probitati *Bathoreus* ita incubuit, vt non dubiam spem, sanctioris induendæ togæ, ad quam destinabatur, probus, modestus, iuuenis videretur polliceri. In illa Palæstra dum excollit ingenium, moritur *Simon Lugouius* nominatus Episcopus *Præmyslien.* & *Præpositus Generalis Miechouiensis.* Anno 1583. Tam nobili amploque Sacerdotio, sanguinem suum propinquum, auxit *Rex Stephanus.* Erat tùm *Bathoreus*, juuenis annorum duo de viginti, emergebatq; aliqua difficultas circa electionem, quàm liberam & *Sigismundi Augusti* firmatam diplomate, Congregatio illa Canonicorum Regularium obtendebat ; Verùm *Stephani Regis*, feruens requisitio, *Alberti Bologneti* Episcopi Messaneñ. Apostolici Nuntii, deinde S. R. E. Cardinalis, *Petri Myskowski* Episcopi Cracou: persuasionibus cessêre, negotioq; complanato, *Bathoreus* electus *Præpositus* Generalis Miechouieñ: à *Gregorio XIII.* instante *Rege Stephano*, pio, totq; Victorijs celebrato Principe, impetratum Indultumq; vt eam Præposituram non in titulum, verùm per Commendam retineret. Anno sequenti venit *Miechouiam*, omnibus comis, affabilis, sacrum illum Canonicorum cætum, ita deuinxit, itaque obligauit, vt benè ordinatis, etiam in Regulari disciplinâ, fundatis religionibus, Ordinem illum reddiderit æqualem : prout hoc luculenter testatur *Samuel Nakielski*, S. Th: D. ejusdem Instituti, ad Pontem Regium, *S. Heduigis Stradomiæ* ad *Cracouiam* Præpositus. Sacerdos eximiæ pietatis & doctrinæ, à quo, seu eius *Miechouiâ* hæc & alia mutuamus. Neq; erubescimus profiteri, ac fontem coronare, ex quo hausimus.

Rex à Matre Luteranâ, abstractum Patribus Soc Iesu educandum committit.

Præposituræ Miechouiensi condecoratur Bathoreus Andreas.

Circa electionē difficultas.

Tandē sopitis difficultatibus eligitur in Cōmēdatarium. Venit Miechouiam.

Omnia suauiter ordinat & disponit.

Ordinatis religiosæ illius domûs, Rationibus, Statutis, seu Constitutionibus in Generalibus Capitulis conditis, quæ à *Sixto V.* approbatæ, impressæ *Braunsbergæ.* Rei familiaris curam commisit *Stanislao Suchorzewio* Calisiensi *Subdapifero* Viro industrio & probo. His ita dispositis voluntati Regis obtemperando, abijt in *Italiam*, *Romamq;* rectâ perrexit. *Gregorius XIII.* tanti *Regis Nepotem*, ante ex famâ, post ex vultu notum, peramanter excepit, & in Cardinalium creatione, in Sacrum Purpuratorum Patrum Collegium cooptauit. Erat tùm *Romæ*, imò in toto Christiano orbe, celebrata sanctioris innocentisque vitæ fama, *Caroli* Cardinalis *Boromæi*, Archiep. Mediolañ. vi-

Curā rei familiaris cōmittit Suchorzeuio.

Romam pergit.

Cardinalis creatur.

vum illud sanctitatis Exemplar, cum *Stephano Rege*, familiaritatem bonamq; Amicitiam, per commertia literarum, exercebat; eidem Nepotem suum impensius commendauit, vtque hæc nouella planta, Ecclesiæ decori solatioq; adolesceret, domesticâ familiaritate, Literis prolixiùs frequentiusq; scriptis ad *Bathoreum*, *S. Carolus Boromæus* allaborauit *Mediolanum* ad se diuertentem, omnibus Christianæ charitatis excepit officiis, sanctioribus instruxit monitis, etiam Diuorum Lipsanis, quorum corpora in Basilicâ quiescunt Mediolanensi donatum dimisit, quæ cum publico Instrumento, manu *S. Caroli* subscripto religiosè in Ecclesia seruantur *Miechouiensi*. Iteratò in grauioribus negotiis, à *Rege Stephano* mittitur *Romam Bathoreus* vbi mansit ad Obitum Regis, quo *Grodnæ* imperitiâ an perfidiâ medicorum extincto, idibus Decembr. 1586. Tam ferali nuntio in *Poloniam* reuocatus abiit *Bathoreus*, justa parentalia *Stephano Regi* persoluit, moxq; *Cromero* è viuis sublato Ecclesiæ *Varmiensis* iniit regimen. Episcopatum singulari moderatione mansuetudine gubernauit. Capitulum, omnem humanitatis testificationem; tùm & Prouincia pronam agnouit benignitatem; Ecclesiam filialem in Pago Tungen, natali solo quondam *Nicolai Tüngen Episcopi Varmień.* & quæ Matricem *Wormditensem* recognosceret, permisit ædificari. *Sacellum* in *Crossen* itidem nouiter erectum, vbi Diuæ Virginis Imago Miraculosa, *Wormditensi* Parochiali, voluit subesse. Partem arcis *Heilsbergensis*, quæ nunc camera Cardinalis appellatur struxit, vbi Mater eius Luteranismi pertinax habitabat. *Wartemburgi* desertum claustrū à sodalibus Minoribus obseruantibꝰ, quod ad Prouinciam spectat Saxoniæ, eiusdem Ordinis Religiosis *Polonæ Prouinciæ* contulit, & ne Annonæ difficultate premerentur, perpetuam prouidit Eleëmosynam. Ibidem sibi & Fratri cum Cenotaphio excitauit sepulchrum, verùm illud apophtegma *Patrui Stephani Regis*, quòd *Christophorus Varseuicius* limatissimus memorat, in sermone eiusdem funebri, satis veraciter adimpleuit: nimirùm multos sibi sepulchra condere, & centum millibus passuum ab iis mori atq; tumulari. Iussu & mandato *Clementis VIII. Pontificis Maximi*, *Germanicus Melaspina* Episcopus S. Seueri, eum Sacro Hypodiaconi ordine, votoq; non ampliùs nubendi obstrinxit. Porrò vt refert integerrimæ fidei scriptor *Stanislaus Lubienius Episcopus* Ploceń summis ingratijs *Bathoreus* hoc excepit, testatusque se pænè inuitum eò adegi, & posthac vt suo dicetur loco, grande post se reliquit documentum, seriò rem Diuinam

Mediolanum visitat.

A S. Carolo humanissimè excipitur & dimittitur.

Mors Regis Stephani.

Mors Cromeri Episcopi Varmiensis.

Andreas Episcopatum Varmień apprehendit.

Eius acta in Episcopatu.

Inuitus Subdiaconus factus.

esse

esse tractandam, nec ad leuis auræ spem, Statum Ecclesiasticum deferendum. Nihilominùs *Ioannes Zamoyscius* Regni Cancellarius & Exercituum Præfectus, ad ampliorem & altiorem gradum *Bathoreum* contendebat euehere.

Ab obitu *Petri Myśkouij* Episcopi Cracou: vacabat hæc Ecclesia, *Zamoyscius* Regi feruentiùs *Bathoreum* recommendabat, pro eo nexu affinitatis, qui illi cum *Bathoreis* intercesit. Verùm pro *Georgio* Cardinali *Radiuilio* efficaciùs aliqui egêre, cui Episcopatus hic cessit: in alijs occasionibus non immemorem se *Bathorei* futurum Rex pollicebatur, speq; non dubiâ fortunæ solabatur amplioris, quod quidem mox præstitit obtento à Regni Ordinibus consensu abeundi in *Sueciam*. Varsauiâ Gedanum versùs vistula soluit, ibidem per mare Balthicum in *Sueciam* ordinaturus profectionem. Factum in gratiam *Bathorei*, vt Rex *Czeruinscum* diuerteret, ad tradendam eius loci Abbatiæ Cardinali possessionem. Quod quidem vt memorat oculatus testis *Stanislaus Lubinski*, Episcopus Plocen. Rege præsente factum fuit, multùm renitentibus Religiosis, superesse adhuc Abbatem clamantibus, & Iura liberè eligendi Abbatis appellantibus. Sed frustra: nam *Germanicus Malaspina Nuntius Apostolicus*, ostendit Summi Pontificis id fieri voluntate, ni parerent, præsens illis anathema interminans. Viuebat adhuc *Stanislaus Falecki Abbas*, fessus annis, & sui pœnè impos, nec verbis sed lacrymis se tuebatur. Inuidiosa sanè videbatur hæc Sacerdotij, viuo altero, vsurpatio; quòd quidem multis alijs non benè cessit, hocq; ipsimet, post annos aliquot euenit Cardinali, vt mox constabit.

Abbatiæ Czeruin. Administrator creatur.

Sub Annum Domini 1595. *Rudolphus 2dus Imperator. Mariâ Christianâ, Filiâ Caroli Archiducis*, Reginarum *Poloniæ Annæ* & *Constantiæ Sororis*, *Sigismundo Bathoreo Transyluaniæ* Principi elocatâ, cùm eodem pacta inierat, de *Transyluania*, in Dominationem Domûs Austriacæ transferenda, pensando reditus *Transyluaniæ*, in *Silesia* Ducatus *Opoliæ* & *Ratiboriæ Bathoreo* in *Possessionem* consignauit, additâ etiam quotannis certâ pecuniariâ pensione. Subiit in breui pænitudo eius transactionis, vtq; post vulneratam causam *Sigismundus* quæreret remedium, ipsemet excurrit in *Prussiam Episcopalem*, *Cardinali* persuadet, vt quibuscunq; modis rescinderet transactionem de *Transyluania*, tanquam domui *Bathoreæ* iniuriam & præjudicosam; Ipsemet quasi Hæreditatem, *Transyluaniæ* Principatum iniret, certis tamen Possessionibus pro sustentatione *Sigismundo* designatis.

Sigismundus Bathoreus occasione Vxoris init pacta cum Rudolpho de Transyluania.

Pœnitet eum facti.

Cardinalem adit.

Vt Principatũ hæreditarium possideat persuadet.

Pergit in Hungariam.

Præcipiti magis quàm maturo consilio Cardinalis, abiectâ omni cunctatione, vltimis Decembris diebus, *Heilsbergâ*, *Schuzclainem* abiit, inde verò secundâ Ianuarij 1599. cum paucis domesticis solisq; Hungaris fatale hoc ingressus iter; ac discedendo ex *Schuzclaine* fertur suis dixisse, vado pro vobis immolari.

Arripit consilium.

Principatum Transyluaniæ apprehendit.

In confiniis Hungariæ aliquam *Polonorum* collegerat manum, cum quâ venit in *Transyluaniam*, vbi omnium Ordinum consensu & applausu gubernationem capesiuit illius Principatûs; mox ad Imperatorem *Rudolphum* mittit literas, denunciando Principatum *Transyluaniæ*, concordibus illius Populi suffragijs, sibi delatum; Transactionem à *Sigismundo* fratre factam Domui *Bathoreæ* prægrauem, & à jure communi exorbitantem quasi inanem transmittendam; Rogauit insuper decenter Imperatorem, ne cesionem *Sigismundi* temerè magis, quàm aliquo maturiori factam consilio dignam executione existimaret, satius promptum & fidele obsequium, vltrò sibi deuotum mancipatumq; sueta magis Principibus clementia admittere acceptareque dignetur. Erat tum *Georgius Basti Epirota*, per Hungariam armorum Præfectus, eidem scribit Cardinalis, vt satiùs arma contra Turcas, Christiani nominis expediret hostes, quàm ex Christiano imbueret sanguine. Sanè memoratu non indignum hîcq; addere quasi appendicem, magnis in *Polonia* Viris Domui *Bathoreæ* studiosis, ad Principatus illius Regimen Cardinalis euectionem, summopere displicuisse, atque cum primis *Ioanni Zamoyscio* supremo Regni Cancellario *Bathoreorum* affini, & *Regis Stephani* intimæ admisionis ministro, tantæque gratiæ, beneficentiæ obnoxio, quæ ipsum ad summos in Regno euexerat gradus. Præsenserat *Zamoyscius*, *Sigismundum Bathoreum* hæc agitare, vt *Transyluania* in titulos & hæreditatem transiret Austriacam, Vir ille ciuilis prudentiæ ingens exemplar, prolixas ad *Sigismundum Bathoreum* scripsit literas, quasi præscia mente denuntiando, quæ in breui euenerunt; eæ duntaxat hærent in manu scriptis, neq; eas vulgare consultum. Ad Cardinalem ne in apertum properet discrimen, extant Zamoyscij impressæ, in *Miechouia Samuelis Nakielski*; digna ibidem lectu *Stanislai Rescij* epistola, Neapoli scripta 15. Iulij. 1599. vbi suadet rogatq; Cardinalem, vt tuta & præsentia, quàm incerta & periculosa velit capessere, ad quarum lectionem, curiosum remittimus lectorem. Tantorum Virorum ponderosæ suasiones, à *Bathoreo* surdis auribus exceptæ, vtq; fatis Vrgentibus solent hominum sensus hebetari, ita certa securaque, incertis ac tur-

Excusat se Imperatori.

Apprehensio hæc Magnis Viris in Polonia displicet.

Scribit Zamoscius Sigismundo.

Etiam Cardinali.

Scribit & Rescius.

Sed frustra.

bidis

bidis præponens, in præruptum & ardens se coniecit discrimen. Subito ab Aula Viennensi aduolat mandatũ, ad *Georgium Basti*, conjunctis Viribus cum *Michaële Moldauiæ Palatino*, copias omnes in *Transyluaniam* promoueat, ex eiusq; possessione, deturbet *Bathoreos*. Cardinalis Viribus impar, non segnior tamen arma opposuit, & cùm vtroq; Imperatoris exercitu, non improspere dimicauit; omninò marte aperto, *Basti* & *Moldauus* aggredi Cardinalem, minùs consultum existimârunt, qui licet viribus inferior, fortiter & strenuè insistebat; Potentiam Austriacam ita distinebat, vt bello ambiguus, prælijs inuictus ex acie discederet. Erat præsens in Exercitu Imperatoris, *Germanicus Malaspina*, Nuntius Apostolicus ad Imperatorem, eodem munere in Polonia functus, Cardinalem, hypodiaconi collato ordine, Ecclesiasticæ adscripserat militiæ; Pro illâ familiaritate, quam in Polonia cum Cardinali contraxerat, excurrit ad Cardinalem; venditat se pro Arbitro, & sequestro pacificationis, vltro citroq; commeat, ad militiæ Cæsareanæ Præfectos, quasi suasurus Armistitium. Cardinali facilè credulo imposuit, vt à Cæsarianis Copijs nullam metuendo hostilitatem spemq; pacis ostentando, suam exauthoraret militiam; Cæsarianum Exercitum *Transyluaniâ* excessurum, Negotium pacis ex Voto Cardinalis confecturum, Verbis magnificus rerum vacuus, pollicebatur. Sensit breui Cardinalis pacis tractationem, extremo suo malo & fato, simulatè magis quàm verè ostentasse. Vix enim cohortes Polonicas, præsertim quarum tametsi paucorum fides & robur erat præcipuum, Cardinalis dimiserat, subitò aduolat *Michaël* cum viginti & ampliùs *Moldauorum* millibus, quibus partem suarum Copiarum adjunxit *Basti*. Tàm præualidum & potentem Exercitum, versùs *Sibinium* mouit *Michaël*, vbi Cardinalem *Malaspina*, spe cum Imperatore pacis conficiendæ detinebat. Tàm subita & improspera belli, cum *Inermi Cardinali* incumberet procella, *Malamspinam* compellat, seq; ab eo spe pacificationis illusum lamentatur; *Malaspina* harum omnium ignarum se affirmat, & quasi à conflictu *Michaëlem* retracturus, ad castra eius properauit, neque ampliùs ad Cardinalem regressus, aleam euentumq; belli in Castris *Michaëlis* præstolabatur. Hæc Chronica Pauli Piasecij, non infulâ magis, quàm libris scriptis immortalem promeriti gloriam, nobis suggesserunt, Reliqua delibamus ex Chronico Prutheno *Ioannis Leonis*, à nobis supra memorati. Cùm numeroso *Michaëlis* exercitu, Cardinalis aliquâ subitaneâ manu collectâ, tentauit conflictum:

Mandatũ Viennâ datur contra Bathoreos.

Opponit se Cardinalis.

Malaspina offert se pro Arbitro.

Sed in ruinam Cardinalis.

Spe pacis dimittit exercitũ contra quem Michaël ducit exercitum.

Dolum Malaspinæ.

De quo Piasecius.

Paruâ manu collecta pugnat Cardinalis cum Moldauo.

primaque acies *Moldaui* nutare videbatur; verùm multitudine ingruente, prælioq; redintegrato, Cardinalis ab Hungaris primariæ notæ desertus nimirùm à *Gasparo Cornyssio* Arianæ sectæ, cuius filium Cardinalis in Aula liberaliter fouit, tùm & *Stephano Botscaio* Varadini Præfecto Caluiniano, Ecclesiastici Principis dominationem ægrè ferentibus, proditus an desertus; nocte ruente ex illo prælio vix euasit; dumq; securitati consulendo, longiùs & remotiùs à loco conflictus excurrit, equo iam fatigato, ipse quoque lassus & prostratis viribus, ex equo descendit; cumque in herba quiesceret, somnus eundem arctius complexus, sequebatur Cardinalem, *Nicolai Iekiel* frater, quem inter suos adsciuerat domesticos, & aliquo prædio ad vitæ tempora donauerat; cumque ad eum peruenisset locum, vbi Cardinalis fatigatus ad quietem se composuerat, eundem & qui Comitatus erat Cardinalem *Romanum Masouium* iuuenem nobilem crudeliter falce obtruncat. Nebulo hîc sceleratus à Cardinali *Heilsbergæ*, satis benignè habitus, dumque eger decumberet, eumq; inuiseret, dixerat aliquando mortem ac necem eidem se illaturum: quòd tamen *Cardinalis*, non alicui malitiæ, verùm vehementi dolori qui delirium causabat imputauit. Caput Cardinalis occisi, à trunco recisum missum ad Aulam Viennensem, cum acinace, equo, & signo prætoriano, quod in Castris supra Cardinalem ferebatur. Truncum Cardinalis *Moldauus Albæ Iuliæ* seu Visemburgi sepeliuit, non sine ingenti multorum dolore, qui illi annorum 33. Iuueni vix octimestri potito Principatu acerrimè indolebant. *Nicolaus Istansi* grauis rerum Hungaricarum scriptor, narrat à *Siculis* qui *Moldauis* immissi fuerunt, Cardinalem interemptum, qui abiectâ purpurea Veste, vilem & villosam, ne agnosceretur, induerat habitum, ad radices montis Aitosi, qui *Transyluaniam* à *Moldauia* & *Podolia* diuidit; & is olim Alpes Sarmaticæ vocabatur; Fame siti fatigatum, ab hisce inuasum Siccariis, quorum impetum *Bathoreus* stricto latiore excepit gladio, pluribus tamen eum aggredientibus impar, securi iactâ circa sinistrum oculum in fronte, moxq; in occipitio lethaliter vulneratus exanimis concidit, iamque corruenti caput præcisum. A morte Cardinalis vt memorat *Reinholdus Heidensteinius* Regius Secretarius, *Ioannis Zamoscij* in negotijs Cancellariæ, summæ fidei, doctrinæ integritatis Minister, in historia Polona ab Excessu *Sigismundi Augusti*, ante decennium impressâ scribit ex omnibus *Bathoreis*, ab obitu *Stephani*, neminem magis capacem, dignumq; sceptro visum, quàm *Andream*

A suis desertus.

Vix euasit.

Lassus quiescit.

A suo domestico Vngaro Iekiel in somno obtruncatur.

Caput Viennam missum.

Truncus Albæ Iuliæ sepultus.

Laus huius Cardinalis.

Bathoreum : Nos etiam aliquorum vidimus literas, illo tempore scriptas hoc ipsum continentes : Præterquam enim, quòd viuo Patruo à tot annis in Regno versatus, cùm linguæ tùm hominum atq; Institutorum, majorem quàm cæteri notitiam haberet; Indoles etiam in eo præclara, magnarum virtutum vel index vel testis, egregia corporis statura formaque, vt primâ ætate, plerisq; eum commendabant. Verùm eius rei spem cùm potentia aduersæ factionis tùm ab ijsdem in omne nomen *Bathoreum* concitata inuidia tollebat. Memorat idem Heidensteinius post eam *Bathorei* crudelem cedem, literas ab Imperatore ad Regem *Sigismundum III.* missas sat prolixas, seriem machinationũ etiam cum Portâ Othomanica exprobrantes Cardinali, quæ verané an falsa non inquiro, concludo narrationem hanc verbis *Heidensteinij*. Nullam esse maiorem calamitatem, quam si non solum inique Innocentia opprimatur, sed post mortem etiam indefessa sceleris vltrò arguatur. *Thomas Treterus* Custos Varmiensis, Cardinali & Episcopo, cuius se recognoscebat Clientem, hoc scripserat metrum.

Viue diu, STEPHANI sanguis clarissime, Regis
Libros imple actis, non sine laude tuis
Ingenium Probitas animus quoq; Principe dignus
Ætas & Vires sunt tibi, Summa pete.

Cedes & funestus obitus ipsius incidit in diem Sanctorum Simonis & Iudæ Anno Christi 1598. sed his tristibus intermissis ad lætiora calamum vertamus, appositis Magni in Regno Senatoris Cardinali huic scriptis Carminibus.

Regalis de Fratre Nepos, dum Iura paterna
Vindicat, & quærit, Transyluanumq; Ducatum
Intrat, ab aduersi MICHAELIS concidit astu
Discite mortales, contenti viuere pauco.

XXIV.

XXIV.
PETRVS TYLICKI
PROCANCELLARIVS REGNI
Episcopus Varmiensis.



NEmini adeò sors contingit tenuis, quin per virtutem, Industriam augmentum & amplitudinem adipiscatur. Omninò in hoc Sarmatide magnam veri partem habet, Romanæ Stoæ Sophi illud memorabile dictum *Ex angulo cælum prosilire licet*. Inter tot exempla non postremus *Petrus Tylicius*. Natale illius solum, terra Cuiauiensis, Locus vbi primùm lucem aspexit, *Aduocatiæ Koualiensis* prædium; In Ecclesia Oppidi eiusdem, sanctiori ablutus lauacro, neque tanti ingratus beneficij ibidem Ecclesiam cocto ædificauit latere, ac pro dote Decem

Natale solum Tylicij.

Memor Ecclesiæ in qua baptisatus, in maiori gradu constitutus.

te Decem millium inscripsit summam. Parentum erat res tenuior, neq; is census, quo ille fultus maiora sperare posset, educauêre Iuuenem pro modo facultatum, & vbi domesticam absoluit Institutionem, ad Academiæ Cracouiensis studia, quæ ingeniorum *Poloniæ* audiuit olympia transtulerunt. Diuerterat ad Domum Contubernij Hierosolimitani studiosorũ, quam postea in maiori gradu, ampliori prouidit censu. Ab Academicâ diatribâ, ad Aulam transijt Regiam, externæ & peregrinæ limæ prorsus expers. *Ioanni Zamoscio* in negotijs Cancellariæ, quæ tersum elegans, neq; tumens phaleris dicendi requirunt genus, sedulam promptamque non sine commendatione promptioris obsequij nauauit operam. Erat eâ tempestate scribarum Cancellariæ honesta & spei melioris sparta; sanè complures in vtraq; Politia ad maiores euexit gradus. In eâ Palæstra primùm *Tylicius* meruit mox Secretarius Regius, Sanctiorem induit togam Canonicus Posnanieñ. primùm, mox Gnesnensis Præpositus Canonicus Cracouiensis, Regni Secretariatum à *Stephano Rege*, à *Sigismundo Referendariatum*, meritorum obtinuit præmium *Zamoscio* promouente, eodem annitente ad *Culmensem* euasit Cathedram; cumq; *Ioannes Tarnouius* ad Posnañ. promotus Episcopatum, Sigillumq; Regni minus dimisisset in Conuentu Generali Anni 1598. tantum capessiuit Magistratũ, quod factum in gratiam *Zamoscij*, cum ante inter illum & *Tarnouium* aliquibus certabatur simultatibus, bono publico obstantibus. Cum *Rege Sigismundo* nauigauit in *Sueciam*, vbi cùm omnia, *Caroli Sudermani* fraudibus ambitu, confusa reperisset, Rexq; in aperto versaretur discrimine, à pugnâ præsertim *Lincopiensi*, aut propè pontem *Strangebriensem*, in quâ *Polonorum* exiguæ Vires à *Suecis* partium Regiarum desertæ, nutabant impares potentiæ *Caroli*; neq; consultum videbatur, diutiùs in *Suecia* commorari *Sigismundo*, nullis copijs militaribus, ad *Caroli* machinationes euertendas, frangendamq; potentiam succinctò, prout hoc *Zamoscius* abeunti in *Sueciam* suaserat. Hoc ipsum *Tylicius* Regi repræsentauit, tamq; ingenti periculo subtracturus eò flexit, vt seriò de reditu in *Poloniam* cogitaret, *Dantiscumq;* ad finem appulit Octobr. Neque ab hisce actis, integro concluso biennio, volitat fama certusq; superuenit nuntius, *Cardinalem* atroci cæde è viuis sublatum, *Tylicius* iam ante Canonicatu prouisus Varmiensi Rege *Sigismundo* commendante à Collegio Canonicorum electus, *Clemente VIII.* confirmante Ecclesiæ regimini præficitur; morum eximiâ suauitate, Amorem & Beneuo-

Ad Academiam Crac: mittitur.

Absolutis in Academia studijs ad Aulam se confert.

Ibi primò Secretarius. Mox Referendarius.

Ac Episcopus Culmensis.

Tandem Procancellarius Regni.

In Sueciã cum Rege nauigat.

Eius dexteritas in periculis.

Fit Episcopus Varmiensis.

Ad Cathedram venit.

Reuocatur ad Aulam.

lentiam omnium prouocabat. Cum *Varmień.* Episcopatu, propè quadriennio Cancellarij munus obiuit, Ordinibus Regni, ob eximiam integritatem conniuentibus, neq; acrius executionem legis vrgentibus, quæ cum Episcopatu Varmień. Sigilli vetat retentionem ; Ad *Cathedram* venit 17. Aprilis Anno 1601. Episcopatûs Ciuitates lustrauit, negotiisque publicis ad Aulam vocantibus, ex Episcopatu abijt, *Ioanne Pisinio* Cantore Varmień. relicto Administratore. Sub eius regimine cum Thesauro Regni & Prussiæ, molestior exorta controuersia, cùm ob mansorum prætensam multitudinem, contributiones, magnâ cum oppressione plebis exigerentur. Gemuit sub hoc onere Episcopatus, donec eius Successor *Simon Rudnicius* Regiâ commissione impetratâ, Oppida Pagos ab hac releuaret præsturâ, vt suo dicetur loco.


Non completo integro quadriennio Varmiensem Gathedrã vti reditu & gradu inferiorem cum *Vladislauiensi* permutauit suffragante Regiâ Nominatione. Præposituram *Miechouiensem*, quàm post Fata *Stanislai Fogeluedrÿ* à Regis gratia obtinuerat in Anno 1603. vnâ cum Varmiensi etiam cum Vladislauiensi Episcopatu *Clemente VIII* indulgente, ad importunas preces eius argumenti, vidimus literas Summi Pontificis ad *Sigismundum Regem.* Porrò rem memorabilem refert, magnus Antistes *Stanislaus Lubrenius* Episcopus Płocensis in parænesi ad *Thomam Zamoscium*, cùm Regni Vicecancellarius renuntiaretur, Magistratui Cancellarij abrenuntiando, annulumq; Regni dispositioni relinquendo Regiæ? optimâ integerrimâq; gloriabatur fide, Nullam in hoc Magistratu minoris notæ scripturam, etiam Citationem Sigillo signatam, nisi prius lectam diligentiusq; à se examinatam. Hoc non ingratum licuit attexere parergon. Cæterùm *Tylicÿ* in Ecclesia Varmiensi hæc duntaxat extat memoria; Anniuersarium fundatum in florenis quingentis. Ex Cujauiensi Episcopatu translatus ad Episcopatum Cracouiensem, ibidemq; obijt 13. Iunij Anno 1613.

Summa virtus in Magistratu Cancellariatûs.

En Patriæ custos Aquilæ, Regniq; minister
Linguæ illi magna vbertas ac dulce loquendi
Pondus, & attonitas sermo qui duceret aures;
Cracouiæ tandem sedis conscendit honores.

XXV.

XXV.
SIMON RVDNICKI,
EPISCOPVS VARMIENSIS.



TRanslato ad Ecclesiam Vladislauiensem *Petro Tylicio*, Regiâ commendatione accedente, electus à Capitulo *Simon Rudnicki* de Armis Vulpium. Primùm Regni Cancellariæ Regens, Maior deinde Secretarius, Præpositus Posnaniensis, Custos Gnesnensis, Cracouiensis, Varmiensis Canonicus, nasci illi contigit in *Palatinatu Siradiensi*, qui pridem audit, vt elegans poëma Trabenta Siradia, inscriptum memorat virtutis natale solum. *Rudniciorum* Domus Orbi non ignota Polono, ibidem floruit, Officijs terrestribus, multi laudabiliter perfuncti, multi Senatoriâ claruerunt togâ. Vbi primùm per ætatem licuit,

Nascitur in Palatinatu Siradiensi.

Cracouiam ad Academiam mittitur. licuit, domesticâ imbutus disciplinâ, tum in aliqua minori Scholâ prima literarum hauserat elementa, grauiori & solidiori excollendum literaturâ Parentes Cracouiam ablegarunt.

Viuebant eâ tempestate in ea Regni Schola, *Iacobus Gorscius* Canonic9 & Archipresbyter Crac: *Stanislaus Socolouius* Canonic9 Crac:S. Floriani Præposit9, *Regis Stephani* Theologus, Viri omnis literaturæ cōsultissimi, eorū manuductione, ver iuuenile *Rudnicius* ita excolebat, vt omniū judicio sanctioris vitæ destinaretur instituto. (Eius Præceptores.) Annis aliquot Cracouiæ exactis, vltra Alpes, linguarum peritiam acquisiturus perrexit, & in Italiā excurrit, Bononiæq; triennium decenter exegit, studioq; juris Canonici seriò incubuit, etiam per priuata exercitia, stylum ita formabat, vt promptè, eleganter, latinè scriberet ac loqueretur. (In exteras nationes excurrit, Eius Studium Bononiæ.) Ad Aulæ Polonæ theatrum, ac demùm Episcopalis Senatoriæq; dignitatis trabeam, ita se parabat, vt postmodum cum omnium applausu, personam sibi cœlo annuente impositam laudabiliter egerit. Inde Romam abijt; (Romam se confert.) Viuebat eo tempore in Vrbe *Stanislaus Hosius* Cardinalis, Varmiensis Episcopus, Ecclesiæ, Reipublicæ Christianæ, valida & præpotens columna: Is Polonus Polonos in Italiam Vrbemq; aduentantes omnibus excipiebat officijs, Ingenium, Mores, singulorum, quasi ad libram expendebat, indeque vniuscuiusq; futuros metiebatur successus. (Hosio illi9 Mores & Indoles placuit.) *Rudnicij* modestiâ Indoles *Hosio* mirificè placuit, quam ijs occupabat studijs, quæ honorem Episcopalem quandoq; ornarent. Præsagire videbatur *Hosius* cùm familiariùs mensâ colloquio *Rudnicium* dignaretur, eum aliquando in Varmiensi Cathedra nacturum se successorem. Ac cùm iam Doctrina & Ingenium cum ætate *Rudnicij* maturesceret *Clemens Rudnicius*, *Simonis Patruus*, vnicè desiderabat, per viam Coadiutoriæ in Sacerdotio Gnesnensis Custodiæ, tùm & Vnicioiuensis Archidiaconatûs nepotē sibi designari successorem. (Coadiutor Gnesnēsis Custodiæ factus.) *Hosij* operâ & patrocinio tandem perfectum, vt hanc adoptionem *Pius V. Pontifex* ratam firmamq; haberet. Redit igitur in Poloniam, collectamq; Integritatis ac doctrinæ in Vrbe famam, in Regiam intulit Aulam. (Redux in Patriam ad Aulā se confert.) Regnabat tùm in Polonia *Stephanus Rex*, non belli magis quàm pacis artibus celebratus Princeps, Aulam ipsius impleuerant decora Ingenia, *Socolouij*, *Goslicij* Patricij, *Varßauicij*, literis & honoribus famam posthumam promeriti; ijs familiariùs innotescebat *Rudnicius*, ex eorumq; congressu doctior eruditiorque euadere contendebat, Dignitatem itaq; à *Stephano* inchoatam, à *Sigismundo* auctam ad Infulæq; apicem prouectam, *Rudnicius*

est

est adeptus. *Stephano* è viuis sublato, Regeq; *Sigismundo* succedente, ab eodem impensiùs cæpit æstimari. Inter Secretarios minimè otiosus, Legationibus Commissionibus varijs perfunctus, totq; grauioribus exercitus negotijs. Cùm *Petro Tylicio* collatum fuisset Sigillum minus, ab eodem *Rudnicius* Regens Cancellariæ dictus illam spartam, singulari morum comitate, & promptâ facilitate laudabiliter exornauit, styli elegantiam, continuâ quæsitam lectione, illis negotijs, literis, quæ sub manum veniunt Regentis commendabat, quam etiam externa non improbabant iudicia. Triennio in hoc munere versatus, industriæ meritorum præmium ad altiora gradum, maiorem Regni Secretariatum Regij censurâ iudicii obtinuit. Officium hoc illâ tempestate, inter laboriosa Aulæ reputabatur munia, etiam statuto Regni designata illi, maiorum honorum spes & expectatio. Opimiora etiam accessêre Sacerdotia, Præpositura Posnañ. & Scholasteria Lancicensis. His prouisus stipendijs, post non longum tempus ad *Varmiensem Cathedram*, Rege promouente accedente Capitulari electione euehitur, Anno 1604. Consecratus in Conuentu Generali à Nuntio Apostolico Claudio Rengono Episcopo Rhegij. Diutiùs Varsauiæ moratus, tandem ad curas Episcopales commissumq; properauit gregem. Venit ad Ecclesiam sub tempus Quadragesimæ, Dominica Reminiscere, ad implendam boni & probi Pastoris ideam totum se componebat. Exempla Antecessorum *Hosij*, *Cromeri*, reuoluere, ijsq; insistere solicitè contendebat. Occurrebant menti sanctioris notæ Antistites, *Carolus Boromæus*, *Robertus Bellarminus* Cardinales, ex illorum monitis librisq; iuris publici, continuò lectis, ad regimen gregis, seq; in eiusdem formam expoliebat. Assumptis in partem laboris, Viris sanctorum Canonum & disciplinæ Ecclesiasticæ gnaris, totam lustrauit Diœcesim, mores vitam Cleri curatiùs inspiciendo, id effecit, vt Curiones Populum sibi subiectum, quasi Operarij irreprehensibilis, non verbo magis, quàm proprio exemplo ad sanctiorem effingerent vitam. Diœcesanâ visitatione completâ, Synodum Heilsbergæ indixit, Cleroq; Diœcesano ad eam vocato, Sacrosancti Concilij Tridentini sancita, vt in Viridem abirent obseruantiam, anxiam intendit curam. Constitutiones Diœcesanas à suis conditas Antecedaneis, reimprimi mandauit, *Breuiarij* Diœcesani vsum, vt prisca ferebant tempora, & sui Prædecessores adhuc retinuerant, ille Romanum introduxit. *Rituale* circa administrationem *Sacramentorum* reformauit, quod

In Aula eius labores.

Regens Cancellariæ minoris creatur.

Secretarius maior.

Ad Episcopatū Varmiēsem euehitur & à Nuntio Apostolico Varsauiæ consecratur.

Imitator Hosij & Cromeri.

Diœcesim visitat.

Synodum indicit.

Eiusdem sancita.

modernus Antistes, vti Romano ritui minimè conforme, ritū Romano vero genuinoq; introducto, abrogari mandauit. Templa, Altaria, consecrare, Cleri ordinationibus vacare, Cathedrā circa festa solenniora visere, vsitatum illi fuerat. Gratam refert memoriam Altare maius in Ecclesia Cathedrali ab eodem consecratum tabulaq; seu mensa marmorea exornatum. *Heilsbergæ* vbi frequentiùs ob loci commoditatem, annonamq; faciliorem resident Episcopi, templum Parochiale, etiam cælo pluuio pedes adire, diuinisq; interesse officijs consueuerat. Nulla prætermissa dies, quin singulari deuotionis sensu Presbyterum sacra facientem audiret, vel ipsemet præmissa exomologesi, tremenda hæc celebraret mysteria. Subditorum querelis pronam dabat aurem. Libellos supplices ipsemet lectitabat: Ius Clero Populoque dixit, cum singulari moderatione, neq; in longum trahi sinebat lites, ac parti vtriq; mirificè judicantis placebat æquanimitas. Luxum fastum omnem domo proscripserat, nihilq; exoticum aut maiori sumptu quæsitum patiebatur: Dignitatis nihilominùs Episcopalis & Senatoriæ retinens, eo cultu corporis ad modestiam composito vsus, quem præscribunt Ecclesiæ sancita. Mensæ assidenti codex Sacræ Scripturæ & Historiæ Ecclesiasticæ prælegebatur. Ecclesiam Cathedralem sponsam suam amplis cumulauit donarijs, eidemq; suæ suppellectilis non modicam transcripserat portionē, quæ Harpijs Aquilonaribus in prædam cessit, dum à morte ipsius, vt breui dicetur, Ecclesiam, Prouinciam, plusquàm barbaricâ deuastârunt rapacitate. Superest adhuc *Rudnicianæ* Liberalitatis monumentū, argentea candelabra sex, crux maior argentea, Calix aureus, Infula opere Phrygio gemmis lapidibusque pretiosis distincta; multis alijs eximijs operibus, ad seram posteritatem, nominis sui propagauit memoriam. Ecclesiam Sancti Stanislai, in ruinam pronam deuotioni Polonorum *Heilsbergam* accurrentium, aut ibidem manentium restaurauit. *Wartemburgi* vbi Minoritæ sodales *S. Francisci* Regularis Obseruantiæ, à Cardinali *Bathoreo*, prout supra narratum introducti, cum Ecclesia illa muro ædificata, testudinem seu concumerationem nullam haberet, eandem & perystilium templo adjacens cocto struxit latere. Ecclesiam Parochialem *Elbingæ S. Nicolai* ad quam missionem PP. Societatis Iesu locauerat *Hosius*, exortâ belli Dantiscani procellâ, in eandem *Elbingenses* eiectis Patribus, rituque Catholico eliminato, Lutheranam hæresim induxerant, Decreti Regij vigore, postliminio vindicauit, reditu Curionem ibidem

Potes ac Regimen.

Bona opera.

Zelus in promouenda fide.

laboran-

laborantem prouidit. Eiusdem curâ & solicitudine Regiomonti Catholica Ecclesia ædificata auctaq; prouentu, non sine ingenti Catholicorum commodo, quorum in ea Ciuitate, non infrequens numerus. *Lindam Marianam*, locum Diuæ Virginis Matris, cultu & miraculis celebrem, inualescente hæresi profanatum, & in ruderibus sepultum, *Ioanni Sadorscio* Regio Secretario, è manibus hæreticorum vindicandi, efficax commodauit Patrocinium, sacelliq; adjuuit structuram. Regiomontanam Commisionem in Annis 1609. & 1612. ex Decreto Conuentûs Generalis Regni, vnâ cum adjunctis, ex Senatu & Ordine Equestri, eximiâ prudentiâ dexteritate perfecit, quæ in Volumine legum Regni exstat impressa. Limites controuersos inter Ducalem Prusiam & Episcopatum, tàm felici complanatione distinxit, vt nihil ampliùs superfit, quod litem & aliquam posset excitare dissensionem. *Ioannem Sigismundum Electorem Brandeburgicum in Prussia Ducem*, *Heilsbergam* ipso die festo, Sancti *Ioannis Baptistæ* Anno 1612. venientem, cum celebrata humanitatis & hospitalitatis excepit testificatione. Cum Regni thesauro & Prusiæ, circa publicas contributiones, quæ pro libitu asserto numero mansorum exigebantur, populo nimis graues, Regiâ Commisione super mansorum remisione impetratâ sopiuit, totq; molestiis controuersijs finem imposuit, Regiâ accedente authoritate, vt non nisi ex certo & determinato mansorum numero, Contributiones in thesaurum inferantur. Arces Episcopales vetustate collabentes, *Braunsbergensem*, *Wormditensem*, *Resselienſem*, restaurauit; Cameras aliquas superiores in arce *Heilsbergensi*, abraso antiquo squalore, elegantius adornauit. Motu Ciuili in *Polonia* exorto, aliquæ cohortes prædabundo in *Prussiam* Ducalem & Episcopalem excurrerant, nè rapinis in plebem sæuirent, *Rudnicius* partim positis militaribus seruitijs in Pago *Wuttrinen*, partim ciuilioribus auertit medijs, aliquâ offâ pecuniariâ ijsdem objectâ cohortibus. At longè grauior tempestas totum Regnum, Regalem Episcopalemque inuasit *Prussiam*, militia Regni quæ in *Moschouia* Demetrij partibus adhæserat, ab ijsdem retracta, promissâ stipendiorum solutione, tum & ea quæ Regijs auspicijs *Moschos* bello fatigabant, neq; subitò repræsentari, aut maturescere poterat solutio, colligatione seu Confæderatione concitatâ, totius Regni Oppida, Pagos, juris Regij ob Ecclesiasticorum, immani rabie, & Sanguineâ deuastabat rapacitate. Auctor seu *Marschalcus* legionum tumultuantium *Zbigneus Silnicki* Brombergæ seu Bidgostiæ, cum Selectio-

Lindam cultu & miraculis B. M. V. celebrē vindicat.

Ioannem Electorem Brandeburgicū humanissimè excipit.

Differentias thesauri Regni & Prussiæ sopiuit.

Circa motus domesticos sopiendos cura.

Circa Confœderationem militum.

Cuius Zbigneus Silnicki Director Bidgostiæ sedem habuit.

ribus illius militiæ, fixerat sedem. Tantæ calamitatis portio in *Prussiam* deriuabatur Episcopalem, Oppidani, Agrestes, insolitis pressi exactionibus, sub hac vix spirabant tyrannide. *Rudnicius* tàm acerbam populi miseratus sortem, propriâ supellectili, maioris pretij distracta, fundis etiam Episcopalibus, *Paulo V.* Episcopo Maximo annuente oppignoratis, militarē placauit insolentiam, & plebem prouincialem, in quam ingentibus hæc militia debachabatur rapinis, ex tàm graui seruitute, hoc redemit lytro. Meretur & hæc *Rudnicij* beneficentia factis inscribi æternitatis. *Braunsbergæ Wormditti* supra triginta iuuenes aluit, victum, amictum, tùm & alia subministrando necessaria: nec eos duntaxat hâc dignabatur liberalitate, quos nexus sanguinis cum *Rudnicio* nectebat, verùm alij Poloni, *Prutheni* nobiles, etiam ex plebe aliqui, in sortem tantæ admittebantur liberalitatis. Adeò *Rudnicius* pij Antistitis amantis, Ecclesiæ, Reipub. commoda Senatoris, partes implere contendebat; visu iuxta & affectu cunctis Venerabilis, ita lubricum hoc viæ iter, inter ambitionis & vitiorum huius sæculi abrupta, vacuus omni decurrit periculo, vt in ætatis & honorum cursu, nihil in præteritum habeat excusandum, omnia laudanda. Tandem annis & curis fessus, languere cæpit, & supremâ tentari ægritudine, quæ Medico ipsius familiari *Sebestiano Szleßkowski*, Viro compertæ in hac facultate peritiæ, Librisq; publici iuris famam in Repub. literatorum adepto, non adeò Sontica & periculosa videbatur, quin sanari, valetudoq; reintegrari posset; Ille nihilominùs supremam sibi imminere diem, quasi fati præscius euincebat, ad illumque agonem totum se pro more Christiano componebat. Narrauit ipsemet Presbytero, quem arbitrum & moderatorem conscientiæ eligeret, spem vitæ longioris penitus decollare; affirmabatq; *Stanislaum pium Presbyterum, minoritam obseruantem*, ante annum defunctum, in visu nocturno sibi apparuisse, hæcq; locutum verba: *Domine Episcope para te ad mortem ex hoc morbo non euades.* Nec mora curam animumque ad ea vertit, quæ ipsi ad brauium beatæ æternitatis, expeditum pararent cursum. Protinùs totiùs vitæ seriem percurrendo, noxas omnes cum ingenti doloris sensu, in sacro pœnitentiæ recensuit tribunali. Sacris omnibus Christianis procuratus, cum magnâ Christianæ pietatis significatione, extremam obitûs sui præstolabatur horam, quæ tandem eum quarto nonas Iulij natum, annos sexaginta nouem, exactis in Episcopatu Sexdecim, ex hac mortalitatis euocauit statione, non absq; mærore & luctu totius Prouin-

Magno lytro redemit populi calamitatē.

Multos Iuuenes aluit.

Tandem annis & curis fessus.

Ad mortem se disponit.

Moritur.

ciæ ipsius beneuolentiæ, beneficentiæq; vixerunt obnoxij. Testamentum condidit benè valens, pro modo peculij, quod non adeò amplum reliquit. Erga Ecclesias, quarum olim reditu sustentabatur, liberalis, familiæ non immemor, Consanguineis aliqua legauit donaria, quos nullis coëmptis possessionibus studuit locupletare. Villam hæreditariam *Rzeczyca Municipij Siradień.* Ecclesiæ Collegiatæ Viennensi transcripsit, erecto ibidem Canonicatu, quem è domo *Rudnicianâ* Sanctorum indutis togam conferendum ordinauit. Ecclesiam *Varmiensem*, ex triente scripsit hæredem, extantq; duo Anniuersalia in hunc vsq; diem opimioris censûs. Tumulum sibi extrui mandauit, ad sinistram partem Aræ maioris, quem Suecorum impia & rapax violauit manus, mortuoque non parcendo, catenulam cum cruce auream, & annullum detraxit. Capitulum *Varmiense*, gratitudinem optimo testificando Præsuli, Altare erexit marmoreum, in quo visitur sculpta *Rudnicij* effigies, genua flectentis ante effigiem Christi Saluatoris è Cruce pendentis, cum hac inscriptione in Altaris tumba.

Eius testamentum.

Sueoorum impietas in mortuos,

D. O. M.

Nec non conseruandæ in posteros gratæ memoriæ *Illustrissimi* & *Reuerendissimi Domini Simonis Rudnicki*, ex *Comitibus* de *Bechczyce*, *Episcopi Varmiensis* Beneficentissimi, *Capitulum Varmiense*, Aram hanc posuit, vt hostilem injuriam, priori monumento illatam, suffecto Sacratiori opere vindicaret. Anno M. DC. XXXVII.

In lapide sepulchrali.

D. O. M.


Reuerendissimus Dñus Simon Rudnicki D. G. *Episcopus Varmiensis*, hîc sepultus est: Obijt *Heilsbergæ* Anno Dñi M. DC. XXI. Die 4. Iulij ætatis suæ Anno LXIX. Deus animæ illius sit clemens & propitius. Reuertatur puluis in terram suam, vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. *Eccl.* 12. Executores Testamenti & Hæredes posuêre vitam *Rudnicij*, accuratiùs connotauit *Ioannes Riuocius* Societatis Iesu, ex ea aliqua libauimus, interim ad alia calamum vertimus, præmissis Carminibus Magni Senatoris.

Dictis & factis indefessoq; labore
Commissas benè pascit Oues. Brandburgica Feuda
Concinnat Regis iussu; tutatur egenos,
Ære iuuans proprio; moritur prouectus in annis.

XXVI.

IOANNES ALBERTVS

Poloniæ & Sueciæ Princeps Episcopatus Varmień Administrator.



Ioannes Albertus dispẽsatione Sedis Apostolicæ Episcopatum Varmiensem assequitur.

REgio thalamo sobolescente, hæc cura exercuit *Sigismundum III.* & *Constantiam Reginam*, vt honori Sacerdotij & sanctiori vitæ sorti, *Ioannem Albertum Poloniæ & Sueciæ* principem destinarent. Vacabat Episcopatus Varmiensis à morte *Rudnicij*, ad eum *Ioannes Albertus* annorum tredecim Iuuenis promotus, intermissâ etiam Canonicatus prouisione quæ ne à Capitulo vrgeretur *Gregorij XV.* interuenit mandatum, tantiq; Regis Filium, ab hac lege & consuetudine absoluit; Electio nihilominùs integra mansit, Regiæq; commendationi vota & suffragia capitulum detulit. Administratio Episcopatûs, cùm per

ætatem

ætatem, muneri huic esset impar, à *Gregorio XV.* indulta in eamq; rem, Sacrum expeditum diploma. Additus à Sede Apostolicâ Coadministrator *Michaël Dźiałynski*, Episcopus Hipponensis Suffraganeus Varmiensis, Camenecensis deinde Episcopus & Abbas Mogilnensis. Accessêre grauiorum negotiorum Arbitri *Iacobus Wierzbięta Boruchouius* Archidiaconus Varsauiensis Scholasticus Lancicensis, qui obiit Regni Referendarius. *Paulus Piasecius* Canonicus Varmiensis, qui decessit Episcopus Præmysliensis, & Abbatiæ Claræ tumbæ Administrator scriptis in Orbe literato clarissimus. Vix Administrationem Episcopatûs capessit *Ioannes Albertus*, ab Aquilone atrox belli tempestas, Episcopatum inuasit Varmiensem, *Gustaphus Adolphus*, *Caroli Sudermaniæ* Principis filius qui *Sigismundum* regno excluserat, illudq; ad se suamq; traxerat stirpem, non nisi vano titulo *Sigismundo* relicto, parenti vitâ functo successit; Erat hic Princeps Martiæ & præliaris indolis (demptâ armorum justitiâ) Cumq; euulgarentur arcana *Sigismundi* consilia, de Regno Sueciæ, ab iniquo vindicando possessore, præuenire quàm præueniri satiùs existimauit. Liuoniam juris Polonicæ Prouinciam, armis & bellicâ fortitudine *Stephani Regis* Moscho ademptam, mari Balthico adjacentem, cum Viginti quatuor millium exercitu, nullâ præmissa clarigatione occupauit; vsus eâ temporis opportunitate dum *Poloni*, graui ac periculoso impliciti bello, de summa rerum cum *Osmano Turcarum Imperatore* dimicarent. *Rigam* primariam Ciuitatem, proditione Ciuium traditam cepit, cæteræ Arces tantæ impares potentiæ, Rigensem sequutæ deditionem. *Liuoniâ* occupatâ præsidijsque insessâ, belli in *Prussiam* transferendi agitabat consilia, quæ ita tecta occultaq; fuêre, vt non nisi classe *Sueticâ*, in mari comparente innotescerent. Diebus Iulij Anno 1626. cum triginta nauibus, portum Pilauiensem, nemine resistente, & arma opponente intrauit: eius loci Præfectus officioso tormentorum displosorum fumo, hospitem non hostem aduenientem salutauit, lautoq; ac liberali tractauit epulo. Locum illum *Suecus* suo firmauit præsidio, Electorali dimisso. Nec diu moratus, sinum maris Baltici *Habum*, *Erischhaff* dictum, quem à mari *Neringa* peninsula diuidit, cum suâ Classe inuasit; ipse ad propinquum vicinumq; Habo Castrũ, Brandeburgum deflexit, vbi perhumaniter & honorificè exceptus, belli necessaria incredibili celeritate, eidem suppeditata, quasi in antecessum prouisa promptè satis alacriterque Ducalibus ministris hæc procurantibus. Equi quingenti subitò conquisiti,

Eius coadministrator Michaël Dźiałynski.

Arbitri Iacob. Wierzbięta & Paulus Piasecki.

Gustaphus Liuoniã inuadit.

Idq; tempore belli cum Osmano.

Riga sine vllâ oppugnatione desciscit ad Gustaphum.

Inuadit Prussiam.

Pilauam per deditioné occupat.

Habum inuasit.

Brãdeburgum deflexit.

Cui omnia necessaria ad prosequendũ bellum suppeditãtur à Ducis Prussiæ ministris.

Braunsbergam occupat.

quisiti, cum nonnisi pedites sex mille vt scribit *Piasecius* fossoribus magis quàm bellatoribus similes secum adduxerit. Octauâ Iulij ex Habo, cui fluuius *Passerim* propè *Braunsbergam* miscetur, ad littus eiusdem fluuij, militem incontinentem eduxit, moxq; *Braunsbergam* primariam Episcopatûs Varmiensis Ciuitatem aggressus, omni munitione vacuam, Magistratu Ciuibus, terrore insperato consternatis ad deditionem còegit. *Frauenburgum* vbi Ecclesia *Cathedralis Varmieñ.* & Canonicis ab antiquo residere mos est, vno lapide à *Braunsberga* distans, vehementer exterruit, Classis *Hæbum* nauigans, tùm Nuntius captæ *Braunsbergæ*; Canonicorumq; circa Ecclesiam residentium pro tunc non infrequens erat numerus. In tantis angustijs, nullum aderat auxilium consiliumque; Ad deportandam Ecclesiasticam suppellectilem metu hostili confusi subditi, officiũ subuectionis recusabant aut denegabant; Modicum quid ex hac suppellectili, (parte illius potiori relictâ) *Allensteinium* ægrè auectum; Canonici hostilitatem declinando, ad tutiora recesserant, aliqui in Poloniam abierant, nonnulli in Episcopatu circa confinia morabantur. *Henricus Hindenbergius* Cantor Varmieñ. receperat se mansurum circa templi custodiam, prout mansit, cum ducentis peditibus, ad militaria seruitia, iuxta morem Prouinciæ obligatis. *Gustapho Braunsbergâ* hærente, *Hindenbergius* ad illum excurrit, deditionem Castri Spontaneam (vbi Ecclesia Cathedralis) offerebat, modò Ecclesiam militari rapinâ, edicto seueriori Regis posset conseruari. Hanc immunitatem *Gustaphus* non grauatim spondebat promittebatque. At vbi *Gustaphus* venit ad portam Castri, *Hindenbergius* frustra fidem datam implorabat, portâ clausâ Regem intromittere, nisi de promissa cauerat securitate, nolebat: at irruentes *Sueci*, reiecto *Hindenbergio*, in Basilicam Cathedralem irruperunt, & quidquid Sacræ remanserat suppellectilis abstulerunt. Mortuorum sepulchris non parsum, *Simonis Rudnicij* Episcopi tumulum expilarunt, mortuoq; Episcopalia ablata insignia; Sacrum panem Eucharisticum ex argentea arculâ, super templi pauimentum proiectum & dispersum; *Gustaphus*, sine horrore spectauit vocatoq; *Hindenbergio* irrisit illusitq; suppellex omnis Ecclesiastica, organorum elegantior structura, tabulæ altarium, ipsaq; altaria ad *Sueticas* deportata naues, & in *Sueciam* auecta, campanæ maiores itidem ablatæ, vnâq; cum naui mari absorptæ. Ipsemet etiam *Hindenbergius* in *Sueticam* tractus captiuitatẽ, ex quâ non leui redemptus pretio, libertatem tandem nactus, ærumnis con-

Terror ingens.

Penes Ecclesiam solus Cantor Canonicus remansit.

Immunitatem Ecclesiæ spondet Rex.

Sed frustra.

Mortuorũ sepulchris non parsum.

Sed nec Eucharistiæ sanctæ.

Suppellex Ecclesiastica in Sueciam deportata. Etiam Campanæ.

fectus

fectus non diu superuixit. *Frauenburgum* eo tempore à *Suecis* incensum, ferè totum in fauillas & cineres abijt. *Wormdittum*, ab excurrentibus in Episcopatum Suecis occupatum, præsidiumq; ibi militare locatum. Parochiæ, Pagi, insolitis pressi oneribus, ingensq; ex hac rapinâ summa pecuniæ corrasa ; serpebat vlteriùs per Prouinciam hæc rabies hostilis, Melsaccum Capitulare oppidum, direptum & incensum, arxque Capitularis ibidem exusta. Vltimis Iulij diebus *Wormditto Sueci* excurrentes, *Gudstadium*, Ciuibus arcendæ hostilitati prorsus inparibus inuaserunt, Canonici illius Collegiatæ ad famam propinquæ hostilitatis, tempestiuè recesserant, & securitati consulerant. Collegium seu domus, in quâ Canonici resident, adjacens Ecclesiæ, ita direpta expilataque, vt vix parietes aut muri non diruti remanserint ; In oppido relictũ Sueticum præsidium, quod *Wormditti* & *Gudstadij* non diu substitit. Superuenit cum *Polonis* Cohortibus, *Martinus Kazanouius* Castellanus Halicień. veteranus Tribunus, (qui Palatinus Podoliæ & Campestris militiæ obijt Præfectus) à *Stanislao Koniecpolio* Palatino Sendomirień. Supremo exercituum Generali, (qui Birsauiam obsidebat) in Prusiam missus Episcopalem, ex illis locis hostes ejecit, prædasq; & rapinas, aliquantisper coërcuit. Verùm iterùm *Wormdittum* in Anno 1627. à Suecis interceptum, ob ignauiam *Vladislai Lipnicki*, & *Henrici Lechwangi*, qui imperiti præsidiarij, locum illum Suecis prodiderunt. *Allensteinium*, Dominij Capitularis Oppidum, eodem tempore Sueci tentârunt inuadere, à Ciuibus rejecti constanter, in pagos Capitulares & plebem agrestem furorem effuderunt. Tàm atrox hostilitas Prusiam Episcopalem, ad Annum 1629. vehementiùs diuexauit, quò tandem induciæ ad pagum *Altemark Christburgensis* Præfecturæ, ad Annum 1635. inter *Polonos* & *Suecos* conclusæ, aliquid respirij, laceræ totq; aduersis fatigatæ toti indulserunt Prusiæ. *Wormdittum*, *Gudstadium*, deductis præsidijs hostilibus, libertati, veteriq; Dominico restitutum ; *Braunsbergam*, *Frauenburgum*, Suecus vsq; ad Annum 1635. retinuit. Eo nihilominùs tempore tàm iniquo in Anno 1627. *Gudstadij* in Ecclesia Collegiata, Synodum Diœcesanam congregauit, *Michaël Działynski*, Coadministrator, pro *Ioanne Alberto* Principe, quæ ab eodem approbata exstat impressa. Societas IESV *Braunsbergâ* exacta, aliud domicilium, in Prouincia quæsiuit, *Resselium* liberalitate domûs Regiæ, introducta, templum & monasterium ab Eremitis S. Augustini, olim ad Saxoniæ Prouinciam spectans, tùm desertum, acceden-

Frauenburgum combustum.

Melsaccum similiter.

Gudstadium expilatum.

Milites Poloni superueniunt.

Hostes ejiciũt.

Iterùm Wormdittum à Suecis occupatur.

Allensteinium se defendit.

Induciæ factæ.

Synodus Prouincialis celebratur.

Iesuitæ pulsi Braunsbergâ.

Resselium introducti.

te consensu *Ioannis Alberti* Principis, eidem societati traditum. Post talia nubila, bellicosq; fragores, quietiùs agebat Prussia Episcopalis, quam vti superiùs innuimus, per Coadministratorem gubernabat *Ioannes Albertus*, neque ipsemet, sponsam aut Episcopatum inuisit. Demùm è viuis abeunte *Andreâ Lipski* de armis Grabie, Episcopo Cracouień. eidem à Rege designatus Successor, Varmiensi dimissâ ad illam Cathedram fecit gradum, ibidemq; in Basilica Cathedrali Cracouień. Romanæ purpuræ insignia Anno 1633. recepit; Verùm hæc & vlteriora, nè videamur extra oleas ferri, alijs connotanda relinquamus. Donaria *Ioannis Alberti* visuntur in Ecclesia Varmień. albi & rubri coloris Sacerdotum & Ministrorum vestiarius cultus, Augusti splendoris ex telâ sericeâ aureis intertexta floribus, etiam pallia maioris altaris, quæ gratam tanti Principis referunt memoriam. Erat & aurea statua S. Andreæ Apostoli, de quâ dicetur infra. Huic Magnus Noster Senator ita cecinit.

Ioannes Albertus transfert se ad Episcopatū Cracouiēsem.

Cardinalis creatur.

Donaria relicta in Ecclesia Varmiensi.

Ostendunt terris hunc tantum fata, nec vltra
Esse sinunt, magno Magnorum Sanguine Regum
Austriadumq; Satus; Patauina extinctus in Vrbe,
Vix oritur, moritur, sub primo flore iuuentæ.

XXVII.
NICOLAVS SZYSKOWSKI, Episcopus Varmień.

SAnè in procliui est ijs ad summum eluctari culmen, quos fautores gradus, dignationisq; altioris, necessitudine sanguinis iuncti humo leuant, ad eamq; manuducunt viam, per quam spargitur lux. Hæc sors contigit *Nicolao Szyskouio* gente Ostroio: A teneris eum fouit, educauit *Martinus Szykowski* Luceorień. Ploceń. demùm Cracouień. Episcopus, Prælatus magnorum in Ecclesia & Republica meritorum. Domi primùm etiam extra fines Regni Italicâ peregrinatione ingenium excoluit, reducem Patruus opimioribus auxit Sacerdotijs Pultouień. Præpositurâ, Cracouień, Ploceń. Canonicatu; ad Abbatiam Czeruineń non spernendi reditus, eundem promouit, etiam Maiori Secretariatus, vt *Sigismundus Rex* cohonestaret, apud quem *Szyskouius* pollebat gratiâ, non difficulter impetrauit. Eundem Patruus tabulis vltimæ voluntatis ex asse amplissimi peculij scripsit hæredem, adiectâ eâ obligatione, vt in pago *Bor-*

Educatio Szyskouij.

Sacerdotium.

Abbatiā Czeruineń, obtinet.

Maior Secretarius.

Hæres exasse à Martino designatur.

kow

kow natali & Hæreditario *Szyſkouiorum*, vnâ Leuiâ diſtanti *Caliſſio*, in Gneſnenſi Archidiæceſi, Eccleſiã muro ædificaret, eandemq; dotaret, quam conditioné morte præuentus non adimpleuit. Supra nouennium & ampliùs Secretarius Maior, prudentiæ integritatis eam collegit exiſtimationem, vt minimè otioſum illâ tempeſtate officium Secretarij, laudabili geſſerit dexteritate. Probabat *Sigiſmundus*, etiam *Vladislaus* in throno ſuc- Vacat Eccleſia Varmień.



ceſſor, maiorum capacem genium, altioriq; in Eccleſia & Republicâ honori deſtinebant. Orba erat, & ſine Paſtore Eccleſia Varmień, poſt tranſlationem ad Cracouień *Ioannis Alberti* Cardinalis Poloniæ & Sueciæ Principis. Perfecit valida & ponderoſa commendatio, *Vladislai Regis*, vt *Szyſkouius* juxta morem Eccleſiæ concordibus Capituli votis, electus fuerit Epiſcopus, & ab *Vrbano VIII.* qui tùm rei præerat Chriſtianæ, confirmaretur. Venit in Prouinciam, quam laceram, rapinis exhauſtam inuenit; omnem

Recommẽdatur à Rege Szyſkouius.

Eligitur, & ab Vrbano confirmatur.

Solicitus de suo Episcopatu.

omnem proinde operam dedit, vt tot ærumnis concussa Prouincia, aliquo posset recreari solatio: & hoc breui ex integro astulsit, cùm in Anno 1635. ante Septennium factæ induciæ inter *Suecos* & *Polonos*, Gallicâ, Anglicâ mediatione accedente, exspirarent: Rexq; *Vladislaus Moscho* ad petendam pacem adacto, victricia in Prusiam arma transferret. Aliquâ fruebatur quiete Prusia Episcopalis, & interim rapinis prædisq; exhausta manebat in tranquillo. Belli apparatum contra Suecos summo feruore *Vladislaus* moliebatur. *Stanislaus Koniecpolius* Castellanus Cracouień, Supremus Exercituum Præfectus, Polonas legiones, quæ cum Abasi Bassa ad Camenecum, rem prospere gesserant in *Prussiam* traduxerat, verùm interpositio Regum, Galliæ, Angliæ, tùm & fæderatorum Belgij Ordinum, acies has diremit, pactisque firmatis ad Annos 26. ablata omnia à Suecisq; deoccupata, Sueticis præsidijs abductis, in Regia & Episcopali Prusia restituta, veteriq; tradita Dominio. Aduentum ad Cathedrã distulerat *Szyskouius*, in Annum 1636. neq; enim hostilibus præsidijs *Frauenburgi*, *Brunsbergæ* locatis, licebat expediebatq; visere Sponsam: ad quam venit in peruigilio festiuitatis SS. Omnium, salutauit eum nomine Collegij, *Albertus Rudnicius* Præpositus Varmień, Gnesneń, Canonicus. Ita iam pacato, & ad sensum tranquillitatis composito Episcopatu, Ecclesia Cathedralis, omni decore, ornamento spoliata, hæreticorum impiâ & sacrilegâ barbarie profanata, ad pristinum redijt ritum. Nonnisi bina supererant altaria, maius *Lucæ* de *Allenstein* Episcopi sumptu pro more antiquo erectum, & alterum Decani, quod *Fabianus Konopacius* Decanus Varmień, Posnanień. Canonicus Gnesneń erigi curauerat. *Szyskouius* omnem curam, conatumque vertit, ad Ecclesiam exornandã, pegma, Pani Eucharistico reponendo, decens fieri, curauit: Vrnas binas argenteas, maiorem & minorem pro conseruando eodem pane comparauit. Et cùm in Diœcesi, omnes ferè Ecclesiæ à Suecis expilatæ, pro pane Angelorum recondendo, arculas ægrè possent comparare, sanctior *Szyskouij* liberalitas, hanc Sacram Curatis distribuit suppellectilem. Locum in *Springborg*, seu ad fontes Diuæ Virgini Matri dicatum, ab antiquo miraculis clarum, voto concepto, ob Prusfiam Episcopalem pacificatam, templo è Lateribus ædificato exornauit, ibidemq; Sodales S. Francisci Minoritas Obseruantes introduxit. Societatem IESV *Resselij* Domûs Regiæ beneficentiæ fundatam, benignè, liberaliter fouit, eandemq; perpetuo prouidit censu, cum ea obligatione, vt per Prusiam Episco-

Bellum contra Suecos, in Prussia molitur.

Sed pace ad 26 annos dirimitur.

Restitutis ablatis.

Venit tandem ad suam sponsam.

Quam profanatam salutauit.

Omnem curã ad exornandã conuertit.

Pro Pane Angelorum recõdendo arculas comparat.

Templum B. V. erigit & sodales S. Francisci introducit.

Patres Soc. Iesu Resselij dotat.

palem

palem Misiones frequentarentur, plebemq; vrbanam & villanam fidei Catholicæ docerent rudimenta, ex societate Presbyteri. Erga *S. Franciscum Xauerium*, qui Indiarum audit Apostolus, mirè deuotus, etiam in remotum illum orbis tractum, liberalem extendit manum, aureum Calicem Goam misit, vbi Diui huius mortalitatis quiescit depositum. Amabat decorem domûs DEI, & in hunc vsq; diem, in Ecclesia Varmień, beneficæ voluntatis eiusdem indicia visuntur. Exstat ferculum majus pro pane Angelorum, & effigies Diuæ Virginis Matris ex argento solido justi pretij & ponderis; Vestes Sacræ non minoris sumptus. Episcopatum rexit cum eâ prudentiâ, cuius in hunc vsq; diem, grata viget recordatio; Clero, subditis clemens, etiam vbi erat opus seuerus. Ad Conuentus Regni Generales identidem excurrebat, terrarumq; Prussiæ non omittebat. Famulitium aluit decorum, splendidusque fuit in panibus. Omninò nihil eorum intermisit, quæ probi Antistitis, amantis bonum publicum Senatoris requirebat officium, sedit in hac Cathedra propè annos tredecem, cùm morbus ab atrâ bile, Hypochondriam Medici vocant, eundem corripuit, adeò pertinax, vt omnem eluserit Medicorum industriam: accessit Lethargus, quo inualescente die Septima Februarij, Sacris procuratis Christianis mortalitatem expleuit. Testamentum nullum condidit, totaque hæreditas deuoluebatur ad Capitulum. Nihilominùs interueniente *Vladislao IV. Fratri Germano Martino Szyskouio*, olim bonorum Spytkowice hæredi, tum & Patrueli Petro Castellano Woynicień, alijsq; Sanguine junctis, non minorem relicti peculij partem Capitulum repræsentauit. Elato pro funere in Ecclesia Cathedrali, sermonem Epitaphium dixit, Ludouicus *Scrobkouicius* ex Sodalitio Minorum, qui vocantur obseruantes, meritò inter decora recensendus ingenia, olim *Martini Szyskouij*, *Andreæ Lipscij*, Episcoporum Cracouiensium, literarum scriptor, ab ijsdem, opimioribus auctus Sacerdotijs, ijsq; dimissis huic religiosæ se aggregauerat familiæ, in qua disertus, eruditusq; audijt Ecclesiastes. Cæterùm nomen *Szyskouiorum*, totaq; domus extincta, non diù ijs fulsit splendoribus, quos honor Sacerdotij, tanquam potentiæ firmamentum in Equestrem congesserat Familiam. Ea sors versat omnia prospera, vt cùm ad summũ peruenerint, incremento non relinquant locum; veriùsq; scripturas, omnis potentatus vita breuis. Erexit ad dextram Maioris, Altare *S. Caroli Boromæi* & *Sanctæ Rosaliæ*. Cujus & tumuli hæc inscriptio:

In Altaris Tumba.

In S. Francisc. Xauerium mirè deuotus.

Eius donaria.

Omnibus clemens.

Sedit in Cathedra propè Annos XIII.

Moritur.

Sed quod sine testamento dolendum.

Sermonem funebrem habuit Scrobkouicius.

Quis iste Scrobkouicius fuit.

Familia Szyskouiorum breui extincta.

DEO OPT: MAX:

Diuisque publicæ Sospitatis Tutelaribus, *Carolo Boromæo* & *Rosaliæ Virgini* Prouinciâ & Episcopatu Varmiensi à peste liberato, voti reus & in posterum beneficio fidens, Aram hanc perpetuæ gratitudinis & venerationis pignus, *Nicolaus Szyskowski* Episcopus Varmień, Anno Domini M. DC. XL. XVIII. Kal. Octobris erexit & dotauit.

In Lapide Sepulchrali.

D. O. M.

Nicolaus Szyskowski Episcopus Varmień hîc quiescit. Tu qui legis, Nouissima cogitans, peccatorum eius veniam à DEO exposce. Vixit Annos LIV. obijt *Heilsbergæ* die VII. Februarij Anno Christi M. DC. XLIII. *Noster verò Senator sic de illo scripsit.*

Eheu quàm rarò respondent vltima primis.
Omnibus excultus fortunæ, animiq; talentis,
Vrbanus, largus, prudens, generosus; at ecce
Fit similis puero, tetricus, lucemq; perosus.

XXVIII.
IOANNES CAROLVS KONOPACKI,
Electus Episcopus Varmiensis.

Domus Konopaciorum antiqua.

INter *Pruthenorum* veteres domos, *Konopaciorum* non postrema ab antiquo censebatur. Eorum aborigines in hac Prouinciâ, Palatinorum, Castellanorum currulibus, etiam sanctioris potestatis splenduerunt Infulis. Ex hac prodijt stirpe *Ioannes Carolus*, Matthiæ Culmensis Palatini, & Elisabethæ *Dulsciæ* Filiæ *Ioannis Dulski*, Regni Thesaurarij Filius. Parens *Matthias* Vxore præmortua, à *Sigismundo III.* ad Culmeń. euectus Cathedram: Cui laudabiliter, aliquot præfuit annis, ac tandem fatis cedens, Culmenseæ, in Ecclesia Cathedrali tumulatus. Eius parentis filius *Ioannes Carolus*, repetitis per Europam peregrinationibus, ingenium excoluit, ciuilemque collegit prudentiam. Quâ in tantùm inclaruit Orbi Christiano, vt etiam eum *Gregorius XIII.* suæ Boncompagnorum Familiæ adsciuerit, partito cum ipso Insigni Domûs suæ. In Aula *Sigismundi III.* etiam cum dispendio patrimonij satis diu meruit, nec nisi *Dibouiensem* Præfecturam non adeò ampli Censûs, pro tot anno-

Parentes eius.


Peregrinationes.

In Aula Regia perseuerans. Tandé Dibouiensem accepit Præfecturam.

rum ſumptuoſo ſeruitio, quaſi præmium obtinuit. In vlteriori tandem ætatis flexu, & maior quinquagenario, aulicæ vitæ pertæſus, ſanctiorem induit togã, & à *Vladislao Rege* poſt aſcenſum *Ioannis Lipſki Ladicij ad Culmeń.* Cathedram, eidem *Wachoceń. Abbatia* collata. Abituriebat extra Regnum *Ioannes Caſimirus Poloniæ Princeps*, eidem in Italiam, Genuam, indeq; Maritimo itinere, Hiſpanias viſêre agitanti, Veteranus in Aulâ Regiâ

Sanctiorem induit togam.

Abbatiam Wachocenſem obtinet.



Konopacius, comitem ſe viæ offert, adiungitque. Iter hoc improſperè ceſſit, Principem memorabile aduerſorum inuoluit ſerie; neq; ab hac ſorte immunis *Konopacius.* Nondum triremis Maſſiliam peruenerat, quæ *Ioannem Caſimirum* Principem, eiuſque vehebat famulitium, *Ioannes Godofredus* Maſſilień prodit, euulgatq; Magiſtratui, Principem Poloniæ Maſſiliam intra biduum venturum. Vbi iam detentionis coquebantur conſilia, *Champignio*, Gubernatore Prouinciæ ſatagente, vt ea deuenirent ad exe-

Comes viæ Ioannis Caſimiri deſtinatur.

Sed improſperè.

ad executionem. Nonnulli ex familiaribus Principis præſenſerant hoc arcanum, circa detentionem Principis, etiam forenſi plebi non incompertum: Cùmque de hoc præmonitus fuiſſet Princeps, cymbam conſcendens ad triremem peruenit, quam intrando, tutam, omniq; vacuam periculo ſperabat nauigationem. Vix triremis ſex Leucarum emenſa erat iter, & ad portum Gallici iuris *Iour de boue* Gallicè dictum peruenerat, ac propè vicinum eidem portui *Caſtellum Martegues*, iactis anchoris triremis ſubſtiterat, primùm triremis illius Nauarchus, in continentem euocatur & detinetur. Hæc vbi Princeps intellexit, mittit *Konopacium* ad Caſtellanum, expoſtulatum, cur tàm inciuiliter, amicæ & fœderatæ Ciuitatis, triremis & Nauarchus detinetur? neq; vltrà nauale hoc iter liceret continuare. Surdis auribus excepta *Konopacij* requiſitio, quinimò, ipſemet retentus, nec permiſſum illi ad Principem regredi. Non mitior ſors parabatur *Ioanni Caſimiro*, qui ſi in continentem deſcendere nollet, tormenta triremem quaſſatura fuerunt diſpoſita. Inuitus ergò & minis magis, quàm precibus ex triremi coactus egredi, ad ſupra memoratum deducitur Caſtellum, inde ſub militari cuſtodiâ *Salonam, Ciſteronem*, deductus, arctiùſque detentus, quâ ciuilitate & quibus humanitatis officijs, in illa detentione Princeps mactabatur, an honorabatur, qualiterque ſit libertati reſtitutus, ab alijs denarratum; Nos *Konopacij* vitam proſequimur. Porrò in illa viciſsitudine, *Konopacius* Principem non deſerebat, nec à Latere eius diſcedebat, donec Aulæ Gallicæ mandato, *Pariſios* migrare juſſus, vbi annum integrum ſcenæ huius triſtioris, lætum aliquem præſtolabatur Epilogum; quæ cùm in longum traheretur, redijt in Poloniam *Konopacius*, & in Wachoceñ morabatur Abbatiâ. Aulam ſubindè reuiſebat Regiam, quæ rem auguſtiorem, totque meritorum Prælatum, non dubiâ opimioris Sacerdotij ſpe, ſolabatur. Redierat iam ex hac Gallica detentione *Ioannes Caſimirus* Princeps, qui Comitem, conſortemque ærumnarum ſuarum *Konopacium* Fratri *Regi Vladislao* impenſiùs commendabat. Ceſſerat fatis ſub id tempus Iacobus *Zadźik* Epiſcopus Cracouieñ, ob eximia in Eccleſiam, Rempub. merita, faſtis inſcriptis æternitatis. Reſignauerat eidem ſucceſſorem *Vladislaus Rex*, *Petrum Gembicium* Epiſcopum Præmyſlienſem, Supremum Regni Cancellariũ, Abbatiæ Tyneceñ. Adminiſtratorem: quæ Abbatia tum vacans ceſsit *Konopacio*, reditûs Luculenti: rationibus ipſius interim optimè conſultum, donec gradum & ſenſum maiorem aula de-

ſtinaret

Inſidiæ ſtruuntur.

Præmonitur Princeps.

Nauarchus detinetur.

Requiſitus Caſtelli præfectus ſurdis auribus poſtulata excipit.

Imò Konopacius retinetur.

Princeps deducitur ad Caſtellum.

Qualiter tractabatur.

Fideliſſimè adhæret Principi.

Pariſios deductus.

Redux in Patriam Konopacius.

Rediit & Princeps Ioannes Caſimirus.

Konopacio confertur Abbatia Tynecenſis.

ſtinaret. Neque diu erat expectandum. In Anno 1643. abijt è vita *Nicolaus Szyſkowſki* Epiſcopus Varmieñ. Ad eam Cathedram *Pruthenum* Indigenam, moribus ſuauem, vitâ integerrimum, prudentiâ doctrinâ inſignem, promouit *Vladislaus IV.* Capitulum vnanimi elegit conſenſu. Procurabat in Vrbe Sacrorum diplomatũ expeditionẽ, quæ priuſquàm vltrà alpes peruenirent, *Konopacius* Febri maligna correptus, vltimis diebus Decembr. Anno 1643. in Abbatia Tyneceñ. maior ſexagenario, mortalitatem expleuit, cum magnâ Chriſtianæ pietatis ſignificatione. Diu ſatis manſit inſepultus, etiam Fratre germano remiſsius hoc Supremum curante officium. Exile ſatis & tenue reliquit peculium, hocque forſan cauſauit, neglectum, an dilationem ſepulturæ. Demùm cùm *Vladislaus Rex Ceciliæ Renatæ Vilnæ* magno cum omnium dolore vitâ functæ, in Baſilica Cathedrali Cracouieñ. juſta perſolueret, *Georgius Oſsolinius* Supremus Regni Cancellarius, pro ea neceſsitudine amicitiæ, quæ illi cum defuncto conſtans intercedebat, eundem tumulari curauit, in Eccleſia illius Abbatiæ Religioſorum S. Benedicti. *Simon Starowolſcius* ſpectatæ integritatis & doctrinæ, Polyhiſtor Sarmaticus, ſermonem funebrem ſcripſit *Konopacio*, qui in opere Concionum illius exſtat impreſſus, pro comperto affirmat, nonniſi aureum vnum ab obitu *Konopacij*, in Arculâ Secretiori repertum. Profectò palam erat omnibus, illum erogandi magis, quàm corradendi denarij artem calluiſſe.

Breui Epiſcopatus Varmienſis.

Expeditionem Romanã mors præuenit.

Cui ſepulturã procurat Georgius Oſſolini⁹.

Comis, linguarum gnarus, morumquè; peritus;
Splendidus, & cunctis Regali gratus in aulâ.
Conſenſu obtento Romam, dum geſtit adire
Heilsbergam; in Clauſtro Tynecenſi è corpore migrat.

XXIX.
VENCESLAVS COMES
De Leſzno
LESZCZYNSKI,
Epiſcopus Varmienſis.

COæua Religioni & Regno, Comitum de Leſzno Domus, ex *Bohemia* in *Poloniam* migrauit. Conſtans maiorum habet traditio, in Comitatu *Dambrowcæ*, filiæ *Boleslai* Bohemorum Principis, *Miecislai* primi *Polonorum* Chriſtiani Principis Coniugis, *Nobilem Perſtnium*, veniſſe in Poloniam, familiæ-

Familia Leſczyniorũ antiquiſſima in flore.

miliæque *Leśczyniorum* fuisse authorem. Quæsitæ ab eodem posterisque eius amplæ circa fines Silesiæ possessiones, & nunc haud interruptâ serie, eiusdem Illustrissimæ Domûs, longa & auita præferentis decora, sunt hæreditas. Vidit parentum & nostra ætas; quod præfiscinè, raræ dixerim felicitatis: quatuor Cancellarios, Ciuili prudentia eminentes, & Patriæ commodis vnicè intentos. Cæteros heroas recensere non mihi in procliui,



quorum nomina, in Ecclesiam, Remp. merita, viuunt perennant in seræ posteritatis memoriâ. Graphicè satis & felici venâ hæc complexus *Samuel Tuardouius*, in suo poëmate, cui titulus: *Palatinum Lesnense*, linguâ vernaculâ, juris publici facto, inscriptoq; *Boguslao* Comiti in *Leśno*, maioris Poloniæ Generali, post Supremo Regni Thesaurario, demùm Regni Pro-Cancellario, ad quem Lectorem remittimus. Ex his ortus maioribus *Venceslaus Comes* de *Leśno*, editus in hanc lucem Anno supra Millesimum,

De quâ Tuardouius satis fusè.

Nascitur Venceslaus.

simum, Sexcentesimo, quinto, Augusti decimâ quintâ, qui dies Diuæ Virgini Matri, ad cælos assumptæ iacet. Geminos omine felici contigit nasci. Prior & quasi Maior natu *Præclaus*, qui Sremensis Castellanus, deinde Palatinus Derpatensis, Capitaneus *Wschoueń*, seu *Frawstadiensis*, quadriennio à morte *Venceslai* obijt: Cùm *Venceslaus* secundo genitus & quasi junior è vita prior migrauerit. Pater erat *Andreas Comes* in *Leßno*, Palatinus Bresteń Cuiauiæ, Naclensis Capitaneus, qui illâ tempestate hæreticorum fuit Antesignanus, & qui in Pseudosynodo Hæreticorum Thoruneń. 1595. congregata, seueriorîq; edicto Regio improbatâ, quasi caput & præses, illius audiuit conciliabuli, prout ex Actis eiusdem constat impreßis: obijtq; in Anno 1606. Caluinismi pertinax extra gremium Ecclesiæ. Mater erat *Sophia* de *Bnin* Opalenia, *Ioannis* Castellani Rogozneń filia, germana *Petri* & *Ioannis* Palatinorum Posnaniensium, continuato succedentium ordine soror Patruelis *Andreæ Posnaniensis Episcopi*, *Lucæ* Supremi Regni Poloniæ Marschalci, fœmina prisci moris, religionis Orthodoxæ, zelo, pietate, sanctioris æui non impar Matronis. Orba marito in ipso flore ætatis, omnem curam conatumq; vertit, ad prolem in fide Catholica educandam. Erat frater maior *Raphael*, qui Castellanus Visliceń post Betzensis fuit Palatinus, prioris Conjugis *Firleæ* Filiæ *Castellani* Lublineń à teneris dogmate Caluiniano innutritus, eiusdem ingens fautor: is tutelam sibi naturalem arrogans, omni studio contendebat, *Ioannem* natu Maiorem; qui Supremus Regni Cancellarius, tandem Palatinus obijt Cracouień, hosq; altè memoratos geminos, à maternâ abstrahere educatione, & heterodoxâ Caluini imbuere sectâ. Fatigabat forensi strepitu optimam Matrem, oppidoque anxiam & sollicitam circa institutionem in fide Catholica. Animo, subitis casibus maiore, ex illis litium euasit molestijs, fratribus *Opalenijs* auxilium, consilium suggerentibus. Vernantes ætatis Annos, in Posnanień Societatis Iesu Gymnasio, humaniori excoli literaturâ Mater curauit, & ne vis aliqua *Venceslaum* ad Hæreticam abstraheret Scholam, in Monasterio Sodalium *S. Francisci* de *Obseruantia*, Scholis Societatis vicino, prouidit domicilium, & mensam. Maturiorem in *Germaniam*, *Italiam* expediuit, adjuncto parastatâ, comiteq; itineris, *Ioanne* de *Zalesie Baykouio*, Canonico Posnanień, post Episcopo Ennensi, Suffraganeo Posnanień, integerrimi moris, compertæq; virtutis Prælato. Germaniâ Italiâque lustratâ, etiam grauioribus eruditus studijs redijt in *Poloniam*, indutus sanctiorem

Pater eius.

Mater.

Mulier pijssima.

Eius cura circa prolem.

Opponit se frater maior natu Caluiniano dogmate innotatus.

Litem mouet Matri fratrū & suæ Nouercæ.

Quam pia mulier superauit.

Venceslaus Posnań relinquitur.

Præclaus in Exteras nationes expeditur.

Redux ad Aulam se confert.
Fit Secretari⁹.
Illius in Aula consanguinei.
Sed viuente Sigismundo præter spem, nihil obtinuit.
Moritur Sigismundus.
Eligitur Vladislaus.
Canonicatum Crac: & Præpositurâ Lancicensem obtinet.
Lucas Opalenius in Exteras nationes discedit.
Adiungit se illi Leszczynius.
Et in Galliam se confert.
Gnesnæ sacris initiatus.
Cracouiæ frequens morabatur.
Ad Tribunal multoties deputatus.
Referendarius Regni declaratur.

rem togam, in Aulâ comparuit Regiâ, ac in censum Secretariorum, à *Sigismundo III.* transcriptus. Viuebant in aulâ & orbe Polono, magna nomina, cum quibus propinquior sanguinis nexus intercedebat *Lesczynio*, eius Patruus, *Venceslaus Comes* de *Lesno*, Supremus Regni Cancellarius, maioris Poloniæ Generalis; *Nicolaus* de *Podhaice Wolski* Supremus Regni Poloniæ Marschalcus, *Lucas Opalenski* Curiæ Regni Marschalcus, qui fauore, gratia, apud *Sigismundum Regem* pollebant: Hinc pronum erat *Lesczynio*, ad aliquem opimioris fortunæ assurgere gradum, tantis attollentibus Patronis. A viuente *Sigismundo* nihil præter spem obtinuit, sumptuque indigens, aulicum seruitium domesticis sustentabat impensis. Quasi de industriâ cælitùs reseruata fuisset, aucta, consummataq; eius dignitas *Vladislao IV.* Neq; longum abijt tempus, cùm *Sigismundus III.* ob mortem *Constantiæ Reginæ*, mœrore ætate languidus, catarrho extinguitur. Assumitur ad Thronum, magno totius Regni applausu *Vladislaus IV.* Patruelem *Venceslai*, *Andream*, qui Episcopus Culmeñ. & Cancellarius Regni, demum Gnesneñ obijt Archiepiscopus, Abbatiâ Prementensi tum vacante prouidit, à quo bina dimissa Sacerdotia, Canonicatum Cracouieñ, Præposituram Lancicieñ contulit *Lesczynio*, hoc liberaliori fultus stipendio, in aula mansit aliquantisper. Excurrerat tum in Italiam *Lucas Opalenius* Supremus Regni Poloniæ Marschalcus, cui se comitem adiungit *Lesczynius*. Porro illo in Poloniam redeunte, *Lesczynius* abijt in Galliam, vbi supra biennium commoratus, linguæ Gallicæ, ad elegantiam redijt gnarus. Sacerdotio in Metropolitana Gnesneñ Ecclesia initiatus, cuius postmodum fuit sponsus & Archiepiscopus. Aulam subindè visebat Cracouiæ frequens morabatur. Iudex illius sacri Collegij ad Tribunal Deputatus, eam functionem, cum eximiâ integritatis obiuit commendatione, & in Anno 1643. eandem exercebat functionem. Vacabat tum in Aula Referendariatus Regni post ascensum *Alexandri Trzebinij*, ad Episcopatum Præmyslieñ & Procancellariatum Regni. Multi in Aulâ præsentes ad illud officium spe, votis aspirabant. Absentis *Lesczynij* egere causam *Gaspar Comes à Donhoff* Palatinus Siradieñ, *Lucas Opalenius* Supremus Regni Marschalcus; effeceruntque vt Regni à Rege declaratus fuerit Referendarius, additâ Płocensi Præpositurâ tum vacante, amplioris reditûs Prælaturâ. Non integro biennio egit Referendarium, & Regiâ commendatione ad Varmieñ euasit Cathedram. Erat tum Vilnæ Rex *Vladislaus*, cùm nuntius mortis, *Io-*

annis

annis Caroli Konopacij ad Aulam peruenisset. *Cæciliâ Renatâ Reginâ* promouente, Rex designauit *Leſczynium* Konopacio Successorem, Regiâq; fultus commendatione, à Capitulo electus, Nuntio Regio *Stanislao Kobierzycki*, Castellano Gedaneñ, deinde Pomeraniæ Palatino, genere, probitate, literis perinsigni, negotium conficiente. Varsauiæ in Anno 1644. peractâ Consecratione, venit in Prouinciam. Ad Sponsam, Ecclesiam Cathedralem secundâ Augusti in Anno 1644. primum habuit ingressum Regimen Episcopatûs, eximiâ temperauit benignitate. Erat tùm *Vladislaus Rex* viduus, fatis sublatâ *Ceciliâ Renatâ* Vilnæ, eademq; in Basilica Cracouieñ sepultâ, de innouandis Matrimonij votis, agitabat consilia, quæ in eum abiêre euentum, vt ex Gallia *Mariam Ludouicam, Caroli Gonzagæ, Mantuæ* in Italia, & Niuerniæ in Gallia Ducis Filiam, sociam thori & throni præoptaret. Præmiserat in Galliam, *Gerardum* Comitem *Donhoffium* Palatinum Pomeraniæ, pactorum connubialium arbitrum. Porrò ad Sponsam deducendam designauit Legatos, *Leſczynium* Varmieñ Episcopum, *Christophorum Opalenium* Posnanieñ Palatinum, Fratres Consobrinos, tanto negotio pares, Palatinus Posnanieñ cum amplo & splendido Polonæ juuentutis comitatu, terrestri pergens itinere, commodè satis viam hanc longinquam confecit: *Leſczynius* conductis Dantisci nauibus, Lubecam versùs maritimũ ingressus iter, cum suo famulitio, atroci jactatus tempestate, totq; nauigationis incommoda perpessus, seriùs Palatinum assecutus, simul tandem, sub finem Octobris Parisios ingressi, aulam Gallicam, totumq; populum Parisios confluentem, ad illudq; spectaculum effusum, in admirationem traxerunt. Cultus, vestitus Polonus, in illis oris incognitus, non leui quæsitus pretio, equi generosiores, peritiâ equitandi, Scænam illam aut pompam, Aulæ populo, gratam amænamq; adornabant. Exstat Poëma *Andreæ Kanon* Societatis IESV, orbi literato non ignoti, publici juris, super eâ Legatorum expeditione in Galliam, inscriptum *Lucæ Opalenio*, Palatini, Fratri Germano, Succamerario Posnanieñ. qui obijt in Anno 1662. Varsauiæ, Curiæ Regni Mareschalcus, Vir egregiè probus & Polonorum doctissimus. Ingressu hoc peracto quintâ Nouembris in Anno 1645. in Regia Capella, *Ludouicâ Mariâ* desponsatâ *Vladislao IV.* Paranymphi egit personam, Palatinus Posnanieñ, *Leſczynius* primùm pro Sponsa *Vladislao* impetrandâ, perorauit ad Galliæ Reginam, præsente *Ludouico XIV. Galliarum* Rege tùm octenni. Postmodum juxta Eccle-

Confertur illi Episcopatus Varmiensis.

Consecratur Varsauiæ.

Eius aduentus ad Sponsam.

Cæcilia Renata moritur.

Maria Ludouica in sociâ thori & throni designatur.

Præmittitur in Gallias Comes à Donhoff.

Legatio cōmittitur Leſzczynio & Opalenio.

Palatinus terrestri itineri se accinxit.

Leſzczynius maritimũ ingressus iter.

Eorum ingressus Parisios.

Leſzczyni' perorat pro Spōsa.

ta Ecclesiæ Catholicæ ritum, illi astitit matrimonio; seruatis circa talem actum consuetis ceremonijs. Hisce confectis Episcopus & Palatinus, Parisijs; aulâ Gallicâ salutatâ, in Poloniam, abeuntem *Ludouicam Mariam* comitantur, quæ tàm longinquo, per tot terrarum tractus *Gedanum*, inde *Varsauiam* vndecimâ Martij peruenit. Aduenientem in Basilica Varsauieñ. *S. Ioannis Baptistæ, Rex Vladislaus* salutauit. Matrimonium ante Parisijs, per Legatum Plenipotentiarium contractum, *Ioannes* de *Torres*, Archiepiscopus Adrianopolitanus, Nuntius Apostolicus confirmauit. Cæterùm *Leßczynius*, tam longinquo sumptuosoq; confecto itinere, ad Episcopatum redijt, vbi comitatu illo numeroso dimisso, de nominibus dispungendis, quæ grandia contraxerat, ad eam functionem gloriosè perhonorificèq; obeundam, modum rationemq; inijt, quod quidem exactè præstitit. Episcopatum rexit singulari animi moderatione, Conuentibus terrarum Prussiæ, frequens intererat. Secutâ morte *Vladislai IV.* designatæ ab Ordinibus Regni electioni præsens interfuit. Præter exardescentem Cosacorum rebellionis flammam, aliquæ *Principum Fratrum*, bonum publicũ impediebant simultates. Vterque studijs, suffragijs, circa ortum sceptrum distrahebat Rempublicam. Nonnulli Procerum, Ciuili prudentiâ eximij, ijs componendis allaborabant, quos inter *Leßczynius* suasit, effecitque, vt *Carolus Ferdinandus*, in *Ioannem Casimirum* spem vt vota transferret. Eodem tempore Varsauiæ consecrauit, in templo tùm ligneo Clericorum pauperum Matris DEI, *Albertum Pilchowicz*, Episcopum Hiponeñ, Suffraganeum & Canonicum Varmieñ, Successorem Michaëlis Działynij, Episcopi Cameneceñ. Abbatis Mogilneñ. Electione *Ioannis Casimiri* feliciter completâ, abijt in Episcopatum. Erat in propinquo annus Sanctus Iubilei magni, quem *Leßczynius*, vt in ipsa Metropoli consequeretur, Romam excurrit, vbi à Summo Pontifice *Innocentio X.* à Sacro Cardinalium Collegio per humaniter exceptus; Romæ ob morum suauitatem omnibus gratus. Româ redux, belli Cosacici gliscente incendio, Equestrem vt vocãt Raytarorum Cohortem proprijs auctoratam impensis, ad Castra expediuit. Incipiebat iam tentari hæreditario arthritidis morbo, ad eum leniendum quæsiuit fomenta, in acidulis Badensibus, quarũ inefficax remedium nihil iuuit, cùm ætate ingrauescente, debilitate pedum ita fuerit correptus, vt nonnisi sellâ gestaretur. Enimuerò Cosacicæ rebellionis grauem Regno tumultum, grauior atrociorq; belli aquilonaris tem-

Deducitur in Poloniam.

Peractâ legationis functione ad Episcopatũ reuertitur.

Mors Vladislai IV.

Concurrentia Fratrũ ad Sceptrum.

In qua sopienda enituit prudentia Leszczynij.

Post electionẽ redit ad sponsam.

Romam excurrit Iubilei magni cõsequendi.

Redux periclitanti Patriæ milite proprio succurrit.

Ætate ingrauescente debilior in dies.

pestas

pestas ingens, aduersorum additamentum exaggerauit. Quasi non sufficeret, Regno pessundando, interna hæc vis, etiam externis armis; & furore Suetico aggredienda & spolianda erat Polonia. Cesserat throno & Regno, *Christina filia Gustaui Adolphi*; Eidem ab ordinibus suffectus *Carolus Gustauus*, ex domo Palatina Bipontina, *Gustaui* sororis filius. Primum facinus noui Principatûs, moliri occipiebat, agitabatq; consilia, belli in Poloniam transferendi. Equidem erat in procliui, tot cladibus fessam attritamq; inuadere Poloniam. Causa fomesq; belli, præcipuus titulus Regni Sueciæ, à *Sigismundo, Vladislao*, etiam à *Ioanne Casimiro*, peruicaciùs retentus vsurpatusque; neq; in Literis ad Regem Sueciæ recenter Coronatum, juxta præscriptum pactorum Stumdorffiensium, cum triplici & cætera scriptus: insuper in ijsdem literis in cautiùs à scriptore Literarum, vt mos regnantium, scripti, additiq; anni Regnorum. Illud verò magis pensiculatè, à Sueticâ libratum aulâ, & pro motiuo belli inferendi arreptum, dùm circa actum, Coronationis *Caroli Gustaui*, Regis Poloniæ internuntius, *Canasilius* Natione Gallus, publicè Coronationi *Caroli Gustaui* reclamauit, inscio Senatu & Ordinibus Regni, eo tamen ipso, & hac intercesѕione, pacta induciasq; abruptas, Aula *Suetica* conficiebat euincebatque. subitò Præliminaris narratio Causarum belli Polonis inferendi, quasi clarigatio in lucem protrusa; cui scripto, cum omni latini sermonis, & ciuilis prudentiæ grauitate, respondit, *Gregorius Borastus*, Cracouień, Varmień Canonicus, natione Suecus, probitate doctrinâ eximius, cum eo titulo Causæ præliminares limatæ, & eliminatæ. Ac tanti Poloniæ constitit titulus ille à Regibus, nullo fructu commodoque, verùm cum ingenti Regni jacturâ, & summo discrimine, pertinacius retentus, Suecisq; enixiùs deposcentibus non dimissus, aliàs pacificationem perpetuam, & ablatorum restitutionem offerentibus. Herebat iam in Pomerania conscriptus Suecorum exercitus, cui præerat *Arfardus Wirtembergius*, eundem Regis mandato, ad fines maioris Poloniæ promouit. Nec adeò validum militiæ Sueticæ robur erat, quin à nostris opprimi posset. Duorum Palatinatuum Nobilitas *Posnanień.* & *Calissień*, ad amnem *Notessium*, propè Oppidum *Vśćie* ad arma euocata, Castra posuerat. Æmulatio inter ductores nobilitatis, offensæ contra Aulam, occasionem rei benegerendæ cum Suecis euerterunt: & aliquo tractatu cum *Wirtembergio*, protectione Regis Sueciæ acceptatâ clausaq;, Nobilitas tumultuariè domum abijt, hocq; specioso pro-

Rex Sueciæ bellum inferendum Polonis proponit.

Causa Belli.

Grauior offensa.

Miles Sueticus Virtembergio duce in Pomerania.

In maiorem Poloniam promouetur.

Protectio Regis Sueciæ acceipitur.

tectoris illecta titulo, inuasori Regni Sueco portas aperuit. Posnaniam, Calisium, Suetica insedêra præsidia. In ædes sacras, domos Nobilium, omni prædandi rapiendiq; grassabantur licentiâ. Nec à cædibus innocentum abstinuêre; etiam Sacri Ordinis *Ioannem Branecium* Episcopum Ennensem Suffraganeum Posnaniensem, in pago hæreditario Srodensi Oppido vicino, dùm humaniùs inuasores excipit tractatque, ab ijs pilis plumbeis interimitur, totaq; suppellex diripitur. Superuenit cum alio exercitu Rex Sueciæ, Regnum ingressus, *Cracouiam*, Varsauiam, & vtramq; Poloniam, vno deoccupauit impetu. Etiam in Prussiam fulminis instar furor hic Suecus penetrauit. *Thorunium Elbinga, Mariæburgum*, aliaq; loca, Suecum patentibus excepêre portis. Solum Gedanum supererat, quod constantem & intemeratam fidem, Regi & Regno seruauit: sumptu maximo terrâ mariq; Suecorum insultus aut morabatur, aut propulsabat. Acerbam hanc sortem, sensit Episcopatus Varmieñ. & rapacitatem non euitauit Sueticam. Sacra tamen Ecclesiastica supellex, tempestiuè nauibus auecta Gedanum, in securo mansit. Argenti nihilominùs & auri potior pars, Summo Pontifice indulgente, publicæ data necessitati, etiam insigne & Basilicum donarium *Ioannis Alberti* Principis, Statua *S. Andreæ* ex auro solido, librarum aliquot decades fisco cessit, & aliæ per Regnum Ecclesiæ, coactæ hanc sanctiorem depromere gazam. Aliquam testificando gratitudinem Ordines Regni, lege cauerunt publicâ, argenti ab Ecclesijs accepti restitutionem, quod sperandum in Anno magno Platonis. Interim Canonici ob ingruentem hostilitatem, Ecclesiâ desertâ, ad tutiora recesserant. Episcopus abijt Regiomontum, & sub amici, domuiq; suæ beneuoli Principis vmbrâ, in tam flagranti periculo quæsiuit securitatem. Neq; Regiomontum extra curam pastoralem Varmieñ. Episcopi; suberat olim Sambieñ. Episcopo, eius titulum Varmieñ. vsurpat Episcopus, cùm reditus Lutheranismo in Prussia Ducali inualescente, in profanam & heterodoxam abiêre dominationem. Ecclesia Catholica, quæ ibi exstat, recognoscit Ordinarium Episcopum Varmieñ. Fecerat aliquam spem Elector *Brandeburgicus*, etiam in Conuentu Generali terrarum Prussiæ, idipsum per suum declarauerat Ablegatum, Prussiæ Regalis, ab ingruente hostilitate defensandæ, armaque Suecis opponendi: verùm prosperi Suecorum successus, totaque Prussia Regalis occupata, ad alia consilia flexit Electorem. Aliqui Poloni exercitûs Tribuni, cum suis legionibus in partes Sueci transierant,

Ioannes Branecki Suffraganeus Posnañ. occiditur à Protectoribus.

Rex Sueciæ regnum ingreditur & occupat Vrbes.

Etiam in Prussia.

Gedanum constans non credidit Protectori.

Hoc idem malum sensit Episcopatus Varmiensis.

Collectio à S. sede indicta.

Ad restituendâ Lege publica contra.

Episcop. Varmieñ. Regiomontum se confert.

Ecclesia Regiomonti recognoscit suũ Episcopum Varmieñ.

Elector promisit Protectionem Prussiæ.

Sed sine effectu.

ſierant, in Pruſsiamq; aduentantes cum *Brandeburgicâ* militiâ aleam Martis tentârunt, quæ cùm Brandeburgicis improſperè ſucceſsiſſet, ad media pacificationis cũ Sueco Elector inclinabat. Non otiosè Regiomonti egit *Leſczynius*, vnâ cum *Vincentio Coruino Gaśieuio*, Supremo M. Ducatus Lithuaniæ Theſaurario, ibidem Campeſtris Militiæ Præfecto, aulâ non inſciâ pertrahebat Electorem in partes Regis & Regni; qui duntaxat id prætendebat, vt ex Ducali Pruſsia ad aulam tollerentur appellationes: inſuper ſummam aliquam notabilem, pro Stipendijs Polonæ offerebat militiæ. Cæteroqui nonnullorum opera, qui nihil in Repub. præclarum exiſtimant, niſi quod ab ijs repertum conſultumq; tractatus ille reprobatus, contemptimq; habitus, etiam Regi hiſce ſuſurrantibus diſplicuit. Aderant in aula præſentes Cancellarij & Miniſtri ſtatus, *Stephanus Coricinius* Supremus Regni Cancellarius, *Andreas Trzebicius* Epiſcopus Præmyſlieñ. Minor Regni Cancellarius, illi tractatum à *Leſczynio* & *Gaśieuio* cum *Brandeburgico* concluſum, ratum haberi contendebant: præualuit priuatorum ſiniſtra & maleuola informatio, qui offenſi *Leſczynio*, eundem citra omnem culpam, ſequioribus apud Regem onerauerant delationibus. Cùm ille nihil intermiſerit, donarijs, Largitionibus aulam Electoralem molliendo, ne fides Catholica in Pruſsia Epiſcopali periclitaretur. Et iam Elector, proſperis Suecorum expenſis, quorum exercitus totam inundauerat Pruſsiam Regulam, metuenſq; ne & Ducalis mutaret, aut dominationem mutaret, primùm per occultiores Internuntios cum Sueco confert, poſtmodum ipſemet *Barrenſteinij*, Oppido Pruſsiæ Ducalis, quarto ab *Heilsbergâ* lapide congreſſus, pro mutuâ ſecuritate inijt pacta, in dominium transſcribebatur Electoris: qui nullâ vſus morâ, præſidia per Oppida diſpoſuit, eamq; patrimonij Chriſti portionem, Pruſsiæ Ducali vnire, aggregareq; intendebat. *Frauenburga*, vbi Cathedralis Eccleſia, *Brunsberga*, quæ prima in Polonia, naſcentem excepit Societatem IESV, primaria Epiſcopatûs Ciuitas, *Hebo* & *Paſſeriæ*, quæ ibidem in Habum influit, adjacens, firmiori inſeſſa præſidio. De amouendâ inde ſocietate, agitari conſilium, præſenſerat in Aula Electorali *Leſczynius*, hoc ne ad effectum deueniret, Caluiniani dogmatis Prædicatorem, qui Conſorti Electoris, quaſi Conſiliarius erat, (ſi Dijs placet) ſpiritualis, non leui obligauit honorario, hic cauſam Soc: Ieſu feliciter egit perfecitq; vt *Braunsbergæ* remaneret. Hæc & alia didici narrante *Leſczynio* Domino Patrono meo beneficentiſsimo. Totum

Regiomõti nõ otioſ⁹ Leizczynius.

Vnâ cum Gaſieuio.

Eorum bona opera reprobata.

Priuatorum ſiniſtrâ informatione.

Elector init pacta cum Sueco.

Epiſcopatus Varm. in Dominiũ cedit Electori.

Cuius Arces & Ciuitates potenti præſidio munit.

Leſzczynius ſuâ prudentiâ retinuit Patres Soc: IESV.

Episcopatum pro libitu Elector, exactionibus, Militum Statiuis prægrauabat *Allensteinum*, *Melsaccum*, Dominij Capitularis loca, gemebant in hac incude tribulationis. Interim fauentius benigniusq; cælum, toti Poloniæ feliciores disponebat transitus. Subita illa & nimia Suecorum fortuna, languescebat, suumq; relinquebat Victorem trepida nimis ad nomen *Georgij Lubomirscij* nunquam partibus Sueticis adhærentis; qui Exercitum Polonum, fortunam Suecorum sequentem, ad fidem Regis ac Reipub. defendendamq; Patriam, inauditâ prudentiâ reuocauit; *Regi Casimiro* è Silesia vbi reclinauerat, (quem ante aliquot annos suâ prudentiâ Regem creauerat) Regnum restituit, ac Coronam Thesaurumq; Regni conseruauit, feliciterq; eundē ad propriam sedem reduxit. *Magnum Tartarorum Chanum* cum ingenti Exercitu (cum quo illi ab antiquo stricta fuit amicitia) contra Suecos proprio ære adsciuit. *Rakocium Transyluaniæ*, Suetici belli contra Polonos socium, vastatis partibus Hungariæ, illo in Polonia commorante, gloriosè è finibus Poloniæ pepulit, fuso ad internetionem eius exercitu, Ducibus in captiuitatem Tartarorum redactis. Meretur & inde nominis famam immortalis idem *Lubomirscius*, quòd Graudentum summâ prudentia expugnauit. Thorunium ingenti apparatu bellico, & ingenti fortitudine oppugnauit & prosperè expugnauit, Suecis abhinc inuincibilem iniecit terrorem, cum quibus tandem pacem Oliuæ composuit. Deniq; *Seremetum Moschorum* Ducem, ad *Cudnouiam Cosacorum* viribus, Duce Czeciurâ potentissimum ad internetionem deleuit, stupendamq; ac Posteritati admirandam reportauit Victoriam: sed tanti Viri heroicis ausibus & gestis immortalibus, nec vna dies, nec vna sufficit pagina. Dedêre tunc boni Cælites felicitati Polonorum & alium non dissimilem priori, Virum *Stephanum Czarnecium* Castellanum Kiiouiensem & deinde Palatinum, in omnes casus belli expeditum, qui Suecum pariter pluribus in locis, incredibili celeritate vsus, victricibus armis oppressit, & vires infensas in tantum fregit, vt faustos ab initio Suecorum progressus, nulli nixos iustitiæ, tristis terminaret catastrophe. Hæc vbi prosperè in rem Polonorum geruntur, expendebat Elector successus Sueci, fatali obnoxios vicissitudini, rotamq; fortunæ erga Suecos pronioris, breuialiter vertendam permutandamq; fore. Nec alieno erat animo à resumendo tractatu, quo rebus Suecorum inclinatis suæ consuleret securitati. Commissum datumq; negotium Lesczynio Regiomonti commoranti, tùm & *Vincentio Coruino Gasieuio* Supremo

Lubomirscij fides in Regē ac Virtutes.

Regem ab Exilio reuocat.

Tartaros in auxilium conducit.

Rakocium fudit.

Graudentum expugnat.

Thoruniū oppugnat.

Pacē cum Sueco compouit.

Potentiam Moschorum attriuit.

Stephanus Czarnecki heros magnanimus Suecos nō semel fudit.

Vicissitudinem fortunæ Suecorum cōsiderat. Elector Brandeburgicus.

Committit negotium tractatùs Lesczynio & Gasieuio.

M. D. Lithuaniæ Thesaurario, & Campestris Militiæ Præfecto, cum Electore paciscendi, & qui (vt supra memoratum) aliquorum susurris interuerso tractatu, centena millia Imperialium, in ærarium Regni pollicebatur se illaturum, modo cum suprema potestate Ducalem gubernaret Prussiam. Nec onerosum erat, cum Electore taliter pacisci. Verùm Elector transactione Sueticâ, tùm & Episcopatûs Varmień apprehensione elatus, oppido in prægraues conuenit conditiones, quas hic attexêre prolixum & superfluum. Prussia Episcopalis vigore horum pactorum, exempta à prætenso Dominio Electorali, pleniq; iuris possessio, Episcopo & Capitulo, asserta, vindicataque, etiam miles Electoralis excessit, & in Prussiam migrauit Ducalem. *Frauenburgum* nihilominùs & *Braunsberga* ab Electorali præsidio retenta mansit ad Annum Dñi 1663. eoque tandem Anno, asserta in libertatem, excedente militiâ Electorali. Pacta de quibus supra confecit *Lesczynius* & *Gasieuius* cum Electore *Welauiæ* 1657. 19. Mensis Septembris, approbata & confirmata à Rege *Casimiro Brombergæ* seu Bidgostiæ eodem Anno 6. meń. Nouembris. Necdum verò bellico hoc fragore consilescente, *Lesczynius*, ea quæ sunt potestatis Episcopalis implebat. *Sceburgi* in Ecclesia illius Oppidi Parochiali consecrauit *Thomam* de *Rupniew Vieyski* Episcopum Kiiouień. Præpositum Varmień. Abbatem Plocen, qui raro exemplo, infulam in Anno 1677. cum religiosa Societatis IESV permutauit lacernâ, & post eam tempestatem lætior & pacatior status redibat Episcopatui. Quamuis *Elbinga*, *Mariæburgum*, in propinquâ viciniâ metum terroremque spargebant, Suecis ibidem latitantibus, quorum excursiones Polonæ Militiæ cohortes, in Episcopatu consistentes reprimebant. Tandem illa formidabilis Suecorum potentia iam decreuerat, totq; cladibus à Polonâ militiâ illatis, vix trahebat spiritum, nec nisi *Elbingæ Mariæburgi* hi corui braccati, quasi in nidis aliquibus delitescebant. Superuenit Gallica mediatio, quæ mutuas diremit acies & annorum aliquot truci finem posuit classico. *Oliuenses* pacis tractatus, tot cladibus, deuastationibus optatam superinduxêre tranquilitatem. Verùm non diu *Lesczynio* in Episcopatu, ad sensum pacis composito, morari permissum. Viuere desierat eius Patruelis *Andreas Comes* de *Lesno* Archiepiscopus Gnesneń. in Anno 1658. nec quidquam ambientem, imò inuitum & reluctantem, Rex nominauit Archiepiscopum Gnesneń. ad tantumq; pertraxit gradum, qui in Varmień. Ecclesia tumulum iam cogitatione impleuerat. In

Prussia Episcopalis exempta à prætenso Dominio Electorali.

Frauenburgum & Braunsberga ab eodem occupata.

Pacta cum Electore approbantur.

Lesczynij Acta in suo Episcopatu.

Suecorum vana arrogantia.

Eorum potentia attrita.

Mediatio Gallica pacem Oliuæ conclusit.

Mors Andreæ Lesczynij Archiep. Gneśń.

Declaratur Venceslaus Patruelis defuncti in Archiepiscopum.

Anno

Ei^s in Episcopatu Varmień. virtutes.

Virorum doctorū æstimator & censor.

Hirtenbergij Pastoris.

Stoffelij.

Nowieyscij & aliorum opera vtebatur.

Multos ad fidē reduxit.

Iuuenes nobiles fouit in scholis.

Pauperes subleuabat.

Ædificia & Arces Vetustate consumptas restaurabat.

Moritur Lyscouicijs.

Sepultus Louicij.

Anno 1659. circa ortum veris abiit Varsauiam, pro Conuentu generali Regni, quo finito ad Archiepiscopatum venit. Priusquam in Poloniā proficisceretur, per omnes Parochias ex Ambona publicari mandauit, vt si aliquibus illata injuria esset eius compensationem sperarent & requirerent. Omnibus beneuolus & beneficus esse contendebat. Viros doctos fouit. Ioachimo ab *Hirtenberg* Pastorio, Regio Historigrapho & Secretario, qui lutheranismo ejurato, Catholicam fidem Orthodoxam professus cum domesticis, Consorteq; præmortuâ in ætatis deuergio sacris initiatus, Parochus Gedaneń. & Officialis deniq; Cantor Varmień. in Anno 1681. abijt è vita, elegantioris literaturæ, quam libri testantur impresſi, famâ celebri, annuum pendebat stipendium. *Sigismundum Christophorum Stoffelium* Custodem Varmień. quem Archiepiscopus melioris notæ ornauerat Sacerdotijs, Gnesneń. Louiceń. Canonicatū, Præposıturâ Calisſień. habuit familiarem, ejusdemq; in grauioribus negotiis tristi & turbulento statu Episcopatûs calamo, operâ, consilio vtebatur. *Albertum Nowieyski* ab Academicâ profesſione in Aulam adsciuerat virum literatum, & ad Canonicatum promouit Varmień. Multos, cum quibus illi sanguinis intercedebat nexus, ab hæresi ad fidem reduxit Catholicam. Iuuenes nobiles etiam inferioris sortis in scholis sumptu proprio curabat educari. Eleëmosynis occultis, & quas amabat nesciri, multorum subleuabat inopiam. Ædificiorum nitorem ac splendorem seruare, decori sibi ducebat. Arces *Seeburgeń. Resſellień.* vetustate fatiscentes restaurauit, elegantiusq; adornauit; Curiam ligneam *Bischdorffii* propè *Resſelium* commodam satis ædificauit, horto etiam nouiter excito plantatoq; *Heilsbergæ* Cameras inferiores, cum acriori morbo articulari correpto per gradus portari nimis esset incommodum, renouauit, quæ nunc Archiepiscopales vocantur Cameræ. Ecclesiam *Springbornensem* Beatisſimæ Virgini Matri à *Nicolao Szyskouio* Antecessore ex voto erectam, stillicidijs perpluentem reparauit. Altare *Antonio Paduano* Diuo, Miraculorum gloriâ celebri, in Ecclesia *Wartemburgeń.* Sodalium *S. Francisci*, Obseruantiæ Regularis fabricari curauit. Gratam & prosperam in Episcopatu reliquit memoriam. Translatus ad Archiepiscopatum completo septennio 1666. primâ Aprilis. *Lyskouicijs* mortalis esse desiit, morbo articulari oppressus, cùm piè ac religiosè ad supremum hunc agonem suscipiendum se præparâsset. In Ecclesia Collegiata Louiciensi humatus, & in eodem depositus tumulo, cum *Fra-*

tre

tre Patrule Andreá suo antecedaneo, ante maius Altare. Ecclesiæ Varmień. suæ olim Sponsæ, tabulis vltimæ voluntatis, donauit aureum Calicem, Candelabra argentea sex, cum effigie Christi è cruce pendentis, itidem argentea. Anniuersarium pro anima, in Mille quingentis fundauit florenis. Acta in Archiepiscopatu alijs narranda & connotanda, quasi cursu Lampada tradimus. Eius fundationes.



XXIX.
IOANNES STEPHANVS WYDZGA
Episcopus Varmiensis.

Viuorum acta & vitam componere, magni viri operosum censuerunt. Arduum omninò & periculosæ plenum opus

Acta viuorum describere non vanus metus deterret.

aleæ, vitia juxtaq; virtutes memorare superstitum. Citra maleuolentiæ suspicionem, aut notam adulationis, non in procliui hæc attrectare. Hinc & me is incessit metus, dum in serie Varmiensium Episcoporum, ea veniunt connotanda, quæ viuentes (vtinamque diu longæui) in hoc gessêre gradu, enimuero, cùm mihi lingua & calamus, non sit adulatione exercitus, imò benefactorum memoria grato vigeat in pectore, narratio hæc, quæ vitam viuentium, resq; in Episcopatu gestas absoluet, professione pietatis, aut laudata erit, aut excusata. Translato itaque ad Ecclesiam Metropolitanam Gnesneñ. *Lesczynio*, *Ioannes Stephanus Wydzga* Episcopus Luceorien, *Rege Ioanne Casimiro* promouente, à Collegio Prælatorum & Canonicorum electus, in Sacello Arcis *Heilsbergeñ.* extra Ecclesiam Cathedralem, circa quam excubabat Electorale præsidium, Castrumq; vbi Ecclesia, retinebat ad executionem pactorum *Bidgostiensium* seu *Brombergensium*, prout infra dicetur. Natale solum tanti Antistitis, in tractu Roxolano & Palatinatu Russiæ terra Leopolien. vbi Magnorum Heroum domicilium. Quanquam domus *Wydzgarum*, à primâ & vetustâ origine, in Masouia nacta domicilium, inter Palatinatûs Plocensis Equestres censebatur familias. Anni propè trecenti, in priuilegio pacis & concordiæ, *Vladislai Iagellonidis* Poloniæ Hungariæ Regis, Brestæ Cuiauiæ initæ, cum *Paulo* de *Rusdorff*, Supremo Crucigerorum in Prussiâ Magistro, Anno 1436. dum præsentiũ illi actui, Senatorij, & equestris ordinis adscribitur Cathalogus, aderat præsens *Andreas Wydzga* Plocensis Vexillifer. Mutauêre deinceps posteri Coloniam, in Palatinatum Sandomirieñ. & in Russiam transtulêre sedem, ibidemque cum primarijs Heroum familijs, affinitatis contraxêre nexus, opibus & fortunâ luculenter aucti. Ex hac stirpe, parens erat nostri Antistitis, *Ioannes Wydzga*, in bello Moschouitico, auspicijs *Sigismundi III.* feliciter gesto confectoq; *Herborthi Subcenturio.* Libet hic à magno calamo magnum apponere elogium, illud verò est *Stanislai Kobierzycki* Palatini Pomeraniæ, magnæ dignationis in Republica, & qui elegantioris styli, solidæ doctrinæ, sibi circumdedit famam in Historia *Vladislai* Principis, parentem & filium gratâ prosequitur memoriâ. Felix bellicâ laude gloriaq; Vir, sed longè illustrior feliciorq; *Stephano* filio Abbate Sieciechouieñ. *Vladislai Regis*, Magni nominis Ecclesiaste, cuius doctrina, prudentia, blandeque in aures influens suada, non vnius Aulæ Polonæ, sed vniuersæ Christianitatis meretur Theatrum. Eius

Episcopatus Varmieñ confertur Stephano Wydzga.

Eius Natales recensentur.

Wydzgarum Origo in Masouia.

Tandẽ in Russiam se trãstulerunt.

Parentes Stephani.

Elogium Parentis eius.

parentis

parentis filius *Ioannes Stephanus Wydzga*, ingenium acre viuidum in Polonis primùm Gymnasijs, dein peregrinationibus per Europam excoluit. Louanij in illis Athenis Belgicis, *Erycium Puteanum*, *Nicolaum Vernuleum*, audiuit præceptores. Ius Canonicum, *Andreâ Valense* prælegente, didicit. Galliâ, Hispaniâ, Italiâ peragratâ, Romæ Theologicis eruditus disciplinis, redit in Poloniam. Canonicatu primùm *Leopolień.* post Præpositurâ in eadem Cathedrali obtentâ, Euangelium non erubescebat: frequentiùs ex sacris Rostris dicendo, admirabili facundiâ, rerum sententiarum pondere, celebre in illa Vrbe auditorium, trahebat in admirationem. *Alexander Trzebinius* Episcopus Præmyslien. Regni Procancellarius, *Wydzgæ* sui popularis, & sanguinis conjunctione affinis, præstans ingenium, doctrinam solidam nouerat familiariùs. Ad aulam *Vladislai IV.* euocat *Wydzgam*, Regi commendat Secretarium, sibiq; adsciscit familiarem. Abjerat tum in Italiam *Ioannes Casimirus* Poloniæ & Sueciæ Princeps, ab obitu *Vladislai*, electus & Coronatus Rex Poloniæ, ac ibidem, post aliquod tempus, Religioso Societatis IESV Ordini se adscripserat, *Laureti*, ad ædem Beatissimæ Virginis Matris, miraculis per orbem Christianum, totque salutis nostræ mysterijs celebratam; cumque biennium Religiosi tyrocinij à Principe complendum fore speraretur, *Innocentius X.* qui recenter *Vrbano VIII* in Pontificatu successerat, prohibuit Principem ad religiosa profitenda admitti vota. Porrò vt mutatio hæc status, in gloriosum & per honorificum abiret titulum, in Collegium S. R. E. Cardinalium, eundem Pontifex cooptauit. Cæterùm Nuntius hic mutati status, & ad vmbram secessus Religiosam, Rege fratre inscio & inconsulto, vehementiùs eiusdem permouerat, imò causauerat offensam, vt cum acerbioris animi sensu, etiam in Synodo Prouinciali Varsauien. quam in Anno 1643. ad diem Octauam Nouembris, indixerat, congregaueratq; eximiæ pietatis & probitatis Antistes, *Matthias Lubienius* Archiepiscopus Gnesneń contra societatem, quæ clam Rege, Principem Religiosâ induerat veste, fuerit conquestus. Sunt in promptu eius argumenti literæ *Vladislai IV.* ad *Alexandrum Trzebienium* Episcopum Præmyslień. dolenter scriptæ: etiam nomine Episcoporum ad Synodum congregatorum, alteræ *Cardinali Sauello*, Regni Poloniæ Protectori, minùs reflexũ consilium, in admittendo ad Societatem Principe, improbantes, neq; votis obstringatur Religiosis impensiùs postulantes. Ferebat acerbiùs status Principis ex Regnatrice domo, cum vm-

Studia & Ingenium Stephani.

Eius Præceptores in Exteris nationibus.

Redux in Poloniam Canonicus Leopoli factus

Concionari nõ erubescebat.

Cum summa ædificatione.

Trzebinius Episcopus Præmysliensis ad Aulam Regiã eundẽ euocat.

Casimir. Princeps Poloniæ ingreditur Religionem Soc. IESV.

Vrbanus VIII. prohibet Principem admitti ad vota Religiosa.

Eundem Cardinalem nominat.

Ingressum Casimiri ad Religionem Rex non probat.

Nec Proceres Regni.

Rex ab Aula amouet Patres Soc: IESV.

Wydzgam suũ creat Concionatorem.

A Rege magni æstimatur.

Creatur Abbas Sieciechouiensis.

Anno Iubilei sancto Romam se confert.

Redux Reginæ Cancellarius, breui Referendarius ac Secretarius Maior.

Tandem Episcopus Luceoriensis.

Tempore incursionis Sueticæ Regis & Reginæ Comes.

Mors Petri Gębicki.

Andreas Trzebicki Episcop° Cracouieñ.

Procancellariatus Wydzgæ destinabatur.

brâ Religiosa permutatum *Vladislaus Rex*, protinusq; Societatis IESV Presbyteros ab Aula spirituali amouit seruitio. In locum *Stanislai Tomislauij* Societatis IESV, Ecclesiastem adlegit *Wydzgam*, oppidò disertum eruditumq; sacrum Oratorem, & qui eminentissimorum in Republica Virorum judicio, miraculum ingenij, Oraculum Ambonæ, mellifluus audiebat *Wydzga*. A *Rege Vladislao* magni æstimabatur, qui veluti erat prudentia incomparabili, ita summo pollebat judicio, & exactâ ingeniorum censurâ: fatis sublato *Stanislao Grochouio*, Archiepiscopo Leopolien. vacantem Abbatiam Sieciechouien. reditûs amplioris eidem contulit. Maiori etiam destinabat gradui, ni præter spem & vota omnium, in ancipiti Regni statu, viuere & regnare desijsset. Supra Octennium, tàm laboriosam adornauit spartam, etiam apud Successorem *Vladislai Ioannem Casimirum*, eandem collegit, continuauitq; existimationem. Imminente Anno Sancto Iubilei in Anno 1650. ab *Innocentio X.* publicato, Romam excurrit, ab his seuerioribus curis; totq; annorum labore, laxamentum & respirium nacturus. *Inde redux Reginæ Ludouicæ Mariæ* primùm Cancellarius, in breui Referendarius, Maior Secretarius. Et per hos gradus Regiâ nominatione, ad infulam peruenit Luceoriensem tum uacantem, ab obitu *Ioannis Baptistæ Zamoyski*, qui ex Præmyslien. Episcopatu ad Luceoriẽsem translatus, necdum apprehensâ possesione, in itinere mortalitatem expleuit *Bilgorati* Oppido municipij Belzensis. Necdum possessionem illius injerat Episcopatûs; *Carolus Gustauus* Seciæ Rex, vt iam dictum, totam Poloniam fato quodam aduerso, armorum potentiâ ita inundauerat, vt Rex & Regina, extra fines Regni in Silesiam, securitati consulendo excedere coacti fuerint. Comitabatur Aulam *Wydzga*, vt Reginæ Cancellarius. Et post aliquod tempus *Petro Gębicio* Episcopo Cracouien: Brunæ in Morauia extincto, cum ad illam Cathedram Rege promouente, euectus fuisset *Andreas Trzebicki* Episcopus Præmyslien: Regni Procancellarius; Annulo Regni, quem dimittebat, *Trzebicius* destinabatur: lenitas & mansuetudo oberat, quò minus hoc succederet. Talis verò Aula opus habebat Ministro, qui cum *Stephano Coricinio* Supremo Cancellario, aulæ meditatis & intentis obliquo, acriùs, vehementiùs exerceret æmulationem. Verùm & hic non diu superuixit, aulæq; cogitata non morabatur. Hæc qualiter maturuerint, & quanto aduersorum turbine Rempublicam permiscuerint, exhorrescit calamus; & nè videamur in alieno pedem ponere choro, ad nostra deflectimus.

mus.

mus. In Episcopatu Luceorien: ministerium suum implebat, tametsi illius Episcopatûs, Moschorum, Cosacorum incursione bona Mensæ, in Palatinatu Podlachiæ, & circa Brestam Lithuanorum barbarâ immanitate fuerint deuastata. *Albertum Stanislaum Radziwilium*, S. R. Imperij Olicæ Nieswiesij Principem, Supremum M. D. Lithuaniæ Cancellarium, eximiè pium & doctum, qui in nostra Sarmatide, alterum refinxit Elzearium, libris spiritualibus asceticis, inter tot publica negotia scriptis, & publici juris factis, pietatem insigniter fouit, promouitq;. Olicensem Basilicam grandi erexit sumptu, Infulatum Præpositum, & Collegium Canonicorum fundauit, aureâ, argenteâ suppellectili admirando comparatâ pretio, eandem adornauit Ecclesiam, parentali laudauit sermone. Supra quinquennium illi præfuit Cathedræ, & post translationem ad Metropolitanam Ecclesiam Venceslai *Leßczynij* in Varmien. eidem successit, Electus *Heilsbergæ* in Sacello arcis 1699. primùmque venit ad Episcopatum 1660. in festo Epiphaniorum, quem lacertum rapinisque militaribus attritum, nec ab ijs immunem reperit. At grauiorum texebatur turba malorum, cùm colligatio seu militaris confœderatio in Anno 1661. conflata, sibi ductore seu Marschalco, *Samuele Swiderski*, homine ex eorumque genere, quibus anima pro *Sale*. Tantumque ausa hæc militaris insolentia, vt palatium Kielcense Episcopi Cracouien. non minùs eleganter quàm sumptuosè à *Iacobo Zadzik* Episcopo ædificatum, deoccupauerit, ac ibidem, consilij & militarium circulorum, sedem constituerit, mansionemq; aut hospitium pro Marschalci officio, & eidem Consiliarijs adjunctis designauerit. Ab hoc militari tumultu, non fuit immunis Episcopatus, supra triennium; Oppidani, agrestes, insolitis pressi exactionibus. Auxerat malorum sensum, contra totum Sacrum Ordinem, prægrauis quædam, & in Regno Catholico inaudita adinuentio. Modiperatores seu reuisores fuerunt designati, qui Census redituśq; spiritualium librarent, & certo assignato demenso, potiorem prouentuum partem; ad ingluuiem militarem explendam transcriberent. Hæc sors mittebatur super Episcopatum, prudens tamen solersque Episcopus hosce censores distinuit, nè commissa exequerentur. Omninò hæc licentia militaris, in Regno & Magno Ducatu Lithuaniæ ita grassabatur, vt extremæ hostilitati par, imò supra videretur. At in Lithuania longè grauiùs, hæc militaris sæuities prælicenterq; insolescebat. Ausa immane facinus, quod omnem atrocitate

Cura eius in Episcopatu Luceorien.

Oratio eius in Exequijs Radziuilij.

Creatur Episcopus Varm.

Confœderatio Militum.

Confœderationis Marschalcus.

Eius Sedes.

Inuentio Spiritualibus grauis.

Quam Episcopus non permisit in sua Episcopa exequi.

Confœderationis magna licentia.

Ausus & facinus Lithuanicæ Confœderationis.

superat barbariem. *Vincentium Coruinum Gasieuium*, Supremum M. D. Lithuaniæ Thesaurarium, Campestris militiæ Præfectum, recenter ex Moschouitica reducem captiuitate, Vilnæ ægritudine languentem, lecto affixum, carâ consorte *Magdalena* de *Konopat*, frustra cum lacrymis vim deprecante, violenter abreptum, & propè oppidum Ostrynia deductum, innocentem ex aliquâ vanâ & futili suspicione, fistulis ferreis displosis interemerunt; ægrèque permissum maculas conscientiæ Societatis IESV Presbytero detegere. Hæc parerga dum insero, beneuolus Lector indulgebit. Interim hæc militaris seditio vt conquiesceret, omnem curam conatumque Resp. intendit, ac tandem *Leopoli* in Anno 1663. *Rege, Reginâ* præsentibus, *Venceslao Comite* de *Lesśno*, Archiepiscopo Gnesñ allaborante, dissolutis stipendijs, quæ valorem rei monetariæ corruperunt, argentum & aurum mutârunt in scoriam, pede monetali penitùs euerso, tumultuans hæc militia, redijt ad obsequium Regis & Regni. Indultum aliquid oppidanis & agrestibus, tot rapinis exhaustis imò exossatis, quos in breui vix non similis afflixit pressura. Eodem Anno pro executione pactorum *Brombergensium* seu *Bidgostiensium*, satagente apud Aulam, Ablegato Electorali *Ioanne Howerbekio*, Commissio Regiomontana ab Aula expedita, pro Supremo dominio Ducalis Prussiæ, tradendo *Brandeburgico* Electori, demandatumq; negotium *Wydzgæ*, *Ioanni Comiti* de *Lesśno* tum Regni Procancellario, Maioris Poloniæ Generali, vt præstito juramento Nobilitas & populus illius tractûs, Supremum Dominum Electorem *Brandeburgicum* recognosceret. Actus huius erat *Secretarius Ioannes Stanislaus Sbaski* Gnesneñ. Varsauieñ. Canonicus, Decanus Louiceñ. nunc Episcopus Præmyslien. Præpositus Generalis Miechouien. Canonicorum Regularium Custodum Sanctissimi Sepulchri. Hisce peractis *Frauenburgum*, *Bransberga*, hucusq; à præsidio retentæ Electorali, eodem excedente, ad pristinum rediêre statum. Tantâ verò constantiâ Wydzga, eorum locorum vrgebat eliberationem, nullatenusq; commissum exequi negotium volebat, ni priùs certa compertaq; superueniret notitia, ex memoratis locis Electorale excessisse præsidium, quâ acceptâ, actum completumque negotium. *Frauenburga* liberata à præsidio Electorali Canonici qui sparsim in Episcopatu manserunt. Circa Ecclesiam, reassumpserunt residentiam. Episcopus ad Ecclesiam venit modesto Comitatu, pro Dominica Palmarum, eum nomine Collegij salutauit Præclaus *Szemborowski*

Tandem Confæderatio hæc dissoluitur.

Cõmissio Regiomontana.

Inter Cõmissarios Wydzga.

Supremũ Dominium Electori recognoscitur.

Frauenburgũ Bransberga restituuntur Episcopo Varmieñ.

wski Decanus Varmień. Rex eo tempore pacatâ tumultuante militiâ, exauthoratis aliquibus cohortibus, imò & externæ militiæ legionibus, cum recenter conſcripto Milite in Ruſsiam remotiorem Leopoli profectus, & vltra Boryſthenem, rebellionem Coſacicā edomare, & in obſequium flectere contendebat: hæc verò alij prolixiùs recenſebunt. Coquebantur interim conſilia oppreſsionis *Georgij Lubomirſcij* Supremi Regni Marſchalci, & Militiæ Campeſtris Præfecti, Herois ingentium in Regem & Rempub. meritorum, & qui, ad *Suecum, Transylvanum Regni* inuaſores exturbandos, Magnum ſe geſsit præſtititque Achillem. In Conuentu Generali 1664. quæſitiſsimis artibus formatum judicium, fabricata proſcriptio, cui aſtra ipſa indignari viſa, hyeme & in ortu veris, bino Comete excandeſcentia. Quæ aduerſa Regno incubuerint, & concitatum bellum ciuile, pro partibus *Georgij Lubomirſcij*, quo euentu conquieuerit, alij conſignabunt. Epiſcopatus tametſi remotior ab illâ Pharſaliâ, ſenſit nihilominùs illius incommoda belli, cùm externæ Legiones Regiarum partium, hyemem acturæ in Epiſcopatum deſtinabantur. Quieuit tandem, hæc Ciuilium armorum procella Anno 1666. & ſingularis cura conatuſq; Wydzgæ, ab hac militaris exactionis præſſurâ & ſtatiuis, liberauit Epiſcopatum. Hic annus fatalis fuit *Venceslao Comiti Leſczynio* Gneſneń Archiepiſcop. qui Calendis Aprilis morbo gentilitio articulari oppreſſus, migrauit è vitâ. A Rege deſignatus ei Succeſſor *Nicolaus Prazmouius* Epiſcopus Luceorień. Supremus Regni Cancellarius, & in Conuentu generali anni eiuſdem, qui improſpero ſolutus euentu, Magiſtratui renuntiauit. Non ambienti *Wydzgæ*, maius offerebatur ſigillum, vtq; poſtpoſito *Ioanne Leſczynio*, Cancellario minori, illud capeſſeret, aula impenſiùs ſuadebat, ille cum injuriâ *Leſczynij*, & priſcæ conſuetudinis interuerſione, ad tantum gradum euectionem deprecatus. cùmq; nullatenùs flecti poſſet, non ambienti *Andreæ Olſzouio* Epiſcopo Culmeń minùs delatum Sigillum. In Annum ſequentem incidit mors *Ludouicæ Mariæ Reginæ*, quæ in ortu veris iv. Idus Maij, viam vniuerſæ carnis ingreſſa. Corpus exanime Cracouiam deportatum, ibidemq; in Baſilica Cathedrali traditum ſepulturæ. Sermonem parentalem dixit *Wydzga Latinum*, cultum edecumatum, is tamen impreſſus non exſtat. Ibat annus à Chriſto Nato ſupra Milleſimum Sexcenteſimum, Sexageſimus Octauus; cùm Rex *Ioannes Caſimirus* Viduus, curarum publicarum pertæſus, & imminentia obtendens nouiſſima,

Contra Lubomirſcium conſilia oppreſſionis.

Contra eundē formatum Iudicium.

Quo fine.

Hoc malū ſenſit Epiſcopat.

Tandem curâ Epiſcopi liberatus.

Mors Venceslai Archiepiſcopi

Cui Succeſſit Prazmouius.

Non ambienti Cancellariatus offertur.

Inuerti Conſuetudinem noluit.

Procancellariatus Olſzouio collatus.

Mors Reginæ.

Sermonem funebrem Wydzga habuit.

Rex Regnum abdicat.

ma, quæ agitabat, Coronæ & scripti deserendi consilia, nouo & insolito in hoc regno exemplo, maturauit; Ordinibus Regni in Conuentu Generali, liberâ Successoris relictâ electione. Neque diu in Polonia immorari illi placuit, abijt in Gallias, ibidemq; inter viuos agere desijt. Electus in Anno 1669. *Michaël Dux Wiśniowiecius*, filius *Hieremiæ Michaëlis* Terrarum Rusiæ Palatini, herois ingentem per arma promeriti gloriam, Martis verè Poloni, meritòq; cum curâ dicendi. Eius Electioni præsens *Wydzga* interfuit. Quadriennium & supra rebus præfuit Polonis, Leopoli cursum vitæ confecit, & in obitu ipsius Polonus & M. D. Lithuaniæ exercitus, Ductu auspicijs *Ioannis Sobieski* Supremi Regni Poloniæ Marschalci & Exercituum Generalis, Theseis cooperantibus *Michaële Pac* Vilneñ. Palatino, Exercituum M. D. Lithuaniæ Supremo Præfecto, Demetrio *Wiśniowecij Zbarazij Duce*, Palatino Bełzensi, Campestris militiæ Regni Præfecto (qui decessit Castellanus Cracou: & supremus Exercituum Generalis) *Michaële Casimiro Radźiwil* Duce in Olika & Nieśwież, Procancellario M. D. Lithuaniæ, & Campiductore, ad Chotimum die festo S. Martini Pontificis Turcarum 30000. memorabili obtriuit clade, actumq; fuisset de Camenecо, si tàm vincere, quàm victoriâ licuisset vti. Electione vnanimi consensu Ordinum indictâ, *Ioannes Sobieski* per calcatas barbarorum ceruices, ad thronum peruenit, vnanimiq; consensu Electus Rex Poloniæ. Nominatus ab *Andrea Trzebicio* Episcopo Cracouiensi, nam sub tempus Electionis, obierat *Casimirus Florianus Dux* in *Klewan Czartoryski* Archiepiscopus Gnesneñ. *Ioannes Gembicius* Episcopus Cuiauieñ. nouissimâ conflictabatur valetudine, & in breui supremum vixit. Sublato è viuis Archiepiscopo, nominauit Electus *Ioannes III. Rex*, Successorem *Andream Olszouium* Culmeñ. Episcopum, Procancellarium Regni, eiusdemq; ad Summũ Pontificem *Clementem XI.* Nominationis literas scriptas, Sigillo Cameræ obsignatas, expediuit. Coronatio *Regis Reginæ*, quæ jure, consuetudine priscâ ad Archiepiscopum spectat, veniebat in consilium & cõsiderationem. Cæterùm Electo Rege in Prussiam remotiorem, versùs Bracłauiam, cum Exercitu mouente, ibidemq; hyemem sub pellibus agente, & ferè biennio, vel supra inter bellicas operationes exacto, Coronatio ad Annum Dñi 1676. protracta Interim *Clemens XI. Andream Olszouium* Gnesneñ. confirmat Archiepiscopum, palliumq; Metropolitanæ potestatis mittit insigne. Ingressu Gnesnam peracto, anno vt supra dictum, diebus Februarij

In Galliam pergit.

Eligitur Michaël.

Moritur Michaël Rex.

Victoria ad Chotimũ ipso die ante tamen mortem.

Electionis die indictâ eligitur Rex Ioannes Sobieski.

Mortuo Prażmouio Archiepiscopo in locum eius datus Olszowski.

Rex electus, in Rusiam cum exercitu mouit.

in *Basili-*

in *Basilicâ Cathedrali* Cracouień. coronauit Regem *Ioannem III.* & *Mariam Casimiram Reginam.* In eodem Generali Coronationis Conuentu, *Olßouius* illi renuntiauit Magistratui. Non ambientem *Wydzgam* Rex ad tantum euehit ministerium, lege etiam ab Ordinibus Regni resolutâ, permittenteque, cum Varmien. Episcopatu Sigilli retentionem. Neq; integro abeunte biennio, Conuentu Generali Varsauiæ finito, Rex profectus erat Gedanum, ad aliquas turbas & dissidia, Magistratûs cum plebe componenda, quorum incentor, oleum igni affundendo, audiebat *Ægidius Strauch*, in Synagoga Lutheranâ famosus Rabinus, eòque impotentiæ an dementiæ plebs Dantiscana progressa, vt numismata aurea argentea, huius Æoli signauerit effigie. Rege iam Gedani motus illos componente, *Olßouius* ibidem superuenerat, auram pestilentē, quæ circa Łouicium serpebat declinando, vbi fatum & supremum sibi accersiuit diem; incautiùs purgatione super purgationem sumptâ, quod Princeps Medicorum improbat Hipocrates. Quo Gedani vitâ cedente, *Wydzga* etiam in Archiepiscopatu longè juniori *Olßouio* à Rege designatus, ex asse Sigilli & Archiepiscopatûs Successor. Ibidem Ioannes *Leßczynius* Supremus Regni Cancellarius, ætate ingrauescente Septuagenario maior, eo Magistratu cessit, post aliquod tempus Palatinatum Cracouień. morte *Alexandri Comitis* in *Wiśnicz Lubomirski* vacantem, eidem Rex contulit. Sigillum maius pro veteri consuetudine Rex *Wydzgæ* Procancellario & Nominato Archiepiscopo Gnesneń tradidit. Nullus *Marschalcorum* ad aulam tum erat præsens, *Ioannes Ignatius Bakowski*, qui fatis cedente *Stanislao Dzialynio*, in Palatinatu Mariæburgeń. successit, Regio nomine, *Wydzgam* Supremum Regni Cancellarium renuntiauit. Minus Sigillum à Wydzga dimissum, Rex detulit *Ioanni Comiti* in Pieskowa Skała Wielopolski Dapifero Regni, Capitaneo Generali Cracouiensi, natalium auito splendore, celebratâ integritate ciuili prudentia, omnibusq; bonis artibus tantùm promerito gradum. Neq; diu eam Prouinciam Majoris Sigilli retinere poterat *Wydzga*; curis translationis ad Archiepiscopatum distractus. Rege Gedano discedente, ille redijt Heilsbergam, ibidemq; Generalem conuentum Grodnæ indictum præstolatur, ad quem in Anno 1678. veniens, negotijs illius vacabat Conuentus. Necdum ab Vrbe translationis receperat diploma, Sigillique retentio protrahi sperabatur, ni Nuntiorum terrestrium acrior obstitisset intercessio, quâ perculsus eo cessit Magistratu. Iuxta veterem consuetudinem Regem allocutus, publico elegantiq; sermone Sigillum dispositioni Re-

Coronatio Regis Ioannis III.

Procācellariatus confertur Wydzgæ, dispensante lege.

Rex Gedanum venit.

Author motuum.

Olszouius Gedanum venit.

Moritur Gedani.

Et in Archiepiscopatū succedit Wydzga.

Leszczynius resignat Sigillum maius.

Fit Palatinus Cracouień.

Minus Sigillū collatum Ioanni Wielopolski.

Reditus Wydzgæ in Episcopatu.

Sigillum deponit.

ni Regiæ consignando, cui sermoni à nemine, soloq; silentio responsum, nuntijs, qui cum Senatu consultabant, publicorum consiliorum cursum, continuantibus. Grodnâ ad Episcopatum venit, & in Anno 1680. receptis translationis Apostolicæ literis, ad Archidiœcesim viæ se accingebat, circa vltimos dies Octobris, Varsauiam, inde Squierniewicios abijt. Annis viginti Episcopatum gubernauit, seueritatis & clementiæ temperamento. Curiam Episcopalem in Castro Ecclesiæ propinquam, à multis annis desertam & incultam, commoditati Successorum restaurauit, hac adiectâ, in tabula marmoreâ, inscriptione :

Ad Archiepiscopatû se disponit.

Eius in Episcopatu Varmieñ. acta.

Domum hanc, cuius muri impensis Reuerendissimi olim *Mauritij* Episcopi surrexerant, vel injuriâ temporum, vel inuidiâ hominum, suis fermè in ruderibus sepultam, cubiculis distinxit, & habitabilem fecit *Ioannes Stephanus Wydzga* Episcopus Varmieñ & Sambieñ. Anno 1666.

Gudstadij ad Ecclesiam Collegiatam, itidem Curiam Episcopalem, ruinosam desertamq; reædificauit. *Heilsbergæ* cubicula ante pontem, cùm Superioris arcis Cameræ, ad quas per gradus ascenditur, vergenti in senium incommodæ viderentur, reconcinnauit in ijsque ad abitum mansit. Monasterium in *Springborn*, disiecto ligneo, Sodalibus de obseruantia, cocto latere ædificauit. Ecclesiæ Sponsæ suæ vestes Sacras coloris varij donauit. Episcoporum Varmiensium, suorum prædecessorum Stemmata, in diœta maiori arcis *Heilsbergeñ.* depingi curauit, versibusq; scriptis vitas compendiosè complexus. Addo tragicum & ferale facinus in Arce *Heilsbergeñ.* paratum anno 1670. die 2. Octobris. Erat in seruitio Arcis vnus ex Iudaismo conuersus & baptisatus, is braxatorij curabat rationes, quas cùm *Ioannes Baptista Nycz* Canonicus Varmieñ Oeconomus Episcopatûs diligentiùs exanimaret, in iram & vindictam exardescens, cultro in abdomen immerso, crudeliter eundem obtruncauit. Captus condignum supplicium pro tanto luit scelere. At nos tristibus his intermixtis, adijciamus Colophonem. Erat is Episcopus in conuersatione jucundus, amœnus, omnibusque affabilis, eutrapeliâ vrbanitate excellebat, eruditione, doctrinâ præstans, & cui etiam sermones familiares, grauibus doctisq; sententjs condere fuit vsitatum. Acta in Archiepiscopatu alijs scribenda relinquamus.

Monasterium Franciscanis exædificauit.


Seriem Episcoporum Carmine descripsit.

Casus terribilis

Æui delicium nostri, laus summa futuri,
Ingenij Phœnix, eloquijq; Stupor;
Cum gestis, meritis, virtutibus omnia vincas;
Lechia cum laudes non capiatq; Tuas;
De Te posteritas, vt Præsul maximè scribat;
Scriptorum calamus, par Tibi nullus erit.

XXXI.

XXXI.
MICHAEL STEPHANVS RADZIEIOWSKI,
Episcopus Varmiensis.



IN Palatinatu Rauensi, qui olim fuerat pars Masouiæ, antiquitus domicilium & nidus *Radźieiouiorum* familiæ, quæ superioribus sæculis, ac nostrâ ætate, Senatorijs eminebat honoribus. Ex hac domo *Michaël Stephanus Radźieiouius*, gente Ianosius, atauis editus heroibus, feliciter Varmień. præest Ecclesiæ,

Origo familiæ Radzieiouianæ.

Natales Radzieiouij Michaëlis.

siæ. Auus Episcopi *Stanislaus Radżieiowski*, Palatinus Łancicień. *Sigismundo III. Vladislao IV.* per multorũ annorum probata, continuataque obsequia, intimæ admissionis, gratiam & fauorem meruit Regum. Cum socia thori *Catharinâ Sobiesciâ Marci* Palatini Lublineń. filia. *Nicolaum & Hieronymum* progenuit. Maior natu *Nicolaus Castellanus Lancicień.* inito matrimonio, cum *Agnete Plichcianka*, *Valentini Plichta*, Castellani Raueń. filiâ, nullo relicto hærede è viuis abijt. *Hieronymus* Episcopi parens, *Mater Eufrosina Eulalia*, Comitissa de Tarnow, filia *Ioannis Grati*, Castellani Zarnouień. quæ primi voti fuerat consors *Constantini Ducis Wiśniowiecij Camionaceń. Capitanei.* Hic ille est *Hieronymus Radżieiouius*, qui *Georgio Ossolinio*, Supremo Regni Cancellario, in procinctu itineris Romani, vitam finiente, cùm in Generali Regni conuentu 1651. maius Sigillum, *Andreæ* Comiti de *Leßno* Culmeń. cessisset Episcopo, ab eodem minus dimissum, Rex contulerat *Hieronymo Radżieiouio* Łomzensi Camionacen Capitaneo, quem necdum integro euoluto anno, indignatio Regia, sequioribus fabricata delationibus, cum Vxore *Elizabetha Slußczanka*, primùm *Adami Kazanouij*, Curiæ Regni Marschalci, deinde *Radżieiouij Consorte*, quæ fribusculum moliebantur rixæ (de his prolixiùs exactiùsq́; Vespasianus Kochouius in suis annalibus Poloniæ, recenter Cracouiæ impressis) quæ tandem ad judicium deuenerunt Marschalcale, quòd acriùs quàm justiùs, neque ex præscripto legum Patriarum instauratum, atrociori sententiâ, infamem damnauit *Radżieiouium*, tantoque priuatum Magistratu, solum vertere, patrijsque excedere coëgit finibus. Vberiùs, exactiùs hæc, ipsemet *Radżieiouius*, in manifesto innocentiæ, publici juris facto. Neque etiam scriptores rerum externarum, tantam ærumnam, in suis prætermiserunt consignare fastis. Adeò in procliui est, vt non nemo inquit: Cuiuis Principi in suo imperio, quemcunque etiam bonum & innocentem, non accusare solum, sed etiam cõdemnare. Quod in hac Repub. libertate præcellenti, nostris temporibus, quæsitis factitatum, fabricatumq́; artibus, & clades hoc fonte deriuata, in patriam populumq́, fluxit. Nimirùm amissa libertas, erepta dignitas, altiùs animo insident, acerrimosq́; recuperandi perdita, aut vindicandi stimulos ingerunt. In anno tandem 1662. offensum Regem placauit, & per legem publicam, ferali sublato decreto, priuatus in Regno vixit, fauente patrocinante *Mariâ Ludouicâ Reginâ*, quæ filios filiam, materno complexa sinu, educationem illorum impensiùs curabat. Non vanus in anno 1666. terror belli Turcici,

Parentes.

Parens Episcopi fit Procancellarius Regni.

Contra eum fabricatur conspiratio oppressionis.

Adolphus Brachelius in sua Historia.

Tandem placatus Regi.

Terror belli Turcici.

cici, cæso partimq; dispersо à Tartaris exercitu ad Brailowiam glifcebat. Eidem præerat Vicariâ poteftate *Paulus Machouius*. Pro auertendo tàm formidando belli fulmine, ad Portam Ottomanicam, cum titulo honoris Palatini Vendeñ, legatus desfignatus extraordinarius *Radźieiouius*, itineri longinquo, totq; periculis obnoxio, alacrem se obtulit, ac eidem legationi dextrè nauiterq; conficiendæ incumbendo, exuit mortalitatem. His noster Episcopus ortus maioribus, domi forisq; exculto ingenio, Germaniâ, Galliâ, Italiâ peragratâ, sanctiorem indutus togam, per minora sacerdotia, Gnesneñ. Varsauieñ. Canonicatum, Præposituram *S. Michaëlis* in arce Cracouieñ. ad infulam euasit Varmien. Adhæserat lateri parentis sui consobrini *Ioannis Sobiescij*, Supremi Regni Marschalci & exercituum Generalis, qui per calcatas Barbarorum ceruices, Regiū conscendit thronum, & dum hæc connotamus, Viennam ingentibus Turcarum copijs pressam obsessamque, ab ancipiti liberauit discrimine, inauditâ, nec retroactæ ætatis annalibus visâ, lectâq; felicitate, sacrâ armorum initâ, cum Augustissimo Imperatore, Romaniq; Imperij Principibus, societate, potentissimam Turcarum, scytharum, colluuiem, memorabili obtriuit clade, etiam in vlteriorem Pannoniam, Ottomanorum tyrannide oppressam, cum victricibus properauit aquilis. Poliorceta maximus, belli fulmen, orbis gloriæ ornamentum, seruatæ, liberatæ, ab immani Thracum rabie, rei Christianæ Clypeus. Huic vbique, etiam in Castris, continuus aderat *Radźieiouius* Comes, faustisque sub penetralibus, ad magna nutritam præparabat indolem. Gedani vt memorauimus *Andreæ Olßouio*, Gnesn. Archiepiscopo decedenti, succedente *Ioanne Stephano Wydzga*, ad Cathedram Varmieñ. *Ioanne III. Rege* commendante, modo præmisso vacantem assumitur. A nominatione ad Archiepiscopatum, non nisi supra biennium, *Wydzga* Cathedræ Metropolitanæ inijt possessionem, Româ tardiùs sacrâ transmittente diplomata. Tandem vltimis Octobris diebus 1680. *Wydzga* in Poloniam abeunte, Capitularis electio more consueto peracta, quam Regius *Nuntius Nicolaus Swięcicius*, Decanus Posnanieñ. Abbas Tremesneñ. vrgebat requirebatque. In anno 1681. literæ Apostolicæ in forma breuis, ad capiendam Episcopatûs possessionem, ab Vrbe superuenerunt, Capituloq; præsentatæ, actutum Cathedræ, totiusq; Episcopatus tradita, & consignata possessio. In conuentu Generali Regni Varsauiæ, qui seu ob priuatas quorundam simultates, seu veriùs, aliquo è tribunis externis compendijs

Ad Portam destinatus Legatus Radzieiouius.

Peregrinationes & Sacerdotia Michaelis.

Semper & vsq; cum Rege.

Regis commẽdatione eligitur Episcopus Varmiensis.

mancipato, nimioq; plùs ijs ancillante, improspero cecidit euentu, Episcopalis consecrationis absoluit solennia, tantum implente ministerium. *Ioanne Malachouio* Episcopo Cracouien. Duce Seueriæ, in Basilica *S. Ioannis* Collegiatæ Varsauien. In Episcopatum venit eodem anno diebus Iulij, vltimis limitibus Episcopatûs appropinquantem, *Zacharias Ioannes Szoltz* Custos, *Ioannes Wolowski* Canonicus Varmien. obuiam profecti, vltra pagum Capitularem *Wutrynen* salutârunt, & prosperum gratulati aduentum *Wartenbergum*, *Seeburgum*, inde *Heilsbergam* deduxerunt. Ad Sponsam ingressum ordinauit designauitq; in diem festum *S. Michaëlis* Archangeli, sui Diui Tutelaris, quo imminente *Heilsbergâ Wormditum*, inde *Brunsbergam* profectus, à Ciuitate hac primariâ Episcopatûs, tùm à Collegio PP. Societatis IESV, eâ cultus obseruantiæ testificatione exceptus, quæ debetur Regij Sanguinis Principi. Nomine Collegij Ecclesiæ Cathedralis subsistentem *Brunsbergæ*, salutauit *Adamus Sigismundus Konarski* Præpositus Varmien. Cantor Płocen. cum *Georgio Wolff* Canonico. Die ingressus ad Ecclesiam præfixo, circa decimam antemeridianam venit ad Ecclesiam. Actum ingressûs adornabant Prutheni Senatores *Michaël Dzialynski* Culmeñ. *Vladislaus Comes à Donhoff* Pomeraniæ (qui anno superiore in Hungaria, cum Turcis dimicando, vitam & sanguinem rei Christianæ impendit) *Ioannes Theodorus Comes à Schlüben* Liuoniæ Palatini, nomine Collegij peractâ salutatione, Missam celebrauit Pontificalem. Eâ finitâ Christianus Seet. I. V. D. & in Academia Regiomontana Proffessor, ad Ecclesiæ gremium nouiter accedens, ejurato Lutheranismo, in manibus Episcopi, fidei Catholicæ Romanæ fecit professionem. Quatriduo commoratus ad Ecclesiam, curis Pastoralibus, etiam juridicendo vacauit. Vicarium in spiritualibus designauit, constituitque *Zachariam Ioannem Szoltz* Custodem Varmieñ. tanto muneri parem. De ritu administrationis Sacramentorum, ab Ecclesiâ Romanâ dissono, factâ inquisitione, mandauit commisitq; Vicario in Spiritualibus Agenda seu Rituale ritui Romano, à *Paulo V. Pontifice Maximo* ordinato conforme, imprimi, & ad vsum Cleri Diœcesani, antiquato prisco Rituali, proferri & introduci. Demandato negotio nouiter, admouit manum memoratus D. Vicarius in Spiritualibus Genuinus Ritus Romanus, pro administratione Sacramentorum, viget iam floretq; in hac Ecclesiâ & Diœcesi, quæ à primâ origine immediatam Sanctæ Sedis recognoscit subiectionem, non tamen absq; murmure & peruicacia aliquorum,

Consecratus Varsauiæ.

Eius ingressus ad Episcopatũ.

Ab omnibus solenniter excipitur.

Eius ordinationes Diœcesanæ.

rum,

rum, qui improbabant, aut ogganniebant ritum Polonum introduci, quasi Polonæ Ecclesiæ, cum Romanâ dissentirent, nec ea seruare satagerent, quæ sancta Romana Vniuersalis præscribit Ecclesia. Adeò in procliui est nonnullis, ea quæ non intelligunt exagitare & carpere, quæ non capiunt. Anno 1682. pro festis Dominicæ Resurrectionis Sponsam inuisit, in cœna Domini sacros cōsecrauit liquores, Sabbatho magno fecit ordinationes. Dominicâ Resurrectionis, missâ celebratâ Pontificali, postridie ac sequenti Martis die, Sacramento Confirmationis, multos Christi fideles signauit, turbam accurrentium, amplâ vix capiente Ecclesiâ. Adultâ ætate vocatus à Rege, *Iaworouiam* excurrit, inde in autumno ad Episcopatum redijt, Indixerat Rex generalē conuentū in Anno superiori Varsauiæ ad diem 27. Ianuarij, quem more consueto Prouinciales, & Palatinatuum præcedunt Conuentus. Terris Prussiæ eundem Rex designauit 31. Decembris Graudenti. Venerat pro die festo Natiuitatis Domini, ad Ecclesiam Cathedralem Episcopatus, eoq; die, festo, missâ celebratâ Pontificali, die sequenti Graudentum versùs abijt, ibidemq; appropinquanti nuntiatur, Palatinatûs Culmeñ. Conuentum particularem in *Schonsee*, alias *Kowaleuia*, duos *Pruthenos* nobiles priuatis simultatibus, rixis discordes, illius conuentus, imò boni publici Successum impediuisse. Venit nihilominùs Graudentum, in peruigilio Circumcisionis Domini, vbi cum Palatino Pomeraniæ inito consilio, hæc Regi significauit. Graudento *Elbingam* diuertit, Ecclesiam Parochialem, ibidem visitaturus, quod ante denuntiauerat, intimaueratque illius Ecclesiæ Curato, in vigilia Epiphaniorum Domini, venit *Elbingam*, ipso die missam Pontificalem in Ecclesia decantauit, perindie Sacramentum Confirmationis, præmissâ catechesi, multis Christi fidelibus impertijt. Rationes illius Ecclesiæ diligentiùs inspexit, eas ordinationes pro reformatione scribi mandauit, quæ fidei Catholicæ Romanæ, in illa Ciuitate Lutheri, Caluini, menonistica, delirâ fascinatâ hæresi, multùm conferent amplificandæ, Conuentui Generali Varsauieñ. anni Superioris inter fuit, in quo cum Sanctissimo Domino nostro *Innocentio XI.* Vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifice, zeli pastoralis vigilantiæ incomparabilis, cum Augustissimo Romanorum Imperatore, tùm Romani Imperij Principibus inita approbata est, contra Orientem armorum societas, Regiq; nostro *Ioanni III.* Suprema militiæ colligatæ commissa potestas & præfectura, quâ felicitate, fortitudine, prudentiâ contra Ottomanos, extra Regni limites, offensiuè, non defensiuè gesta administrata, lima-

tioris

Acta Spiritualia.

Ad Comitia se disponit.

Cura in particularibus Comitijs.

Elbingæ Pontificaliter celebrat.

Cura fidei propagandæ.

Cura boni Christianitatis.

tioris calami opus, quod præſens, ſubſequens mirabitur, depræ-dicabit poſteritas. Ab eo conuentu redux, Regiomontanæ Eccleſiæ Parochialis, viſitationem indixit, Electori *Brandeburgico Duci* in Pruſsia, ſe hoc velle aggredi ſignificauit, quòd comiter ſatis excepit Elector. 2. Iulij *Heilsbergâ* Regiomontum profectus, poſtridie illuc peruenit, cui obuiam miſit *Erneſtus Boguslaus Croiæ*, & *Archotæ Dux* S. R. I. Princeps, Ducalis Pruſſiæ Gubernator, *Baronem Truchieſium Colonellum Electoralem*, cum rheda, & cohorte equeſtris militiæ, qui ad ipſam Eccleſiam, per ampla illius Ciuitatis pomeria, deduxit Epiſcopum, cujus aduentui applaudendo, bellica diſploſa tormenta, eaq; declarata hoſpitalitatis officia, quæ Principi Electori conueniebant. Supra integram ſeptimanam Regiomonti commorabatur, in Eccleſia die Dominico miſſam decantauit Pontificalem, Confirmationis Sacramento, propè duo millia hominum ſignauit, gregem Catholicum ſat numeroſum, quaſi lilium inter ſpinas, & hæreſis ſenticeta, egregiè propagatum, cum magno internæ conſolationis ſenſu, vidit inſpexit, & ea quæ viſitationis requirit actus, impleuit. Miſsionem Societatis IESV ad eandem Eccleſiam fundatam, à ſuiſq; confirmatam anteceſſoribus, ingenti rei Catholicæ commodo, circa animarum lucra laborantem, approbauit, confirmauit, Electori *Brandeburgico*, *Duci Croiæ*, Catholicorum protectionem impenſiùs recommendauit, hiſq; peractis, ad conuentum generalem, vt vocant poſt comitialem abijt, vbi ea fecit præſtitit, quæ boni publici exigebant rationes. Feſtum diem *S. Caſimiri* Regni Poloniæ & M. D. L. Principis ac Diui Tutelaris, hucuſq; profeſum, celebre ad forum populum per diœceſim denuntiauit. Cæteris eius deſtinatis, & curis Epiſcopalibus, Princeps Paſtorum benedicat, mittatq; ab alto auxilium, Eccleſiæ Reipub. ſolatio longæuum, ſoſpitemq; præſtet. Vouemus & apprecamur in eo tractu, quem circumquaq; heterodoxum ſepſere, obſedereq; zizania, mereatur illud, quod *S. Antiſtiti Ildephonſo* ſanctior adſcripſit calamus Elogium ANCHORA FIDEI.

Redux à Conuentu generali Regiomõtanam Eccleſiam viſitat.

Qua de re præcuſtodit Electorem.

Excipitur cum ſũmo honore.

Ibidem Sacramentum confirmationis confert.

Miſsionarios ordinat.

Recommendat Electori Catholicos.

Multa alia eius acta pro Eccleſia.

Pontificale caput, non tot tibi Varmia gemmis;
Nec tanto decorat fulgure, mitra duplex;
Præſule quod dignæ tibi ſunt, & Principe dotes;
Regia dona animi, quod Tuus Agnus habet.
Hinc decuit, Regum trabeas qui ſanguine tangis,
Vt Regio Regum, Paſtor Ouile regas.

F I N I S.

CHRONICON
DE VITIS
EPISCOPORUM
VARMIENSIUM,

PER

IOANNEM PLASTWIG,
Decretorum Doctorem Varmiensis Ecclesiæ Decanum.

Conscriptum circa Annum M. CD. LX. IV.

Amico Lectori

THOMAS TRETERVS S. P.

Libellum de vitis Episcoporum Varmiensium, qui Anonymus circumferebatur, Auctori suo IOANNI de PLASTWIG restitutum hîc adjunximus; Qui cùm stylo duriore conscriptus fuerit, nonnullis in locis, verba quæ ad illustrandam sententiam magis facerent, fide Historiæ vbiq; saluâ, mutare vel addere necesse habuimus. Magna tamen illi gratia debetur, quòd non parùm lucis, Episcoporum Historiæ, hoc suo compendio attulerit, ad Episcopi *Pauli* cuius jussu, hæc se scripsisse fatetur, tempora. Sunt qui existiment, eum Braunsbergensibus paulò iniquiorem fuisse, injuriæ, Consanguineis quibusdam suis per eos illatæ, vindicandæ studio.



PRÆFATIO.



Mnia tempus cursu velocissimo imminuit, atq; consumit. Senescunt non modò Familiæ, sed & Vrbes. Mundus quoq; ipse ni fallimur, vergit ad extremum. Omne quod in tempore oritur, cum tempore occidit, & cùm occiderit non redit. Virtute & industriâ bonarum artium studijs frenari potest, non quòd ne fugiat, sed vt ne pereat. Nihil est autem diuturnius, nil dulcius, quàm benè impensi temporis memorari. Et quia quo fruimur, vitæ cursus, nunc breuis, nunc breuissimus est, longus nunquam durus semper, asperq; & ambiguus. In remedium igitur Infirmitatis humanæ, literarum vsum, Diuina miseratio piè procurauit, ne facta gloriosa, rapido temporis fluxu, dilabantur. Exempla enim majorum quæ sunt incitamenta & fomenta virtutum, nullum omninò erigerent aut seruarent, nisi pia solicitudo scripturarum, ad posteros transmisisset. Nemo enim vnquam, nisi ex sua, aut scripti alieni constanti gloria claruit. Falso igitur quæritur de natura sua, cupidè malis suis incumbens genus humanum, quòd imbecillis atq; æui breuis, sortè potius quam virtute regatur. Nostra deniq; omnium vis in animo & corpore sita est; Animi imperio, Corporis seruitio magis vtimur; Alterum nobis cum Superis, alterum cum belluis commune est. Dux enimuerò atq; Imperator mortalium vitæ, animus est; qui vbi ad gloriam, virtutis viâ graditur; abundè pollens potensq; & clarus est, nec fortunâ eget: quippè quæ probitatem, virtutem, industriam aliasq; artes bonas, neq; dare neq; eripere, cuipiam potest. Quòd si hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio alia ad nihilum profutura, multa etiam periculosa petunt, non regerentur magis, sed regerent Casus, & eò procederent, vt pro mortali gloria, æterni fierent, vtq; Filij Dei dicerentur & essent: Nam vti genus humanum compositum ex anima & corpore est, ita res cunctæ, studiaq; omnia nostra corporalia, animi naturam sequuntur. Itaq; præclara facies, magnæ diuitiæ, ad hoc vis corporis ingens, & alia huiuscemodi, omnia tempore breui dilabuntur. At ingenij egregia facta, sicuti anima, immortalia sunt. Postremò corporis & fortunæ bonorũ, vti initium sic & finis. Orta enim occidunt, & aucta senescunt; Animus, incorruptus & æternus est. Quò rectius videtur esse ingenij, quam virium gloriam quærere; Gloria autem vera, bonis artibus non quæritur;

Est

Est enim (vt sapientibus placet) gloria quasi quædam vmbra virtutis; illam comitatur, illam sequitur: Quæ quibusdam veluti stimulis, generosos modestosq; animos, excitat atq; erigit, & impellit ad virtutum opera prosequenda. Vt verò non modo longa sit gloria, sed æterna, sola virtus efficere potens est; quâ in rebus humanis, nihil maius nihil altius est. Est enim rectum atq; vnicum ad felicitatem iter. Illi vacandum, illiq; toto nisu ac perseuerantiâ insistendum est. Profectò Largitor ille sydereus, nisi constanter optantibus, instanterq; precantibus illam tribuit. Perseueranti quidem animo, omissis omnibus, hic jugiter incumbendum est: hoc vnum ante oculos semper habendo, ad nihil aliud in hanc terrenam habitationem nos venisse, & hoc vnum à nobis exigi, vt virtutum gradibus, Cœlum petamus. Cæterum gloriosa rerum benè gestarum memoria, validum generosis animis incentiuum, ad virtutum iter capessendum, præbet. Cùm enim quis facta magnifica, è scripto discit, aut repræsentatiuas imagines intuetur, vehementissimè sibi ad virtutem animus accenditur: non quidem scripturam, aut figuram, tantam vim habere putandum est; sed memoria rerum gestarum, eam flammam egregijs viris in pectore ingerit, neq; priùs sedari sinit, quam virtus eorum famam, atq; gloriam adæquauerit. An quis omnibus his maior est, qui diuitijs & sumptibus, non probitate, neq; industriâ, cum maioribus suis contendere mauult? Quocunq; igitur impetus fortunæ rotauerit, nos virtutis vestigio incedentes, eiusdem gubernaculum firmiter teneamus, Optimo nos syderum Conditori, ac salutis Nostræ Gubernatori, amantissimè committendo, supplicemus, vt liberam vitæ proram, gubernaculo prudentiæ dirigat, in portum salutis æternæ. Nunc iam his præmissis vadat calamus, & in ea quæ intendo, suo tramite gradiatur; eâ præcipuè motus intentione, vt alijs mihi & scientiâ & experientiâ majoribus, viam aperiam, maturiùs, copiosiùs, ac perfectiùs, in subjecta materia cogitandi, Dei Omnipotentis gratiam & pietatem inuocando.

INCIPIT HISTORIA.


Rutheni, *Hunni* & *Gethæ*, in Chronicis *Polonorum* nominantur gentium more, Idolis seruientes Christicolis plurimùm infesti, cæperunt fæuissimè *Masouiæ Cuiauiæq;* Ducem (qui vnicus dictos duos tunc Ducatus possidebat) ac cæteros *Poloniæ* Duces, cum ipsorum subditis, qui tunc erant Christiani, bellis continuis molestare. Nondum enim erat *Polonia* Regnum, sed Ducatus. Ipsiq; *Prutheni* bellis ac incursionibus continuatis, totam terrã *Culmensem*, quæ tunc ad Ducatum *Cuiauiæ*, & terram *Dobrinensem*, quæ ad Ducatum *Masouiæ*, pertinebant, omninò desertas reddiderunt; ita vt ibidem annis multis nemo hominum habitaret; singulis namque annis *Prutheni* præfati, magnum contra *Polonos* exercitum ducentes, multos ex ipsis Christianis occidentes, reliquosq; vnâ cum mulieribus quoq; & infantibus, in gentilitatis suæ seruitutem traduxerunt, Ecclesias Christi destruentes, Presbyteros ac religiosos miserabiliter trucidarunt, ipsosq; Ducatus tributarios, & quasi desertos faciebant. Ruebant enim sine omni resistentia, quò volebant: Nam erant in populo copiosi, corpore robusto, & animo ferocissimo. Cumq; præfati *Poloniæ* Duces & signanter *Cuiauiæ* & *Masouiæ* Dux, inter cæteros *Poloniæ* Duces Principalis, & *Pruthenis* plùs vicinus, Christianos sic occidere, extirpari & periclitari Religionem; se suosq; tàm crudeliter agitationibus continuis, molestari animaduertisset, nec se quouis modo *Pruthenis* resistere posse videret, præhabito maturo consilio, cum deliberatione diligenti, præmissa pericula, sæuitias, & grauamina, coram sede Apostolicâ proponi fecit, consilium & defensionis auxilium, humiliter implorando. His calamitatibus fidelium mota sedes Apostolica, ad præmissis periculis obuiandum, misit Legatum suum ad *Germaniæ* partes, contra *Pruthenos* bellum generale indicendo, Christique crucem, contra eos prædicando & erigendo. Vnde moti multi Archiepiscopi, Episcopi, Reges, Principes, ac alij Fidei Zelatores, deuotionis causa, & peccatorum suorum remissionis intuitu, sub spe remissionis æternæ, animati, Christi Cruce insigniti, contra *Pruthenos* arma sumpsêre, comparatoque exercitu copioso, Legatus in *Prussiam* proficiscitur. In quo quidem Exercitu, erant aliqui, licet pauci Fratres Ordinis Sanctæ MARIÆ Teutonicorum.

Prutheni Idololatræ.

Ducatus Masouiæ depopulantur.

Incolas in seruitutẽ rapiunt.

Quæ gens qualis fuerit.

A sede Apostolica Dux Masoniæ contra Prussos consilium petit.

Legatus Apostolicus in Germaniam.

Bellũ Pruthenis indicendo.

Multi contra Pruthenos insurgunt.

Legatus Apostolicus cum Exercitu in Prussiam proficiscitur.

Sic solicita de Christianæ Religionis protectione & augmento Sedes

Solicitudo Sedis Apostolicæ circa Prussiam.

to Sedes Apostolica, multis continuatis annis faciebat, mittens annis succedentibus, tres successiuè Legatos, ad fideles contra *Pruthenos* incitandum, donec Diuinæ pietatis auxilio, terra *Prussiæ* Incolis pro maiori parte interemptis & fugatis, residui pauci quidem, fidem Christi suscipere coacti sunt. Cùmque fuisset annis quinquaginta tribus, clarissimè præliatum, & cessante Incolarum feritate, *Prussia*, sine magnâ *Pruthenorum* resistentiâ in potestatem Fidelium deuenisset, præfati Archiepiscopi, Episcopi, Reges & Principes, quorum operâ, laboribus & expensis, sede Apostolicâ, Legati sui medio, instigante, terra ipsa fuit obtenta eandem Sedi Apostolicæ præfatæ, deuotè obtulerunt, humillimè supplicantes vt pro defensione & augmento Fidei Christianæ, de illa ordinationem prouidam facere dignaretur. Missus igitur fuit ab *Innocentio Papa IV.* Dominus *Wilchelmus Mutinensis* Episcopus, Legatus sedis Apostolicæ (qui postea factus fuit Papa, & vocatus *Alexander III*) & hic juxta traditam sibi formam Anno Domini M. CC. XL. III. Mensis Julij, præfati *Innocentij Papæ* Anno I. Terram diuisit, limitauit, Episcopatus fundauit, Ecclesias erigendo, Episcopos instituit, Ecclesias dotando; & ordinauit, quòd Episcopus *Culmensis* juxta tunc concordata, cum Diœcesis suæ Incolis, ac Ordinis Fratribus, suâ deberet esse portione contentus. Erat enim dicta Diœcesis à *Cuiauiæ* Duce, Fratribus Ordinis præmissi, in feudum data Anno M. C. XC. Et quia in introitu terræ erat sita, iam competenter ab hominibus inhabitabatur, eò quòd in fidelium ingressu, illam primò Castris & fortalitijs (refugij causâ) munierant. In cæteris verò Diœcesibus, videlicet *Varmiensi*, *Pomesanensi*, & *Sambiensi*, statuit & ordinauit, quòd Episcopus quilibet, Ecclesiæ suæ, nomine totius suæ Diœcesis, partem tertiam obtineret, Ordinis Fratribus residuas partes duas, à sede Apostolicâ in feudum obtinentibus, eo tamen pacto, quòd Ecclesijs omninò liberis remanentibus, Ordinis Fratres labores & expensas, bellorum pondus, ac terræ defensionis sufferre deberent, prout hæc clarè & latè, tàm in Ecclesiarum quàm Fratrum Priuilegijs continentur; quæ vtinam seruata fuisset, non tantis hodie gemerent sub cladibus Vrbes, minusq; Clerus ac Christi Religio tota.

Debellati Prutheni.

Offertur Prussia deuicta sedi Apostolicæ.

Mittitur Legatus ad diuidendam terram & Episcopatus fundandos.

Dotantur Ecclesiæ.

Terra diuiditur.

Et notandum est hîc diligenter, quòd non (prout quidem & præcipuè dicti Ordinis Fratres, virtutibus alienis, nomen suum adornare satagentes, aiunt inaniter gloriantes) Ordinis Fratres, Terrã *Prussiæ* à *Pruthenis* bello, seu gladio vindicarunt,

Ordo Teutonicorum non deuicit Prussiam.

cùm ipſi in eiuſdem terræ acquiſitione, numero & æſtimatione fuerint minimi; Nec ſinit ratio ſuſpicari, tàm ſæuam gentium multitudinem, paucos ordinis Fratres potuiſſe debellando ſubiugare; ſed terram euictam, ac *Pruthenis* interemptis & expulſis, ſedi Apoſtolicæ oblatam, ab eadem ſede donatione, & in feudum receperunt. Nec Ordinis Fratres Epiſcopatus, ſeu Eccleſias Cathedrales erexerunt, fundarunt ſeu dotarunt: Nam vno eodemque tempore ſunt per Legatum, Authoritate ſedis Apoſtolicæ, Eccleſiæ fundatæ & dotatæ, Ordiniſq; Fratres, de reſidua cuiuslibet Diœceſis parte infeudati; modis & conditionibus quibus ſupra. Ita vt Eccleſiæ immediatè in temporalibus, ſedi Apoſtolicæ ſubjectæ ſint: à quâ etiam Regalia petere & recipere tenentur, prout hæc clarè in Priuilegijs continentur præmiſsis.

Euictam à Sede Apoſtolica in feudum Ordo accepit.

Nec Epiſcopatus Ordo fundauit.

Primus EPISCOPVS ANSELMVS.

ECcleſiæ Venerabili Varmienſi erectæ, fundatæ, & dotatæ præfectus fuit in primum Epiſcopum Dominus *Anſelmus* qui quamuis latiſsimas pro Eccleſiæ ſuæ dote terras obtineret, erant tamen omnes incultæ & deſertæ, propter bellum longum & *Pruthenorum* interfectionem & expulſionem; ita vt ipſe Dominus *Anſelmus* Epiſcopus Primus, in principio ſuæ prouiſionis, vnam ſolùm Marcam argenti, de quodam Molendino, ſito juxta *Gutſtadt*, (Cruſemole hodie nuncupato) in reditibus feratur habuiſſe. Sed non eſt dubium, quin eiuſdem ſagacitate & diligentiâ, dicti reditus etiam tempore ſuo, aliqualiter aucti fuerint. Ipſe enim primus & prouidus Architectus, diuturnitatis fundamentum in virtute jacens, honeſtis vitam actibus circumuallans, Prudentiam atq; Fortitudinem ante fores collocauit. Iuſtitiam atq; Modeſtiam, in propugnaculis ſtatuens, Humanitatem & Manſuetudinem in muris vndiq; ordinauit. Spem, Fidem & Charitatem, in medio ſtructuræ firmans, bonam famam, Dei hominumq; Amorem, in circuitu ſtabiliuit. Sicque malos & incredulos in ſtuporem, bonos verò incitabat in Amorem, vitamq; poſt laudabilem migrauit ad Dominum.

Reditus Epiſcopatus vnius Marcæ.

Tempore ipſius Domini *Anſelmi* Anno Domini M. CC. LX. fuit magna & tetra Apoſtaſis *Pruthenorum*. Ipſe Dominus *Anſelmus* Anno Chriſti M. CC. LXI. in Ciuitate *Braunsberg* in honorem Sancti *Andreæ* Apoſtoli, Eccleſiam Cathedralem erexit, Prælatos & Canonicos in eadem inſtituit & ordinauit, prout

Apoſtaſis Pruthenorum.

Cathedralis Ecclesia fundatur.

prout hæc in literis per eundem desuper confectis pleniùs continentur. Ipsius obitûs tempus ignoratur, vixit tamen Anno Domini M. CC. LXI. XIII. Calend. Iunij prout in Regestris antiquis reperitur. Sepultus est *Elbingæ*.

Secundus EPISCOPVS HENRICVS.

Teutonici ad terram vocantur.

Ecclesiæ Parochiales eriguntur.

Cathedra Frauenburgum transfertur.

POst prædecessoris sui obitum, Ecclesiæ Varmiensi fuit prouisus Dominus *Henricus*. Cuius & Successorum suorum solicitudine diligenti, agri Ecclesiæ succesiuè, cum hominibus Teutonicis ad terram vocatis, pro majori parte, & *Pruthenis* expulsis, redeuntibus, locati sunt. Ecclesiæ Parochiales erectæ & dotatæ, in Diuini cultus augmentum. Ita vt Domino auxiliante, Ecclesia *Varmiensis*, quæ in principio inter alias pauperior extitit, in Diuini cultus augmento, ac temporalibus facultatibus, felicia recipiens incrementa, temporis successu, ditior alijs effecta sit. Ipse Dominus *Henricus* Ciuitati *Braunsberg*, per Reuerendum Patrem Dominum *Brunonem* Episcopum *Olomucensem*, qui cum Rege *Bohemiæ* contra *Pruthenos* venerat, fundatæ, Priuilegium concesit. Ipse etiam Ciuitatem *Frauenburg* primò exposuit. Erat tunc Ecclesia Cathedralis in *Braunsberg*, in Capella Castri, in honorem Sancti *Andreæ* Apostoli consecrata. Fuitque Castrum *Frauenburg* cuiusdam honestæ Viduæ, quæ mota pietatis affectu, Castrum ipsum, pro Ecclesia Cathedrali ibidem construenda, donauit. Et tunc Ecclesia Cathedralis, tempore ipsius Domini *Henrici*, illuc translata est.

Hic Dominus vitæ integritate, operumque stabilitus claritate, virtute fulgens, quæ sola Fortunæ legibus est soluta, post labores fructuosos, Spiritum Deo reddidit Anno Domini M: CCC. idibus Iulij. Sepultus in Ecclesia *Varmiensi* sub lapide ante Altare.

Tertius EPISCOPVS EBERCHARDVS.

MOrtuo *Henrico*, substituitur Ecclesiæ *Varmiensi* Dominus *Eberchardus*, virtute præditus, in spiritualibus & temporalibus, prouidus & circumspectus. Qui ad Ecclesi-

am

am promotus, præfatæ Eccleſiæ profuit. Ipſe expoſuit & fundauit Oppida *Wormditt Heilsberg* & *Gutſtadt*, Ipſius etiam tempore *Melſack* oppidum per Capitulum expoſitum & locatum eſt. Hic quantâ ſolicitudine Eccleſiæ ſuæ commodis intentus fuerit, in agris locandis, oppidis & villis exponendis & fundandis, Priuilegia Oppidorum Villarumque reuoluens, liquidè deprehendet. In commiſſo ſibi officio diligentiſsimè laborauit, multa bona faciendo, diuturnitatis ſibi nomen virtute & ſolicitudine comparauit, conſultè ponderans quòd nihil ſine labore laudabile, nil excelſum; Cùm ſit labor virtutum area & laudis fundamentum. Tempore ipſius, Fratrum Ordinis Magiſter Generalis *Sifridus* de *Fuchtewangen*, reſidentiæ ſuæ ſedem primò poſuit in *Pruſſia*, in non magnam Eccleſiarum conſolationem. Ipſe quoq; Dominus *Eberchardus* vitâ functus eſt Anno Domini, M. CCC. XX. VI. VIII. Calend: Iunij. Sepultus in Eccleſia *Varmienſi*.

Fundantur Ciuitates.

Magiſter Ordinis ſedem locat in Pruſſia.

Quartus EPISCOPVS IORDANVS.

DOminus *Iordanus*, qui Prædeceſſorum ſuorum veſtigijs inhærendo, laudabiliter Eccleſiæ *Varmienſi* præfuit, ejuſdem profectibus diligenter inuigilando. Virtutis in Veſtigia pedem figens, nec declinans aliò nec ſubſiſtens alibi, felicitatis & gloriæ meruit brauium adipiſci, curſum vitæ finiens Anno Domini M. CCC. XXVIII. VI. Calen: Decembris. Sepultus eſt in Eccleſia *Varmienſi*.

Quintus EPISCOPVS HENRICVS WAGENAX.

VItâ functo *Iordano* datur Eccleſiæ *Varmienſi* in Epiſcopum Dominus *Henricus Wagenax*. Qui Prædeceſſores ſuos ſagaciter imitando, Eccleſiæ ſuæ commodis fideliter inſudauit, in Spiritualibus ſolicitus, in temporalibus prouidus, virtute animum imbuit, illam ſciens vnicam fore, quâ quis contra omnem fortunæ impetum, tutiſsimè ſe tuetur: Nam nullius rei eget, qui virtutum diues eſt. Hic poſt laudabilem conuerſationem, & labores fructuoſos, diem ſuam clauſit ex-

tremam Anno Dñi M. CCC. XXX. IV. V. Idus Aprilis, sepultusque est in Ecclesia Varmiensi.

Et hîc notandum quòd præmissorum Venerabilium Patrum Dominorum Episcoporum, prouidâ diligentiâ & vigili curâ, auctæ fuerunt competenter Ecclesiæ facultates. Cæperunt igitur duo, in discordiâ electi, contra iustitiæ præceptum, præesse quærentes, non prodesse; plus de reditibus accipiendis, quàm de Quibus conseruandis soliciti, super Ecclesiæ titulo, in Curia Papæ, quæ tunc erat *Auenione*, litigare; quæ lis durauit annis quatuor, quibus Ecclesia Pastore caruit. Tandem vnius decessu, & alteri silentio imposito, causa finem sortita est, & vtrique ambitionis via præclusa; Quâ vacatione durante Anno Domini M. CCC. XXX. IV. Capitulum exposuit & locauit oppidum *Ressel*, eidem Priuilegium concedendo. Nondum enim erant Ecclesiæ Bona diuisa.

Ob Schisma litigiosum vacat Ecclesia annis quatuor.

Ressel fundatur.

Sextus EPISCOPVS HERMANNVS de PRAGA,

Ecclesiæ Varmieñ, fuit Dominus *Hermannus* de *Praga* Decretorum Doctor eximius, in *Curia Papæ* Auditor *Rotæ*, ætate senex, moribus venerabilis. Cui Dominus Papa *Benedictus XII. Auenione* de Ecclesia, vt præfertur, vacante prouidet, ipsumq; in octaua Paschæ quæ fuit dies xix Aprilis solenniter consecrauit, Anno Domini M. CCC. XXX. VIII.

Papa Confert Episcopatum Hermanno.

Eumque ipse consecrat.

Hic adeptus Ecclesiæ prouisionem, prouidi & soliciti Pastoris more, multa bona in Ecclesia sua faciebat, cumq; boni senis veneranda canities experientiæ plena, laboris solicitudinem, corporisq; valetudinem, eidem abstulisset, scripturarum ac virtutum studio plus incumbens, ad animi exercitium feruentius se transtulit, ac in ædificationem fidei libros edidit, omnique conatu, in sibi commisso officio vigilabat. Ipse nouum Oppidum *Braunsberg* exposuit & locauit, & similiter oppidum *Scheburg*.

Libros conscribit.

In fine tandem vitæ, exhaustus studio & labore, ad infantiæ mores redactus est, obdormiuitq; in Domino Vir venerabilis Anno Domini M. CCC. L. Instante tunc Iubileo, in nocte Circumcisionis Domini. Sepultus est in Ecclesia Varmiensi.

Ad infantiæ mores redactus Moritur.

Hîc notandum est quòd à Principio Erectionis & fundationis Ecclesiæ, fuerint Bona Episcopi & Capituli indiuisa, reditibusq; communiter collectis, Episcopus partibus duabus sibi

Bona Episcopi Capituli erant Communia.

retentis, tertiam Capitulo erogabat: communiterq; operantes & ſibi mutuò conſulentes, Eccleſiæ profectibus intendebant. Sed annis aliquibus, paucis quidem, ante eiuſdem Domini Epiſcopi *Hermanni* obitum, vt ex Regeſtris colligere potui Anno Domini M. CCC. XL. VIII. intrante, fuit Dominium Eccleſiæ diuiſum, inter Epiſcopum & Capitulum in partes tres, miſſaq; ſors, & quod cuilibet ſors tribuit, illo pro commodo ſuo quiuis vſus eſt, vſq; in tempus hodiernum. Cætera Eccleſiæ ab Ordine Teutonicorum abſtracta, prout in proceſſu infra patebit.

Diuiduntur in tres partes, duæ cedunt Epiſcopo, tertia Capitulo.

Septimus EPISCOPVS IOANNES de MISNA.

IOannes de *Miſna*, qui cùm eſſet ipſius Eccleſiæ Varmienſis Decanus, à Capitulo concorditer in Epiſcopum electus, à Domino Papa *Clemente VI.* confirmatus eſt, ad Eccleſiamq; ſuam de Curia Papæ, in die Sanctæ Cæciliæ Virginis reuerſus, fideli ſolicitudine, Prædeceſſorum ſuorum veſtigijs inhærendo, bonum & commodum Eccleſiæ totis viribus procurauit. Hic diligentiâ ſagax, labore proficuus, ſolicitudine impiger, virtute ſpectabilis, inter Prædeceſſores ſuos non infimus reputatione, cuncta benè & decenter adminiſtrauit. Ipſe primò Caſtri principalis *Heilsberg* muri fundamenta poſuit, & ſuper terram produxit. Et ſimiliter in Caſtro *Reſſel* & *Scheburg* fundamenta poſuit; Erant enim antea in locis ſupradictis fortalitia lignea argilla circumducta. Ipſe Dominus Ioannes, notabilem fecit laborem, paruo illo tempore, quo ipſi Eccleſiæ præfuit. Ipſius etiam tempore, Eccleſiæ Varmienſis fundamenta locata ſunt. Erat enim antea Eccleſia lignea & parua. Tempore quo idem Dominus Ioannes Eccleſiæ præfuit, Anno Dñi M. CCC. L. III. Capitulum expoſuit & locauit Oppidum *Allenſtein*. Obijt idem Dominus Ioannes Anno Domini, M. CCC. L. V. die penultimâ menſis Iulij, ac ſepultus eſt in Eccleſia Varmienſi.

A Capitulo cõcordibus votis eligitur Ioannes de Miſna.

Caſtrum Heilsberg fũdatur.

Similiter Reſſel & Scheburg.

Capitulum Allenſteinum locat.

Octauus EPISCOPVS IOANNES STREIFFROCK.

COncordibus votis in Epiſcopum eligitur à Capitulo *Ioannes Streiffrock* Cuſtos eiuſdem Eccleſiæ, Anno eodem M. CCC. L. V. die ſecundâ Menſis Auguſti, qui à Domino

Eligitur à Capitulo Ioannes Streiffrock.

mino Papa *Innocentio VI. Auenione* confirmatus est, ibidemque consecratus, ad Ecclesiam suam Sabbatho ante Dominicam Lætare, Anni insequentis reuersus est, Ipse oppidum *Vartemberg* fundauit & locauit, Anno Domini M. CCC. LX. I. Postquam tempore aliquanto pacificè in Ecclesiæ suæ Dominio resedisset, prouidâq; sui ac Prædecessorum suorum solicitudine, agri Ecclesiæ in magna parte locati fuissent, ac oppidis villisque iam fundatis, reditus augeri cæpissent, Ipse Dominus Ioannes Episcopus cum Ecclesia sua, inuidiâ non caruit, acciditque quod dici consueuit; *Inuidet opibus vicinia, pauperiem miseratur, illas cupit ac vituperat, hanc horret & laudat.* Cernentes namque Magister & Ordinis sui fratres, Ecclesijs vicini grauissimi, & vt plurimùm malè fauentes, homines communiter malle sub Ecclesia, quàm ipsis Fratribus residere; Inuidiæ flammâ succensi, auaritiâ fomentum ministrante, finibus suis non contenti, Ecclesiæ Dominium inuadere, & contra eandem tyrannicè seuire cæperunt, eiusdem prosperitate, infortunium suum suspicantes; multasq; villas, Nemora & Lacus successiuè Ecclesiæ abstulerunt. Vnde Dominus *Ioannes* Episcopus prænominatus, prouidi & fidelis Pastoris more, iniuncto sibi Officio fungens, tyrannidi præfatæ viriliter se opponens, Ecclesiæ suæ Iura defendendo, ablata repetere, & vt æqua fieret Diœcesis diuisio, cum limitum distinctione, feruenter cœpit instare, eâq; propter diuersas cum Magistro successiuè tenuit conuentiones; Quarum nouissima fuit Anno M. CCC. LX. IX. in festo sancti *Ioannis Baptistæ* in Villa *Neükerche*, ad vnum milliare ab Ecclesia Varmiensi, in via quâ itur in *Elbing*, quam tunc cum Villis & terris adjacentibus adhuc Ecclesia possidebat; quibus statim prædicta Ecclesia fuit ab Ordine spoliata. Et dum idem *Ioannes* Episcopus in dicta Conuentione, Ecclesiæ suæ ablata repeteret, pro Ecclesiæ suæ Iuribus viriliter decertando, inter verba incidentia, *Magister Winricus Kniprode*, spiritu se nequam Instigante, extracto seu euaginato cultello quo præcinctus erat, Dominum *Ioannem* Episcopum interficere conabatur; quod cùm per circumstantes, Domino DEO volente fuisset impeditum, Magister præsumens eundem Dominum Episcopum Patriâ egressurum, illi in omnibus vijs & passibus prætendi ordinauit. Sed tamen Domino Deo gressus suos misericorditer dirigente, euasit, & saluus Ciuitatem *Auenionem* intrauit, vbi tunc Papa cum sua curia residebat; sicque hunc suum hostem quem pugnando pati nequibat, vicit fugiendo, & contra arma tyrannica, Iustitiæ Cly-

Fundatio Wartembergi.

Fratres Teutonici Bona Ecclesiæ inuadũt.

Colloquiũ Episcopi cum Magistro institutum.

Magister Episcopum interficere conatur.

Insidias illi struit.

Quas euasit & Auenionem peruenit.

peo triumphauit. Poſt ipſius receſſum, ſequutus eſt eum Dominus *Ioannes* de *Eſſen Cantor* & Canonicus Eccleſiæ memoratæ, & cum Priuilegijs & Iuribus huius Eccleſiæ, inſutus ſacco humili, in naui clam adductus eſt. Poſtquam Cauſa contra Magiſtrum & Ordinis Fratres, in Curia Papæ introducta fuit, illi furijs accenſi, plus ſolitò in Eccleſiam tyrannicè ſæuire cæperunt: nam tunc erant potentiſsimi: prodijtq; ex abundantia, ſuperbia, conditionis obliuio, tumorq; animi letifer, quò nil peius in vita reperitur. Nec ipſorum abundantia eſt ſaciata auaritiâ, ſed accenſa. Spoliarunt itaq; Eccleſiam multis terris, Dominijs, & Poſſeſsionibus, & ſignanter infraſcriptis, quæ Eccleſia Varmienſis ab initio in pacifica ſemper habuit poſſeſsione, Videlicet terram *Seyſten* ab illa parte *Reſſel*, cum omnibus terris & Lacubus verſus Meridiem. Item à *Seyſtern* vſq; ad Lacum *Kerweycken* & flumen quod exit de eodem Lacu, vbi Eccleſia ſuos multis annis tenuit Cuſtodes. Item Lacubus *Weyſſen* & *Segeſtrien*, alijſq; lacubus & terris propè iacentibus. Item Lacu *Bawant* & Lacu qui vocatur *Stromigk* & Lacubus cum terris propè iacentibus. Item poſtq; caſtra *Hanesberg Raſtenburg* ædificata fuerunt & conuentus locatus in *Lunenburg*, his lacubus & terris circum jacentibus, ſucceſsiuè de Anno in Annum ſpoliata fuit Eccleſia ſupradicta, à principio ſuæ fundationis pacificè poſſeſsis; Quorum lacuum nomina ſunt hæc.

Eum Cantor cum Priuilegijs ſequitur.

Cauſa agitatur coram Papa.

Ea res Magiſtrum offendit.

Spoliat Eccleſiam bonis.

Et Lacubus plurimis.

Gymen,	*Dampkt,*	*Nerdingi,*	*Aſore,*
Talbe,	*Wangon,*	*Garxede,*	*Galmtcze,*
Layſſon,	*Kauſis,*	*Markſedt,*	*Schobe.*
Coyſnik,	*Indiſſee,*	*Sawant,*	*Skiten maior,*
Purde,	*Dambir,*	*Perſuppe,*	*Skiten minor,*
Ariugune,	*Kanſinge,*	*Ylgone,*	*Salgewum,*
Narayte,	*Sampolt,*	*Lacus iv. qui dicũtur*	*Alpus,*
Malſobe,	*Womenin,*	*Cromone,*	*Keytante,*
Burgelin,	*Gramme,*	*Gemente,*	*Lanxobe,*
Swerlbinke,	*Kimpone,*	*Calmoy,*	*Yellow,*
Paſſerwinte,	*Loyliſke,*	*Strene,*	*Aucte.*
		Dalutge,	

Item Commendator *Balgenſis*, per menſurationem vnius milliaris à *Reſſel* verſus Poloniam, abſtraxit Eccleſiæ ſpatium quatuor Manſorum, in quo ſpatio continetur villa *Weder* & nemus *Weder*, cum nemoribus adjacentibus, & Lacus *Willike* cum pratis eidem adjacentibus, & lacus *Summir*; quæ omnia *Commendator* præfatus, Anno eodem quo Dominus *Cantor* receſsit, ſtatim tenerè inuaſit, & tyrannicè occupauit.

Villa Weder & Nemus, Lacus Willke & Summir.

Item Ecclesia *Varmiensis*, vt præmissum est, totius Diœcesis suæ partem tertiam, debet integrè possidere, cuius tamen tertiæ, vix medietatem dignoscitur habere, prout ex infrascriptis luce clarius poterit deprehendi. Est enim latitudo totius Diœcesis *Varmiensis* propè mare recens, à loco vbi *Pregera* influit idem mare recens, vsq; in *Elbing* XIII. Milliarium, de qua latitudine Ecclesia habet duo milliaria aut minus. Et ascendendo de *Elbing* vsq; ad *Hollandt*, & ab alia parte juxta *Pregeram* vsque in *Koenigsbergk*, latitudo Diœcesis transeundo prope Villam *Plastwigk*, est XIII. Milliarium de quibus Ecclesia habet vnũ milliare, & quartale milliaris. Item ascendendo à *Hollandt* vsq; ad stagnum dictum *Weysike* propè Villam *Buchewaldt*, & ex parte opposita à *Koeningsberk* juxta *Pregoram* vsq; ad Castrum *Topia*, latitudo Diœcesis, transeundo juxta *Wormditt* est XIV. Milliarium, de quibus Ecclesia habet tria milliaria. Item ascendendo à Stagno *Weysike* vsque ad stagnum dictum *Marung*, & ab alia parte ascendendo à Castro *Topia*, juxta *Pregoram* vsq; ad oppidum *Wolaw*, sumendo latitudinem Diœcesis, transeundo juxta *Heilsberg*, sunt XVI. Milliaria, de quibus Ecclesia habet VI. milliaria. Item ascendendo à Stagno *Marung* vsq; ad *Kurczkisadel*; & ab alia parte, à *Welaw* vsque in *Susterberg*, vbi est finis *Pregoræ*, sumendo latitudinem, sunt XXV. Milliaria, videlicet X. milliarium à *Kurczkisadel*, & graniciem positam retrò *Ressel* juxta Castrum *Pilter*, & xv. milliaria vsque in *Iusterburg* de qua latitudine habet Ecclesia X. Milliaria. Et ista pars Diœcesis est diuisa inter Ecclesiam & Ordinem. Quæ pars in longitudine ab *Elbing* vsq; ad *Hollandt* habet milliaria tria, de *Hollandt* ad Stagnum *Weysike* milliaria tria, de Stagno *Weysike* ad Stagnum *Marung* milliaria tria, à Stagno *Marung* vsq; ad *Kurczkisadel* milliaria sex; Et sic ab *Elbing* vsq; ad *Kurczkisadel* sunt milliaria xiiij. cum dimidio. Item ab alia parte à mari recenti vsque in *Koningsbergk* milliare vnum, & à *Koningsbergk* vsq; ad *Topio* milliaria quatuor, à *Topio* vsque ad *Welaw* milliaria duo, à *Welaw* vsq; ad *Insterburg* milliaria V. & vltra vsq; ad Castrum *Tamnaw* milliaria duo, Et sic à mari recenti vsq; ad *Tamnaw* longitudo est xiiij. milliarium. Coniungendo & computando partes quas habet Ordo, tunc habet ab vtraq; parte xiij. milliaria in latitudine, sed Ecclesia non habet vltra quinq; in latitudine, & cum hoc inferius, vbi sunt agri boni vsq; ad *Wormditt* modicum habet Ecclesia. Sed vltra vbi pars Ecclesiæ dilatatur, sunt ericæ multæ, & loca parùm vtilia.

Limites Diœcesis Varmiensis,

X. Milliaria à Kurczkisadel vsq; ad lapidē finium intra Ressel.

Item pars Diœcesis adhuc diuidenda est fortè in duplo major,

jor, quàm diuiſa, quia habet in latitudine xxv. milliaria, & in longitudine vſque ad flumen *Memelo* eundo verſus Orientem, computantur de *Iſterburg* ad Nemus *Kirtamedie* Milliaria viij. Deinde ad flumen *Metem* milliaria viij. & vltra ad *Memelam* Milliaria jx. Et ſic longitudo eſt milliarium XL. VIII. Sed notandum eſt, quòd tota hæc computatio, eſt facta ſecundùm vias vſitatas, fortè ſi menſurando iretur directè, minus inueniretur. Et nota quòd de iſta parte indiuiſa, Eccleſia habuit in pacifica poſſeſsione, illam partem quæ eſt *Kurczkiſſadel* vſq; ad *Maſanam*, eundo videlicet de *Kurczkiſſadel* ad ſtagnum *Malsicko*, de quo ſtagno effluit fluuius qui dicitur *Malce*, juxta quem fluuium proceditur vſq; ad *Maſouiam*, & habet in longitudine milliaria vij. Item ab alia parte, retrò *Reſſel* à granicie poſita, juxta *Piltz* per *Scyſten*, ad lacum *Kerwoyke*, & fluuium qui ab eodem fluit; Et habet in longitudine milliaria viij. Latitudo verò dictæ partis, ſcilicet à *Kurczkiſſadel* vſq; ad *Piltz*, eſt milliarium X. & hanc partem totam habuit ab antiquo Eccleſia in pacifica poſſeſsione; ſed poſtea ſucceſsiuè ab Ordine ſpoliata eſt. Et hæc eſt terra ſita in terra *Galindiæ*. Et eſt notandum, quòd terra *Galindiæ* fuit, à *Bertingen* vſq; in *Poloniam* à *Gunlauken* vſq; ad *Poloniam*, & à *Bertingen* vſq; ad fluuium *Nate* & vſque ad *Sudoman*, ita vt tota terra *Nadroma* & *Sumoda* & *Polonia*, vſq; ad *Bartingen*, *Gunlauken* & *Barthen*, eſſet terra *Galindiæ*. Ita dixerunt Domini *Merune Miles*, *Wilkune* Camerarius in *Gutſtadt*, *Nadop* de *Aldekirchen*, *Namet* & *Sude* & *Auleps Mayne*, *Tubnaken Mayne*; Et iſti dixerunt ſe audiuiſſe à progenitoribus ſuis, & etiam ab illis quorum Progenitores habitauerunt in terra *Galindiæ*. Quòd major Rex *Galindiæ*, habitauerit circa lacum nomine *Nabentine*, qui eſt ad medium milliare, ab illa parte *Lutczen* verſus *Liuonias*, & vocabatur Rex ille *Tirsgulp*. Item idem *Nadob* de *Aldekirchen* dixit, quòd *Magiſter Theodoricus* de *Aldenburg* qui fuit electus Anno M. CCC. XXX. V. & præfuit Officio Annis VI. Vocauit ad ſe ad Caſtrum *Strosberg* quatuor *Pruthenos*, de territorio *Galgenſi*, ſcilicet *Iomiſche*, *Zobin*, *Preymoth* & *Neyben*, & Tres Dominij Eccleſiæ *Varmienſis*, ſcilicet ipſum *Nadop*, *Fuledraue* & *Preydrus*, & cum illis conferebat de Granicijs, inter Regem Cracouiæ & Terrarum Pruſsiæ. Tunc præfati quatuor, de territorio *Galgenſi*, deſignarunt Magiſtro Granicies antiquas, retrò diſtrictum *Galgenſem* verſus *Weiſen*. Et cum idem Magiſter ipſos interrogaret, de Graniciebus verſus *Maſouiam*, reſponderunt nos, neſcimus illas; ſed de his, illos

A Kurczkiſſadel ad Piltz X. milliariæ.

Situs Galindiæ.

Rex Galindiæ.

Magiſter Ordinis inquirit fines Pruſſiæ.

Similiter Maſouiæ.

tres

tres de Dominio Ecclesiæ interrogetis, quia illa solitudo seu Desertum est Ecclesiæ, & tunc illi tres de hoc interrogati, granicies ipsas, inter Episcopatum seu Ecclesiam & *Masouiam* designarunt, & placuit Magistro, nec aliquid contradixit.

Castrum Heilsberg perfecit.

Et est sciendum, quòd præfatus Dominus *Ioannes* Episcopus, Castrum principale *Heilsberg*, per Prædecessorem suum inchoatum, feliciter compleuit, testudines omnes sub terra, & supra terrā etiam pro majori parte faciendo. Inchoata etiam Castra, *Ressel* & *Scheburg*, similiter pro majori parte compleuit, antequam tyrannicâ rabie sæuiente, exulare cogeretur, ineuitabili Ecclesiæ suæ necessitate deuictus.

Rossel & Scheburg similiter.

Vitæ quoq; suæ terminum finiens idem Pater venerandus, in Ciuitate Auenienſi, vbi tunc Papa cum Curiâ suâ residebat, Postquā pro Iuribus Ecclesiæ suæ, & terris, quibus fuerat à Fratribus Ordinis spoliata, triennio litigasset, & super ablatorum restitutione, verâq; & æquâ Diœcesis diuisione, ac limitum distinctione, tres sententias definitiuas conformes, vnâ cum literis exequutorialibus reportasset. Migrauit ad Deum Vir venerabilis, memoriâ dignum pro Ecclesia sua zelum gerens Anno Domini M. CCC. LXX. III. in die sancti Ægidij. Sepultus apud Fratres Prædicatores ibidem cuius, anima gaudeat consortio Beatorum Ciuium supernorum.

Ioannes Episcopus moritur Auenione.

Nonus EPISCOPVS HENRICVS SORENBAVM.

Henricus à Gregorio XI. prouisus.

HEnricus Sorenbaum oriundus de *Elbingo*, Notarius Domini Caroli tunc Romanorum Imperatoris: qui cum esset *Auenione* tempore obitus Prædecessoris sui, eidem per Dominum Papam *Gregorium XI.* prouisum extitit de Ecclesia Varmiensi, Anno eodem M. CCC LXX. III. Quintò die Mensis Septembris. Hic nimis anhelans ad Ecclesiæ possessionem, Prædecessoris sui memoriæ venerandæ, qui pro Ecclesiæ suæ Iuribus & libertate, mortis pericula parui pendit, minimè inhærendo vestigijs, consensit in nouam Diœcesis diuisionem limitumq; distinctionem, amicabili medio terminandas, Arbitrisq; ad diuidendum ac dislimitandum electis, facta fuit diuisio, limitumq; distinctio, in maximam Ecclesiæ læsionem. Perdidit namque per eam Ecclesia memorata, de per ipsam antea pacificè possessis, vltra sex millia mansorum, cum lacubus & terris supra specificatis.

Postpositis tribus conformibus consensit in dislimitationem nouam.

Cum diminutione sex millium Mansorū.

Et hoc

Et hoc etiam confeſſus fuit in extremis ſe procuraſſe pœnitentiâ tardâ *Ioannes* de *Puſilia* Parochus in *Slaw*, vnus de arbitris, ad diuidendum & dislimitandum electus, & muneribus corruptus, Eccleſiæ fines perfectiſsimè ſciens, ex propoſito, ſcienter & doloſè hoc malum faciens, alijſque minùs inſtructis idem perſuadendo.

Perfidiâ Ioannis de Puſilia Plebani in Slaw.

Et hanc iniquiſsimam Diuiſionem, cum limitum diſtinctione, præfatus Dominus *Henricus* Epiſcopus inconſultè nimis approbauit, rei judicatæ trium ſententiarum definitiuarum, literiſque Exequutorialibus per prædeceſſorem ſuum venerandum, magnis laboribus, periculis corporis, grauibuſque expenſis de ſuper obtentis, turpiter renuntiando, ſuam quietem quærens, cum enormiſsima læſione; ô vtinam Prædeceſſoris ſui, laudabilem & intrepidum animum habuiſſet! Magiſter & Ordo tunc erant potentiſsimi, & *Pruſſia* in majori quàm vnquam fuit flore & diuitijs, & Arbitri ad diuidendum ac limitandum electi, omnes per Magiſtrum aut corrupti, aut nimis in inquiſitione veritatis negligentes. Quoniam vt ajunt ſapientes, ***Pauci ſunt, qui ad rectum virtutis iter, niſi per deuia multa, ceſpitando perueniunt***, multoſq; ideò voluptatis ſeruos, in juuentute ſuâ viſos, qui virtute in ſenio claruerunt. Ipſe enim Dominus *Henricus* Epiſcopus, in primo ad Dominium Eccleſiæ ingreſſu, multos ſecum *Bohemos* nobiles, de Domini Imperatoris Curiâ adduxit, qui cùm eſſent diſſoluti, ipſe quoque ipſorum moribus aliquantulum refectus eſt, cæpitque prodigalitatis vitio, Eccleſiæ ſuæ facultates diſsipare, ipſamq; expenſis inutilibus nimis prægrauare. Quapropter fuit per Capitulum ſuum, Capitulariter ſuper ſui emendatione requiſitus. Quam quidem requiſitionem ipſe Dominus *Henricus* gratè & benignè recepit, emendationemq; facere promiſit, quam & fecit; dictos *Bohemos* honeſtè ſucceſſiuè ad partes ſuas remittendo, quibus ſic dimiſsis, non fuit vlterius Eccleſiæ ſuæ oneri.

Arbitri corrupti & negligentes.

Epiſcopus Bohemorum fautor.

Bona Eccleſiæ diſſipat.

Monitus à Capitulo reſipuit.

Ipſe Dominus *Henricus* vnâ cum Capitulo ſuo, oppidum nouum *Braunsberg*, antiquo oppido vniuit, Anno Domini M. CCC. VC. VIII. Quæ vnio cùm propter graues diſſenſiones ſubſiſtere non poſſet, idem Dominus *Henricus*, vnâ cum Capitulo ſuo eam caſſauit, priuilegia noua concedendo Anno Domini M. CCC. XC. VIII. primâ die Septembr. Et in dicto nouo oppido *Braunsberg*, Capitulum habet & habere debet, vnam curiam integram, omninò liberam, vt in Priuilegio continetur. Ipſe etiam Dominus *Henricus*, oppida *Biſchoffſtein* & *Biſchoffsburg* expoſuit atq; locauit.

Oppidum nouum Braunsberg cum veteri fruſtra vnire tentat.

Duo Oppida fundat.

Et eſt

Braunsbergenses, contra Episcopum seditionem excitant.

Et est sciendum, quòd cùm ipse Dominus *Henricus* Consulatum & Ciues Oppidi *Braunsberg*, propter certum excessum notabilem punire decreuisset, & ipsi vocati in Castrum Episcopale, in præsentia eiusdem, super responsione dandâ, inducias postulatas recepissent; Consulatus Communitate totâ ad Prætorium conuocatâ, ad sonum Campanæ Consularis, nequam se Spiritu instigante, impetuosè furiâ pleni, in Castrum Episcopale irruentes, eundem Dominum Episcopum suum interficere conabantur. Sed Domino misericorditer ipsum protegente, retrò per muros Castri dimissus, vix euasit. Post breue temporis interuallum, Oppidum ipsum fautorum succursu, cum residuis Ecclesiæ suæ subditis, potenter obsedit, compellens eosdem, vt discalceati, discoopertisque capitibus, ac cingulos suos in collis deferentes, omnes Oppido exeuntes, humiliter veniam postularent: quam obtentam, murum altum Castri cum turribus suis, versùs Oppidum construxerunt in emendam, Marcas etiam mille, quæ tunc duo millia florenorum Vngaricalium valebant, pro expensis factis, eidem Domino suo tradiderunt.

Ipse elapsus Braunsbergũ obsidet.

Ciues veniam petunt, sumptus belli refũdunt.

Tempore ipsius Domini *Henrici* Episcopi, Anno videlicet Domini M. CCC. XC. I. electus fuit in *Magistrum Conradus Valrader*, qui fuit Tyrannus Maximus, & durissimus Ecclesiæ persecutor, omnis virtutis hostis sceleratus. Hic fecit in Dominio Ecclesiæ *Varmiensis*, rusticis ne agros colerent, sub pœna amputationis manuum, & pedum inhiberi; crudelitates multas Ecclesiæ subditis inferendo, pro eo, quòd Dominus *Henricus* Episcopus Capitulumq; suum, eosdem juxta Priuilegium Ecclesiæ suæ, in libertate solita defendere conabantur. Coëgit demum idem Magister, Episcopum & Capitulum, tyrannicis ac inhumanis subditorum suorum oppressionibus, vt contra sua Priuilegia, Consuetudinem, ac omnem honestatem, rusticos suos mitterent ad laborandum in *Memelam* & *Ragnetem*, ad munitiones ibidem faciendas: Et in *Memela*, per *Samogitas* & per *Lithuanos*, vnâ vice de Ecclesiæ subditis vltrà trecenti interfecti fuerunt; Mira quidem res est, *Ordinis Fratres*, vt Ecclesias, Clerum, ac totum Ecclesiasticum statum defendant, professionem emittere; ab Ecclesia etiam Romanâ, huius defensionis prætextu, Dominia temporalia, & omnia Priuilegia obtinêre, qui tamen prout decet, non verentur, Ecclesias & Clerum opprimunt, statumq; Ecclesiasticum execrantur, Episcopos nil omninò ab ipsis Fratribus temporalitatis obtentos, tyrannicè persequuntur, periculosam formidandamque ruinam statui suo,

Conradus Valrader Magister tyrannus.

Cogit rusticos Ecclesiæ ne laborent Dño,

Sed sibi, consentiente Episcopo inuito.

Contra Vota sua faciunt.

ex hoc prouenientem non pensantes, à quo etiam Gentium tyrannos, timore Diuinæ vindictæ, legimus abstinuisse. Rarò enimuerò Ecclesias, Episcopos, siue Clerum læsos, siue affectos injuriâ reperimus, vbi non sit vindictæ Dei manus subsequuta; Et vtinam in Auctores, & non in subditos pœna redundaret, sed sæpissimè Iustus pro Impio flagellatur. Ecclesia & Clerus rarò opprimitur sine vindictâ Dei.

Obijt præfatus Dominus *Henricus* Episcopus, in Castro *Heilsberg* Anno Domini M. CD. I. Secundo Idus Ianuarij. Sepultus in Ecclesia *Varmiensi*. Ipse Dominus *Henricus*, ambitum in Castro *Heilsberg* fieri fecit & compleuit. Suburbium etiam eiusdem Castri, Muris ac fossis circumduxit. Multas etiam Ecclesias Parochiales, intra Diœcesim exstruxit. Moritur Henricus III.

Decimus EPISCOPVS HENRICVS HEILSBERG de VOGELSANG.

HIc cùm esset ipsius Ecclesiæ Canonicus, à Capitulo concorditer electus, & à Papa Domino *Bonifacio IX.* Romæ confirmatus est, Anno eodem M. CD. I. Quarto Calen: Aprilis, ac in Ecclesia Parochiali *Heilsberg*, jx. Calen: Augusti Anno eodem solenniter est consecratus. Vir virtute præditus, Bonorum Ecclesiæ suæ fidelissimus dispensator. Tempore ipsius Anno Domini M. DC. IX. In die Diuisionis Apostolorum, *Magister Prussiæ Vlricus* de *Iungingen*, & Ordinis sui Fratres, per *Regem Poloniæ Vladislaum Iagelonem*, & *Vitoldum* Magnum Ducem *Lithuaniæ*, per se ad bellum prouocatos, deuicti, in bello magno occubuerunt. Et Rex cum Duce præfato, obtinuit quasi omnia, paucis exceptis, Ordinis Castra, Oppida, & Dominia, Magistro & Commendatoribus principalibus, in bello interfectis. Quòd sagaciter mente reuoluens Dominus *Henricus* Episcopus memoratus, cupiens pro Viribus Ecclesiæ suæ consulere, cujus jam pars magna hostiliter extitit deuastata, accessit ad Ducem *Vitoldum*, obtinens ab eodem, quòd per exercitum vlteriùs Dominio parceretur. Rege verò & Duce *Vitoldo*, cum Exercitu de *Prussia* recedentibus, *Magister Henricus* de *Plauen* nouiter electus, omnia Castra, Oppida Ordinis & Dominia, infra tempus paruum recuperando, totum mali belli exitum, retorsit in Ecclesiam Varmiensem, Dominum *Henricum* Episcopum,

Henricus IIII. eligitur.

Victoria Regis Vladislai de Teutonicis in die Diuisionis Apostolorum.

Episcopus à Vitoldo pacé Ecclesiæ obtinet.

Id, Magister inuidet & Episcopum persequitur.

ſcopum, eò quòd partem Dominij Eccleſiæ, illæſam conſeruaſſet, capitaliter perſequendo, qui omnibus ſibi præcluſis vijs, habitu deſsimulato, in naui vix euaſit. Recepitque Magiſter omnium Caſtrorum Oppidorum, & totius Dominij Eccleſiæ Poſſeſsionem. Eccleſiæ ſubditos, ad ſibi præſtandum homagium compellendo, omnia etiam Caſtra & allodia Eccleſiæ ſpoliauit, & Dominum Epiſcopum *Henricum*, in exilio tenuit Annis quaſi quatuor.

Bona Eccleſiæ occupat.

Epiſcopus exulat.

Tandem Dominis, Rege & Duce *Vitoldo*, cum Magiſtro & Ordinis ſui Fratribus, ſuper ipſorum differentijs, in Dominum *Sigiſmundum*, tunc Vngariæ Regem, poſtea verò *Romanorum* Imperatorem, compromiſſum facientibus, Dominus *Sigiſmundus Rex*, Domino *Henrico* Epiſcopo inſtante, inter cætera ordinauit: vt dicto Domino *Henrico* Epiſcopo, ad plenam Dominij Eccleſiæ ſuæ poſſeſsionem reſtituto Magiſter cum Ordine ſuo, eidem pro damnis illatis, & reditibus Eccleſiæ alienatis, viginti quinque millia Marcarum monetæ *Pruthenicalis* ſoluere teneretur, quæ tunc valebant, vltra quinquaginta millia florenorum vngaricalium, ſeu de Camera. Reuerſus fuit Dominus *Henricus* Epiſcopus ad Dominij Eccleſiæ ſuæ poſſeſsionem, poſtquam annis quatuor exulaſſet, & poſtea pauco tempore ſuperuiuens, veneno toxicatus obijt Anno Domini M. CD. XV. in principio Menſis Iunij. Sepultus eſt in Eccleſia Varmienſi.

Fit cõpromiſſum de concordia.

Epiſcopus recuperat Poſſeſſionem Dominij.

Moritur Veneno.

Notandum eſt, quòd tempore exilij Domini *Henrici*, Magiſter *Henricus* prænominatus, præfecit in ipſius Eccleſiæ Aduocatum, Virum iniquiſsimum, tyrannum magnum, & hominem deſperatum, Ordinis ſui Fratrem nomine *Lucam Lichtenſtein*, vt ſi quid fortè mali, *Magiſter* facere erubuiſſet, *Aduocatus* ipſe ſuppleret. Sed Tyrannorum euentus ambigui, & vt plurimùm infelices. Illud quoque ipſis communiter accidit, quod dici conſueuit.

Magiſter Aduocatum iniquum præficit Eccleſiæ.

Ad generum Cereris, ſine cæde & vulnere, pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte Tyranni.

Mens autem inordinata præſidentis, non virtute & iure, ſed voluntate Dominantis, Tyrannum facit Reipub: grauem, Omnipotenti DEO, & hominibus odioſum, qui omnium æquus retributor; Eidem *Magiſtro Henrico*, condignam tyrannidis ſuæ retribuit vltionem, quia peccauit vnctum Domini perſequendo temerè. Commendatores enim contra eundem conſpirantes, ac ab officio ſuo deponentes, ipſum annis ſeptem in duris carceribus tenuerunt.

Vindicta Domini in Magiſtrum.

Et notandum eſt, quòd idem *Magiſter Henricus* de *Plauen*

Anno

Anno Dñi M. CD. XI. & Anno M. CD. XIII. exactionando ſubditos Capituli, habuit ab ipſis Marcarum quatuor millia & centum, bonæ monetæ Pruthenicalis, quæ valebant florenorũ Vngaricaliũ, octo millia ducentorũ; Exactionauit etiam Domini Epiſcopi ſubditos, in magna pecuniæ quantitate, & in dictis pecunijs exactionatis, & in Viginti quinque Millibus marcarum condemnati remanent, Magiſter & Ordo ſuus, Eccleſiæ Varmienſi obligati. Magiſter & Ordo debet Eccleſiæ 25. millia Marcarum.

Vndecimus EPISCOPVS IOANNES ABEZIER.

HIc oriundus *Thorunio*, Eccleſiæ *Varmienſis Præpoſitus* Canonicus, & Decretorum Doctor, ac Auditor Rotæ in Concilio Conſtantienſi, à Capitulo Anno quo ſupra, die octauâ Iunij concorditer electus, & per Archiepiſcopum *Rigenſem* Metropolitanum ſuum, in Concilio prædicto confirmatus eſt & conſecratus; multis pollens virtutibus, omnibus amabilis, nemini odioſus. Ioãnes III. Epiſcopus.

Tempore illo agebatur Cauſa inter Dominos, *Poloniæ* Regem & *Magiſtrum* ac Ordinem ſuum, ſuper terris aliquibus in Concilio prælibato. Ipſe quoq; Dominus *Ioannes* Epiſcopus, quia erat Domino Papæ Martino V. in ipſo Concilio præſenti, & præſidenti ſincerè dilectus, magnam Magiſtro & Ordini aſsiſtentiam faciebat, ſcribendo, aduocando, & ſolicitando, nihil Mercedis, præter Eccleſiæ ſuæ fauorem affectans. In Cõcilio Cõſtantienſi Ordinis Negotia promouet. Quem tamen poſtea in Eccleſiæ ſuæ Dominio reſidentem, malè grati damnis afficiebant; Malè illi gratia refertur. adeò vt pro Iuribus Eccleſiæ ſuæ defendendis, ad Curiam Romanam ire properans, jam *Thorunium* veniſſet; Romam profectus. quòd percipiens *Magiſter*, miſit ad ipſum aliquot Commendatores, qui diuerſis ipſum Sponſionibus, ad Dominium Eccleſiæ reuocabant. Reuocatur à Magiſtro. Hic à Capitulo ſuo ſæpiùs requiſitus, vt à Magiſtro & Ordine peteret Marcas viginti quinque millium, in quibus fuerant Prædeceſſori ſuo condemnati, reſpondit, ſe non poſſe afflictis afflictionem ſuperaddere, quia nondum erat inter Regem *Poloniæ* & Magiſtrum pax firmata. Debitum non recuperat. Obijt Anno Domini M. CD. XXIV. die vndecimâ Febr. in Caſtro *Heilsberg*. Sepultus in Eccleſia Varmienſi. Moritur.

Duodecimus EPISCOPVS FRANCISCVS.

HIc cùm eſſet Præpoſitus Eccleſiæ *Varmienſis*, & Decretorum Doctor, Anno Domini M. CD. XXIV. Die decimâ tertiâ Februarij à Capitulo concorditer electus eſt, & per Dominum Papam *Martinum V.* Anno eodem, die octauâ Menſis Aprilis confirmatus, & in Eccleſia Parochiali *Heilsbergenſi* conſecratus eſt. Ipſe fuit ſubditis ſuis pijſsimus Pater, & ſignanter ruſticis, quibus in neceſsitatibus ſuis, magnum in frumentis & equis ſuccurſum faciebat, omnium ſciens infirmitatibus, ſincerisſimè compati, paternâ pietate.

Ioannes III. eligitur.

Pius in ſubditos.

In principio enim ſuæ Promotionis, tanta fuit per totam terram mortalitas Equorum, & ſignanter in Dominio Eccleſiæ, vt quaſi nulli equi remanerent.

Hic antè ſuam de Eccleſiâ prouiſionem, ac etiam poſtea, magna & diuerſa Magiſtro & Ordini ſeruitia faciebat, in diuerſis per Magiſtrum miſſus Legationibus, ſicut & omnes Canonici ipſius Eccleſiæ *Varmienſis*, in Conſilijs, Legationibus, & quibuſcunq; ipſis poſsibilibus Magiſtro & Ordini ſuo, ſemper erant ſeruire parati. Ipſe quoq; Dominus *Franciſcus Epiſcopus*, Magiſtro & Ordini ſuo, mutauit Marcarũ quatuor Millia monetæ *Pruthenicalis*, in quibus adhuc remanent Eccleſiæ obligati. Quibus omnibus minimè ponderatis *Magiſter Conradus* de *Erlichſuiſen*, Anno Domini M. CD. XL. VIII. collationem duarum Præbendarum majorum, in Eccleſia Varmienſi perpetuis temporibus obtinendam, à Domino *Nicolao Papa V.* narrationibus falſis circumuento, impetrauit. Pro cuius Indulti caſſatione & litigio, expoſuit Eccleſia vltrà mille florenos vngaricales.

Magiſtro & Ordini addictus.

Dat illis mutuo pecuniam.

Ordo impetrat duos Canonicatus à Papa.

Sed indultus caſſatur.

Idem Dominus *Franciſcus* ſuper repetendis Marcis viginti quinque millium, in quibus Magiſter cum Ordine, Eccleſiæ extitit condemnatus, per Capitulum ſuum ſæpiùs requiſitus, hoc facere diſtulit, in Eccleſiæ ſuæ læſionem.

Tempore ipſius Anno videlicet Dñi M. CD. XL. I. Ruſtici & Incolæ omnium Villarum territorij *Melſag*, villis tribus exceptis, ſcilicet *Sonnenwaldt*, *Gabeſyn*, & *Lichtenwaldt*; per *Braunſbergenſes* vt aſſerebant, & aliquos de Conſulatu oppidorum *Thorn Culmen* & *Elbing*, conſulti & inducti, rebellionis & contumaciæ ſpiritum aſſumentes, ſeruitia ſolita facere Capitulo recuſârunt; aſſerentes quòd ſolutâ dimidiâ Marcâ, de Manſo quoli-

Ruſtici Melſaceuſes fiunt Rebelles.

Inſtinctu Ciuitatum.

bet, juxta suarum continentiam literarum, ad vlteriora grauamina seu seruitia minimè tenerentur, Ad tantam insuper insaniam deuenerunt, vt Capitulo vi resistere se velle & posse, præsumerent. Nonnulli de Vasallis Ecclesiæ eisdem secretò adhærebant. Durauit hæc ipsorum Contumacia vltrâ annum: nam Anno Domini M. CD. XL. II. in octaua Sancti *Stephani* Protomartyris, in Castro *Heilsberg* captiuati fuerunt, per Dominum *Franciscum* Episcopũ, ac reliquos de Capitulo. Eorundem Rusticorum Capitanei & Consultores principales quadraginta sex; de quibus Capitanei duodecim, in castrum *Allenstein* in carcerem missi sunt, & duodecim in Castrum *Sehburg*, residui in Castro *Heilsberg* captiui remanserunt. Postea Ciuitatibus introuenientibus, omnes de Carceribus sunt dimissi, pauci relegati, residui in modico sunt mulctati, & ad seruitia solita vniuersi sunt reducti.

Capita rebellionis captiuantur.

Puniuntur.

Et sic rebellio cessat.

Ejusdem Domini *Francisci* temporibus, Anno videlicet Domini M. CD. XL. I. cunctis stupendum prodigium extitit. Circa festum enimuerò Sancti Laurentij tanta fuit pluuia, qualis nunquam visa fuit, cataractis enim cæli, nubibusq; apertis & effusis, diluuium redire videbatur. Cadebant insuper de nubibus aues multæ, aucis similes, sed minores, habentes pennas nigras, hinc inde albis intermixtas, quales quidem aues, nec antea nec postea vnquam, in dicta terra, seu etiam regnis & terris vicinis visæ fuêre. Durauit hæc pluuia uix per dimiduum quartuale horæ, quæ si per horam durasset, terram totam hominesq; & cuncta animalia absorbuisset. Fuerunt hæc vehementer mali ominis auspicia. Tunc quippe in nobilis terræ Prussiæ destructionem, facta fuit colligatio Vasallorũ & Communitatum, Incolarum terræ *Prussiæ*. Cùm enim Pax foret in Patria, subijt Liuor, initiumq; mali Libido blanda hostis, ac pestilens: subijt quoq; Fratrum Ordinis discordia, contemptus & Obedientiæ excusio. Hinc sumptâ occasione, Commendatoribus nonnullis, Ordinisq; Fratribus persuadentibus, animati & inducti Vasalli & Communitates, præmissam Confæderationem iniêrunt, cujus quidem confæderationis Commendatores & Ordinis Fratres, magnâ causâ, & primi Motores erant, vt præfertur: nam & ipsi fuerunt primi, qui dictam Confæderationem struebant.

Prodigiosa pluuia aues pluit.

Fit liga Confæderatorum Prussiæ contra Ordinem.

Auctoribus Cruciferis ipsis.

Aliquantulo postmodùm transacto tempore, *Magister Ludouicus* de *Erlichewisen*, Commendatores & Ordinis Fratres, Vigilem curam, pro dictæ confæderationis dissolutione, faciebant.

Eam Magister reprimere conatur.

Et in

Et in hoc Dominus *Franciscus* Episcopus, Magistro & Ordini, (inuito Capitulo) nimiam asſiſtentiam faciebat, qua ex re, totius confœderationis vehementer cõtra ſe odium ſuſcitauit, & ex hoc præcipuè, quòd cum Fratre *Henrico Reuſe* de *Plauen* Commendatore *Elbingenſe*, Magiſtri & Ordinis intuitu, ad Dominum *Fridericum* Romanorum Imperatorem, Anno Domini M. CD. L. III. primâ die Martij, profectus eſt. Redienſque ad terram *Pruſſiæ*, Anno inſequenti in principio Februarij ad Dominium Eccleſiæ redire non poterat, quia Patria tota, reſignato homagio, Magiſtrum & Ordinem ſuum, cum omnibus eiſdem adhærentibus diffidauerat. Subditi præterea Eccleſiæ Varmienſis, nullâ prætenſâ causâ, contra omnem honeſtatem, præfatum Dominum ſuum Epiſcopum, ſimiliter homagio reſignato diffiderant, *Braunsberg* & *Wormditt* conſulatu, hoc fieri procurantibus. Et ſic cum ad Dominium Eccleſiæ ſuæ redire non poſſet, coactus fuit in Caſtro *Marieburg* remanere, ibiq; cum Domino Magiſtro obſidionem paſſus eſt, à principio Quadrageſimæ anno quo ſupra, vſq; ad vigiliam Sancti *Matthæi* Apoſtoli, quia tunc rupta fuit obſidio Domino Rege & exercitu ſuo valido & magno, inſuper in die Sancti *Lamberti*, (per Ducem *Rudolphum* de *Sagen*, cum gente paucisſima comparatione aliorum, in ſubſidium Magiſtri & Ordinis ſui venientem) juxta Oppidum *Konitz* in bello campeſtri deuictis.

Epiſcopũ Franciſcum Legatũ mittit ad Imperatorem.

Id Confœderatos offendit:

Et Vaſallos Eccleſiæ qui renuntiant Epiſcopi obedientiam.

Marieburgum obſidetur cum Magiſtro.

Soluitur obſidio.

Exercitu Polono deleto ad Konitz.

Et eſt notandum, quòd Vaſalli & communitates homagio reſignato, omnia Ordinis Caſtra, Oppida & Dominia (duobus Caſtris videlicet *Marieburgo* & oppido adjacente, ac Caſtro *Sztum* duntaxat exceptis) ſine aliquâ reſiſtentiâ, infra menſem obtinuerunt. Et quod omnes gentes minimè facere potuisſent, ipſorum ſubditi, Deo permittente, fecerunt. Adeò enim Commendatores, cæteriq́ue in Caſtris præſidentes, ac Ordinis Fratres antea in pauperes ferocisſimi, effœminati effecti ſunt, vt Caſtra fortisſima & inexpugnabilia, omnibus neceſſarijs optimè prouiſa, ſine aliqua impugnatione, ſpontè fugiendo dimitterent, omnemq; ſalutis ſuæ ſpem, ſolius fugæ remedio committebant. Et indubiè, relicto ſcripturæ teſtimonio, nemini hæſitandum eſt. hanc ſuper ipſos plagam, Dei permisſione veniſſe, quia Eccleſias Poſſeſsionibus ſuis ſpoliantes, Clerum ſuppreſſerunt, Epiſcopos Eccleſiarum ſuarum, abſtracta bona repetentes, in corpore & bonis tyrannicè perſequendo, in exilio miſerè viuere coëgerunt. Diuina ergò pietas præfatos Fratres piè monuit, vt dignè ſe recognoſcerent pœnitendo, ac cum

Pruſſia deficit ab Ordine,

Ordine non reſiſtente ſed metu conſternato.

Pœna peccati.

tempo-

tempore legis & Gratiæ, ac gentium plagatis adeò regibus, quàm vindex sit Dominus super malos, misericorsq; super bonos, ac dignè pœnitentes, meditentur. Castris omnibus, duobus seclusis, Oppidisq; ac Magistri, Ordinisq, sui Dominijs Vniuersis, per terræ incolas sic obtentis, ipsi Incolæ, Regem *Poloniæ*, in suum Dominum receperunt, omnibus Magistri & Ordinis sui Dominijs, castris & oppidis eidem traditis & præsentatis. Quæ quidem Castra & Oppida vnâ cum Incolis Dominij, Rex in suam ditionem recepit, non obstante quod Pacem perpetuam, cum Magistro & Ordine suo, ac ipsorum subditis haberet, per Patrem & Fratrem suos *Poloniæ* Reges, & se, tunc *Lithuaniæ* Ducem, juratam & sigillatam, & secundariò, post suam in Regno Coronationem, regio sub nomine sigillatam & juratam, anno proximo ante Bellum. Ipsi quoq; Incolæ terræ *Prussiæ*, ab homagio Magistro præstito, minimè absoluti, nec feudis prout decuit resignatis, Regi juramentum Fidelitatis, & homagium, tanquam verò suo Domino præstiterunt; vt Magistrum & Ordinem suum sic perpetuò excluderent à *Prussia*. Sed certè quantùm miraculosa fuit Magistri & Ordinis sui humiliatio, seu Dominij priuatio, tàm miraculosi in multis pro eisdem Fratribus, in Terrarum suarum recuperatione, & hostium prostratione, Dominus operatus est; & signanter bello habito contra Regem ante *Konitz*, vbi quinque millia, vltra triginta millia armatorum, vnâ cum Rege, in fugam verterunt, & multa millia occiderunt, ac septemdecem Centena hominum captiuarunt. Et in alijs diuersis mirabilia operatus est Dominus, quæ longùm foret specificare. Vtinam Magister & sui Fratres darent gloriam DEO victoriam tribuenti. Ab origine mundi nusquam grauiores ac longiores continuatiq; motus fuisse, in codicibus reperiuntur, in quibus multa millia hominum, & clade & gladio interierunt; quorum nondum posset humana ratio concipere finem, nisi Omnipotens misericordiarum Pater, pauperum deuictus gemitu, hanc terram cum Incolis paucissimis, adhuc in angustia reseruatis, velit oculis suæ immensæ pietatis, misericorditer intueri.

Prussi, Regi Poloniæ se sponte subdunt.

Et homagium eidem præstant.

Clades ad Konitz.

Belli Pruthenici diuturnitas.

Anno Domini M. CD. L. V. circa festum Paschæ, iuit Dominus *Franciscus* Episcopus de Castro *Marieburg*, ad Ciuitatem *Vratislauiensem*, vti dolorum cuspidi, opponens clypeum fortitudinis, intuitu fauoris Ordini impensi, exilium passus & vitâ functus est. Anno Domini M. CD. L. VII. die decimâ Mensis Iunij. Sepultus in Ecclesia Cathedrali in Capella retrò Chorum,

Episcopus Vratislauiæ exulat.

Moritur ibidem.

cujus anima sit in sede refrigerij. Et est sciendum quòd ipse Dominus *Franciscus* Anno Domini M. CD. XL. I. mutuauit Episcopo & Capitulo Ecclesiæ *Vratislauiensis*, pro aliquib⁹ Ecclesiæ suæ Possesionibus redimendis, florenos Vngaricales quatuor mille, de quorum parte, succesiuè tunc solutâ, exilij sui tempore, expensas & necesitates suas sufferebat.

Decimus tertius EPISCOPVS ÆNEAS SYLVIVS.

BEllo sæuissimo in *Prussia* inualescente, Domino *Francisco* vitâ functo, Canonici Ecclesiæ *Varmiensis*, bellorum occasione dispersi, apud Ecclesiam præfatam, *Braunsbergensium* ordinatione, per *Bohemos* Domini Regis Milites incastratam, capitulariter in vno loco debito, ad electionem celebrandam, conuenire non potuerunt; sed diuersis in locis diuersas electiones celebrârunt. Quatuor namq; Canonici, duo majoribus, & duo minorib⁹ Præbendis præbēdati, *Glogouiæ* majori *Diœcesis Vratislauiensis* conueniētes, præmeditatione prouidâ, Reuerendissimum Dñum *Æneam Syluium* Cardinalem Tituli Sanctæ Sabinæ *Presbyterum*, in Episcopum *Varmiensis* Ecclesiæ postulârunt, ipsius sperantes adjutorio, Ecclesiam posse in suis calamitatibus reuelari.

Glogouiæ in Silesia à Canonicis congregatis eligitur Æneas Syluius Cardinalis.

Postea verò, aliquantulo temporis interuallo interiecto, Ecclesiæ Custos alijq; duo Canonici, medijs præbendis præbendati, *Dantisci* Diœcesis *Vladislauiensis* conuenientes, quendam *Ioannem Lurconis* Decanum Ecclesiæ Gnesnensis, Domini Regis *Poloniæ* Vice-Cancellarium, in Episcopum elegerunt.

Dantisci Canonici congregati Vice-Cancellarium Regni Poloniæ elegerunt.

Insuper Dominus *Arnoldus* de *Wenrade* ejusdem Ecclesiæ Cantor, adjunctis eidem quatuor Canonicis majoribus, vno mediâ, & vno minori, præbendis præbendatis, in Capella Sancti Georgij, extra muros Ciuitatis *Koninsbergensis*, intra Diœcesim conuenientes, Dominum *Arnoldum* præfatum Cantorem in Episcopum elegerunt; Causisque postulationis & electionis hujusmodi, ad sedem Apostolicā deuolutis, Dñus Papa *Calixtus III.* præfatam Ecclesiam *Varmiensem*, causæ cognitione præuiâ, prælibato *Reuerendissimo Patri Æneæ* Cardinali cōmendauit. Qui morē Pastoris prouidi & fidelis, in sibi commisso onere solicitus, vt Oues suas, quas abduxerat error in inuia, Deo lucrifaceret, feruenter insudabat. Et in hoc efficiendo, non pepercit laboribus & expensis, ac sæpisimè nuntijs & scriptis, Oues quæ perierant, vt

Regiomonti Arnoldus Cantor eligitur.

De tribus electis Papa Æneā approbat.

monita sua reciperent, diligenter requisiuit, quæ aures suas obturantes, vocem se vocantis audire temerè renuerunt. Nihil enimuerò Pater ipse *Reuerendissimus* de possesionibus adipisci, nec cuiuspiam obedientiam poterat obtinere, nisi Capituli majoris partis & sanioris. Optimo præfato *Reuerendissimo Præsule* ac Domino *Æneâ*, sic commissæ sibi solicitudini incumbente, placuit omnium conditori, *Dominum Calixtum* Papam III. carnalibus vinculis absolutum, ab hac vita vocare. Electus itaque fuit in Papam, Prænominatus *Reuerendissimus Æneas*, Anno Domini M. CD. L. VIII. die decimâ nonâ Augusti, & coronatus die tertiâ Mensis Septembris, quæ fuit dies Dominica, in qua consueuit Dedicatio in Ecclesia Varmiensi celebrari, vocatusque est *Pius secundus*.

Non recipitur Vasallis.

Creatur Pontifex dictus Pius II.

Decimus quartus EPISCOPVS PAVLVS de LEGENDORFF.

AD summi Apostolatus culmen *Pius Papa* secundus euectus, sibi familiarem *Paulum Legendorff* in Prothonotarium creauit, cùm antea esset literarum Apostolicarum scriptor. Eidem postea die Vigesimâ Mensis Septembris, Anno eodem M. CD. L. VIII. Ecclesiam ipsam *Varmiensem* ad Annum commendauit, adijciens suæ fore voluntatis, quòd dicto Anno reuoluto, absq; alia prouisione, Ecclesiæ eiusdem titulo potiretur, super munere consecrationis differendo, primò ad biennium, secundò ad triennium, dicto biennio reuoluto secum dispensando. Qui Dominus *Paulus*, cum terra *Prussiæ* adhuc esset turbatissima, motibusq; durissimis implicata, maximis curis, & oneribus se subiecit. Nihilominùs per aliquos Ecclesiæ subditos requisitus, ipsum Domino Papa annuente, & committente, vt Ecclesiæ suæ Dominium accedens, ejusq; intendens commodo, se quouis modo non faceret in Bello partialem, ad terram *Prussiæ* se transtulit, per *Poloniæ* Regnum iter suum dirigendo, obtinuit quoq; à Domino Rege licentiam, Ecclesiæ suæ Dominium ingrediendi, Domino Rege promittente, se Dominum *Paulum* electum, in terrarum suarum adeptione, velle gratiosè habere commendatum, & signanter in his Castris & oppidis, quæ suam fouerent partem, ipsumq; in obtentis defensare; eo tamen

Pius II. prouidet de Ecclesiā Varmiēsi Paulo de Legendorff.

Paulus venit in Prussiam.

A Rege Poloniæ admissus sub conditionibus.

pacto, quòd Dominus electus præfatus, de ejsdem Castris & Oppidis, Domino Regi & suis, Ordinis intuitu, Bellum moueri non sineret, nec se contra Domini Papæ Commissionem faceret in Bello partialem: quod idem Dominus *Paulus* electus Domino Regi promisit, & inuiolatè seruauit. Non obstante quòd postea à Domini Regis Stipendiarijs, inæstimabilia damna in captione Oppidi *Wormditt*, & alijs diuersis locis illata fuissent, prout inferiùs detegetur.

Adit Possessionem Oppidi Wormditt.

Cumq; ipse Dominus Electus, Anno Domini M. CD. LX. Mense Maio Dominum Ecclesiæ suæ fuisset ingressus, statim Oppidi *Wormditt* possessionem est assequutus. Omnia enim alia Ecclesiæ Castra & Oppida, per Dominorum Regis & Magistri stipendiarios, erant occupata; videlicet, *Braunsbergum*, *Heilsbergum*, *Gutstadtum* & *Scheburgum* per Domini Regis; *Resselium* autem, *Wartenburgum* & *Bischoffsteinum*, per Domini Magistri Milites, occupata tenebantur. Erant enim Ecclesiæ Oppida, vnâ cum castris eisdem adjacentibus, per Regis stipendiarios occupata, eisdem per Vasallos & Communitates, confæderationi pro suo stipendio obligata.

A Magistro neutralitatem obtinet.

Habitâ *Wormditti* possessione Dominus Electus antefatus, ad Dominum Magistrum *Königsbergam* se transtulit, & obtinuit ab eodem, quòd juxta sanctissimi Domini Papæ commissionem; Ecclesiæ suæ incumbens commodis, neutri contendentium Parti præstans opem, Bellorum occasione dictorum, posset quietus remanere. Promisit etiam Dominus Magister, pro se & suis, dictum Dominum electum, subditosq; suos eidem obedientes, ac temporis successu, ad ejusdem obedientiam redeuntes, in nullo damnificare, sed pro posse, velle defensare, ore & manu stipulatâ, sub bona fide pacem pollicitando. Nunc ad ea quæ durantibus Bellis his ætatibus, confæderationis occasione suborta, quantum Ecclesiam tangunt *Varmiensem*, acta sunt, breuius quò potero explicabo; Constat quippe Memoriæ amicam fore breuitatem. Et primò gesta per subditos Ecclesiæ, compendio quodam hîc annotabo, ea quæ per *Magistrum* & Ordinis Fratres, ac etiam per Fæderatos, Ecclesiæ illata sunt, deinde subjungendo.

Capitulares edicunt ne subditi Fœderales essent.

Et primò sciendum est, quòd attendentes Viri prouidi Capituli seniores, ex incensis Vasallorum & Oppidanorum animis, terræ *Prussiæ* magni dissidij seminarium suboriri, visibiliterq; timentes, ex semine malo, non posse nisi pessimum Bellorum fructum, & terræ destructionem peruenire, volentes consultè

præuisis

præuiſis periculis obuiare, Anno Domini M. CD. L. III. poſt Domini *Franciſci* Epiſcopi ſui receſſum, á Menſe Iunio vſq; ad initium Belli, vltra decem Vaſallis & Oppidanis Eccleſiæ ſubditis perſuadebant, in euentum prout veriſimiliter timerent, ſi inter Magiſtrum & Ordinem ſubditoſq; ſuos, ad Bellũ contingeret deueniri, quòd in nullius omninò ſe partem flecterent, ſed neutrales & ſuſpicione liberi, pro Mediatoribus vnâ cum Capitulo ſe tunc offerent: quodq; tunc Eccleſiæ Caſtra, à nullo extraneo, per ipſius ſubditos teneri deberent. Quæ quidem concluſio, fuit in omnibus conuentionibus ſingulariter innouata, & hinc inde ore & manu ſtipulatâ, ſub fide & honore ſemper inuiolatè ſeruari promiſſa. Quibus tamen concluſis & præmiſſis, immediatè Domino Magiſtro & Ordine ſuo diffidatis, & Bello ſuborto, Oppidorum *Braunsberg* & *Wormditt* Conſulatus & Ciues, & aliqui in *Heilsberg*, nonnulliq; Vaſalli, in fide claudicantes, inconſultè & perfidè contrauenerunt. Aliquos quibuſdam minis, reliquos ſiniſtris perſuaſionibus, ad eandem perfidiam induxerunt, Dominumque ſuum Epiſcopum diffidantes ac Ordinem perſequentes, promiſſaq; ſua temerè violantes, bello ſe immiſcuerunt, in dolendam & calamitoſam Dominij Eccleſiæ, totiuſq; Patriæ deſtructionem, cui quidem deſtructioni, ſeniorum Capituli vſi Conſilio, in ſuis promiſsis ſtabiles, cum magno commodo & honore, Omnipotentis ſuffulti præſidio, ſalubriter potuiſſent obuiaſſe. Sed *obduratum fuit inſipiens cor eorum*, vt videntes ſibi imminens exitium, non viderent, & audientes intelligere nollent, ſalutis ſuæ conſultores. Quibus ſic actis Eccleſiæ ſubditi, inſaniâ & furiâ æſtuantes, hos qui plurima nefanda committere poſſent, meliores reputabant, fuitque, omni virtute & honeſtate rejectâ, *libertas impunè mala faciendi* Vnde *Braunsbergenſes*, nequiſsimi Armiductores; ſcelerum, in malitia ſortiti ſunt principatum, conantes Dominæ ſuæ Eccleſiæ *Varmienſi* ſubjectionis omninò à ſe excutere jugum, eâq; de causâ Domino Regi homagium præſtiterunt. Ipſi in principio motuum, & ad ſtatim diffidatione factâ, Eccleſiam & Canonicos ſæuiſsimè peſequuti ſunt, omnium concluſorum & promiſſorum immemores. Quòdq; Canonici ſinceriſsimè ſemper & fauoroſè, quaſcunque poterant obſequij vices, eiſdem in ante exhibuerunt, majores & minores, quomodocunq; ipſos apud Eccleſiam reperiri contigiſſet, inuitando & conuiuando, omniaq; humanitatis & fauoris obſequia exhibendo. Quorum omnium immemores & ingrati, in malitia obdurati, pro bonis mala, &

Subditi Eccleſiæ neutralitatem futuram ſanctè promittunt.

Braunsbergenſes & Wormditenſes fidem datam non ſeruant.

Alios inducũt ad Epiſcopũ & Ordinem perſequendũ.

Perditorum licentia creſcit.

Braunsbergenſes primi, Iugum excutere conantur.

Regi ſe dedunt.

Canonicos perſequuntur.

Beneficiorum immemores.

odium pro dilectione, reddebant. Quadam enim die consulatus, dedit Communitati aliquot vasa cereuisiæ, vt ebrietatem furiæ superadderent, omnibusque sic furiâ & ebrietate repletis, ad faciendum insultum in Ecclesiam *Varmiensem*, Canonicosq; ac ipsorum Curias spoliandum, eosdem inducere satagebant; sed nondum venit hora hoc malum perpetrandi. Erumpebant enim velut bestiæ furiosæ, per aliam portam versùs *Balgam*, illudq; Castrum, cum Consulatu ipsos tunc sequente, spoliârunt, & spoliatum cremandum igni tradiderunt. Consulatus deniq; omnem diligentiam faciebat, ad persequutionem Ecclesiæ, & Canonicis procurandam, adeò vt nullus Canonicus, aut ipsorum familiaris *Braunsbergam* securè posset ire. Ita demùm tot & tantas displicentias *Braunsbergenses* ipsi, Canonicis inferebant, & inferri ab alijs ordinabant, vt Canonici pro majori parte, ab Ecclesia recedere cogerentur.

Ad spoliandum Ecclesiã Varm: plebem indu-cunt.

Sed primò Balgam spoliãt & comburunt.

Intromiserunt etiam ipsi *Bohemos* Hæreticâ perfidiâ plenos, Regis stipendiarios in numero magno, Anno Domini M. CD. L. V. in Vigilia Visitationis Beatæ MARIÆ Virginis, quorum quidem *Ioannes Schaski* erat Capitaneus, in plenissimum perfidiæ suæ argumentum, de quibus miserunt, eâ intentione, vt Ecclesia esse desineret, ad eandem incastrandam *Bohemos* quinquaginta pedites, in Hæreticâ labe non minimos. Quorum Capitaneo vnum Canonicum, majori præbendâ præbendatum, majoribus suis conformem, nomine *Christophorum* de *Zegenberg* adjunxerunt, residuos verò Canonicos adhuc penes Ecclesiam existentes, captiuari postea disposuerunt, captiuatiq; sunt tres per *Gedanenses*, secumque abducti, duo euaserunt, in *Heiligebeil* per deuia fugiendo. Ita demùm validè fuit Ecclesia ipsa incastrata, vt postquam *Bohemi* nutu DEI expulsi fuissent, ipsi expulsi, qui se Ecclesiam occupantibus adjunxerunt, maxima damna & pressuras eisdem *Braunsbergensibus* inferrent, vt in quo peccauerunt, æquitatis judicio punirentur.

Bohemos Hæreticos intro-mittunt.

Ecclesiam Varmien spoliãt.

Canonicos capiunt.

Postquam Ecclesia Venerabilis, sic fuerat per *Braunsbergenses*, iniquitatis alumnos, in lupanarium, coquinarium & stabulum bestiarum, in locumque gemitûs, ac pauperum cruciatûs, ignominiosè redacta, Canonicis repulsis, ijdem *Braunsbergenses* Curias Canonicales spoliauerunt, & demoliti sunt, Nemora Capituli inciderunt, ac reditus subleuarunt; omnem insuper quam valebant, iniquitatem exercuerunt, in perfidiæ suæ euidens testimonium, & memoriale sempiternum; Spoliauerunt etiam ipsi Castrum Episcopale, & murum altum cum turribus suis, versus oppidum, per *Prædecessores* suos constructum in

Curias vastant & demoliuntur.

Castrum Episcopale destruunt.

emendam

emendum, demoliti sunt. Molendina etiam & Allodium *Cleynaw* spoliauerunt, eorundem Dominum sibi vsurpando. Ipsi etiam miserunt *Bohemos* Regi seruientes, in Castrum *Heilsberg*, quos *Petrus Funcke*, iniquitate & perfidiâ plenus, in *Heilsberg* oppido Magister Ciuium, aliquibus Ecclesiæ Vasallis consentientibus, inuitis immò inscijs Ciuibus, in Castrũ ipsum introduxit, in maximam Ecclesiæ destructionem. Qui *Bohemi* se augentes, fuerunt consequenter per Ciues in *Gutstadt* & similiter in *Scheburg* intromissi. In *Wormditt* Consulatus & Ciues, in sceleribus & perfidia, *Braunsbergensibus* satis fuerunt conformes, sæuissimi Persequutores Domini sui Episcopi, Canonicorumq; ac totius Clericalis status, effecti sunt. Ipsi intromiserunt quendam *Ioannem Golda* Hæreticum pessimum, Regis stipendiarium, cum Viris sexcentis, Qui quendam *Presbyterum Bohemum* Hæreticum, fecit juxta morem suum publicè sacramenta ministrare, ex quo & Ciues ipsi procul dubio non sunt effecti meliores. Eisdem tamen *Bohemis* recedentibus, alios intromittere voluerunt. Ipsi oppidum *Melsag* combusserunt, seque in Nemora & Villas Capituli intromiserunt, dicentes illa se gladio acquisiuisse. Coëgit insuper idem Consulatus, Plebanos in Villis adjacentibus, ad tributum soluendum, & agros suos excollendum, in hoc Pharaone nequiores, qui Leuiticam tribum, alijs oneratis, ab omni decreuit esse tributi & laboris, grauamine liberam & alienam. Ipsi etiam Castrum Episcopale, & Molendinum spoliauerunt, damna etiam maxima in Oppido *Melsag*, & territorio ejusdem, Capitulo intulerunt.

Molendinũ & Allodium sibi vsurpant.

Bohemos Heilsbergam mittunt.

Gutstadium quoq; & Scheburgum.

Wormditenses imitantur Braunsbergenses in perfidia.

Hæreticũ Hussitam admittunt.

Melsag comburunt.

Plebanis tributum imponunt.

Castrum spoliant & Molendinum.

In *Heilsberg* erant Ciuibus bonis, pessimi intermixti, & qui plurima bona ab Episcopali sede receperãt, ibi & alibi, ipsam seuerius sunt persecuti. Vincebant in principio, Mali Bonos, donec aliquos de malis, è medio sustulissent, tuncq; est data facultas bonis, Dominum suum repetendi, vt inferius patebit.

Heilsbergẽses itidẽ faciunt.

In *Gutstadt* in principio Belli, pauci erant boni, ipsi Allodium *Schmolein* Domini sui Episcopi optimè ædificatum, spoliatum primò, funditùs demoliti sunt; In *Scheburg* & *Bischoffstein* ciues quamuis parùm erant reputati, tamen in malitia non erant minimi etsi ipsos defecit facultas, non defuit voluntas, mala plura faciendi.

Gutstadenses vastant Prædia.

Scheburgenses & Bischoffsteinenses maliciosi.

In *Ressel* Consulatus & Ciues, quasi omnes erant stabiles & fideles, Domini sui intimè affectantes, de cuius etiam reditibus seu Iuribus, nil omninò contingere voluerunt, nec sunt Ordinis Fratres persequuti. In *Wartemberg* Ciues duobus aut tribus ex-

Resselenses Fideles.

Wartembergenses Episcopi Persequutores.

ceptis

ceptis omnes alij erant pessimi, Domini sui Persequutores, traditores, injusti, dolentes aliquos in malitia se præcedere. In *Melsag* Consulatus & Ciues, fuerunt Dominorum suorum fidelissimi zelatores, & promptissimi seruitores, vbi nullus sinistræ suspicionis repertus est. Sed Rustici ejusdem Territorij erant pessimi, juxta antiquam suam perfidiam, seruitia consueta facere recusantes. In *Allenstein* Consulatus & Ciues, fuerunt in principio Motuum communiter malitiâ infecti, & furiâ pleni; Ipsi enim *Balthasari* de *Schaybot* Militi, Capituli Vasallo claues Castri *Allenstein*, ab Administratore Capituli sibi tradi postulârunt, & propriâ temeritate, pontem Castri posteriorem funditùs deposuerunt, & pro demolitione Castri institerunt. Sed expleto ipsius furiæ cursu, ad animum reuersi, satis fideliter se erga Capitulum gesserunt. noluerunt enim quouis modo, à subjectione Capituli alienari, quâ ex re, *Bohemos* quinquaginta, Regis seruitores, per fæderatos ad occupandum Castrum missos, nullo modo admittere voluerunt, & quasi omnes fideles remanserunt. In *Wartemberg* Ciues quamuis sæpiùs non forent circumdati, nihilominùs à *Braunsbergensibus* infecti, erant pessimi, paucis exclusis, totis enim conatibus instabant, vt Curias Canonicales & Ecclesiam possent spoliare. Animum habuerunt pessimum, sed facultas explendi ipsis in principio defuit, quam tamen, cum pauco commodo postea assequuti sunt. De Vasallis Ecclesiæ in communi, quæ libenter bona traderem non inuenio, quasi enim omnes in dictis, quibus supra, conclusa & prouisa, honoris immemores, contra omnem honestatem Dominum suum Episcopum diffidantes, temerè & perfidè violârunt, & quasi omnes fidelitate neglectâ, per erroris deuia abierunt. Inter quos tamen *Ioannes* de *Rogettel* cum Henrico Fratre suo, vnâ cum Nepotibus suis, *Christiano* & *Bartholomæo* Fratribus de *Wergel*, perfidi & durissimi, Domini Episcopi & Ecclesiæ persequutores effecti, contra conclusa, primò venientes cum *Iacobo* de *Baysen* milite, Dominum suum Episcopum diffidantes, pro alienatione Castri *Heilsberg* institerunt. *Iacobus* de *Godawten* & *Fabianus* de *Wusen*, de territorio *Melsag* pro Rege militantes, Viri perfidissimi & scelerati, grauissimi Ecclesiam, Episcopum, Canonicos & omnem clerum prosequuti sunt. *Balthasar* de *Schaybot* miles de territorio *Allenstein* perfidiâ plenus, omnes ejusdem territorij Vasallos ac Ciues sibi alliciens, seque constituens Capitaneum, ipsos contra Capitulum in contumaciam induxit & confortauit in eadem. *Ioannes* de *Lauto* & *Martinus* de *Lusygen* juxta Ressel

Melsagẽses Ciues Fideles.

Rustici pessimi.

Allensteinenses resipuerũt.

Wartembergenses Ecclesiæ & Capitulo infensi.

Vasalli ferè omnes Dominio rebelles.

Ioãnes de Rogettel cũ Fratre & Nepotibus Episcopo aduersi.

Iacobus de Baysen similiter.

Iacob⁹ de Godawten & Fabianus de Wusen itidem.

Balthasar de Schaybot perfidus.

Ioannes de Luto & Mar-

tà *Reſſel*, in fide & conſtantia firmiter perſtiterunt, reſidui verò paucis ſeclufis, honoris prodigi, non eâ quâ decuit diligentiâ, pro ſuo honore & fidelitate decertabant, ſed aut mali erant, aut cum malis ponebant ſuam portionem. tinus de Lufygen fideles.

Nunc ad ea, quæ ab alijs Eccleſiæ illata ſunt, me conuertam; Et ſciat quiuis, quòd non obſtante, quòd Canonici Eccleſiæ *Varmienſis*, ante diffidationem Magiſtro & Ordini factam, ſemper erant eidem ſeruire parati, ac poſt diffidationem aliquos Ordinis Fratres, in domibus ſuis occultabant, literas & Nuntios Domini Magiſtri, in Caſtro *Marieburg* obſeſsi, ſecretò promouebant. Nihilominùs Frater *Henricus Rewſe* de *Plawen*, Commendator *Elbingenſis*, & tunc Generalis Ordinis Capitaneus, Anno Domini M, CD. L. IV. die vndecimâ Menſis Decembris, cum exercitu ſuo, primùm poſt ruptam obſidionem Caſtri *Marieburg* exiens, Dominium Capituli inuaſit, villas aliquas ſpoliando, Ciuitatem etiam *Varmienſem* ſpoliatam, ciuibus aliquibus interfectis, paucis domunculis remanentibus, totam concremando; Curias etiam Canonicales ſpoliauit, Canonicis vltra triginta bonos equos auferendo; ac aliquibus Curijs Canonicalibus incenſis, minabatur ſe omnes velle curias concremare, niſi pecuniâ redimerent, pro quarum redemptione, extorſit ipſe commendator à Capitulo Marcas, centum viginti bonæ monetæ Pruthenicalis, & duas tunnas ſalis. Mala fuit, per Dominum Epiſcopum adhuc tunc, Ordinis intuitu, exulantem, & Canonicos, Magiſtro & Ordini impenſi ſeruitij, gratitudo relata. Præteriuit enim Ordinis oppida, quorum vnius Incolæ, videlicet *Hollandt*, in proprio corpore perſequendo, caſtro ſuo expulſum, poſitis inſidijs, ipſum interficere conabantur. *Elbing* verò *Morung* & *Tolckemit* incolæ caſtra ſua ſpoliando, & ad humum proſternendo, multos Ordinis ſui fratres occiderunt. Et illis nihil tunc mali intulit, quia ad Eccleſiam *Varmienſem* non ſpectabant.

Capitulũ Magiſtro & Ordini fauet.

Malè illi refertur gratia.

Varmiam ſpoliat & incẽdit.

Curias item aliquot Canonicorum.

Reliquæ pretio redemptæ.

Oppidis ſui Ordinis parcit ab eis malè acceptus.

Anno Domini M. CD. LV. Feriâ tertiâ Paſchæ, Commendator præfatus, cum ſuo Exercitu, à Caſtro *Marieburg* deſcendens verſùs *Konigsberg*, Seruitij per Dominum *Franciſcum* Ordini ſuo impenſi immemor, exuſsit funditùs Oppidum nouum *Braunsberg*, Ordinis ſui Oppidis iterùm parcendo. Capitulum tamen Ordinis ſuppreſsioni ſincerißimè compatiendo, perpeſſis damnis & injuriâ non fractum, ordinauit Incolis & Ciuibus Oppidi Capitularis *Melſag*, intromitti pro terrarum ſuarum recuperatione, debere Ordinis fratres, per præfatum Commen-

Nouum Oppidũ Braunsberg exuritur.

Capitulum admittit Fratres in Melſag.

datorem cum armigeris, illuc missos, sperans ipsorum adiutorio, Dominum *Franciscum* Episcopum ad Ecclesiæ suæ Dominium reduci posse; quod etiam factum fuisset, si Commendator ipse & Frater ad hoc fideliter intendissent. Præmissi Fratres Ordinis & Armigeri, in Oppidum *Melsag* immissi, nimis desides, in causa fuerunt, vt Oppidum ipsum per Ordinis inimicos & Ciues *Wormdittenses* combureretur, vbi Capitulum & Canonici etiam singulariter, maxima damna sustinuerunt. Ac Dominus *Arnoldus* de *Wenrade*, Ecclesiæ Cantor & Canonicus, per Capitulum illuc missus, multiq; alij presbyteri captiuati, & incarcerati, exactionati, ac mirabiliter & miserabiliter pertracti sunt. Dicto oppido sic exusto & deserto, Commendator præfatus, ac Ordinis sui Fratres & Armigeri, in Oppido *Heilsgebeil* commorantes, se de omnibus Villis, molendinis, & Possessionibus vniuersis, territorij *Melsag* intromiserunt, inter se diuidentes easdem, census & obuentiones singulas percipiendo, ac à rusticis maximam frumenti & pecuniæ summam extorquendo, nihilq; Canonicis assignabant. Stetitq; desertum Oppidum præfatum vsque ad Annum Domini M. CD. LVII. tunc enim in profesto Sancti Laurentij, munitionibus reformatis denuò locatum, & impositis Ordinis Fratribus & armigeris est munitũ, Magistro & Commendatore hoc fieri ordinantibus. Ipsi quoq; Ordinis Fratres & Armigeri, Magistro & Commendatore permittentibus, quin immò ita fieri ordinantibus, vniuersos census & obuentiones sibi vsurpantes, Canonicis sæpissimè instantibus, de proprijs eorum reditibus, quasi nihil fecerunt assignari. Ecce qualis sit gratitudinis vicissitudo.

Quorũ negligentiâ Ciues Wormdit; exurunt Melsag.

Canonicos præsentes incarcerant.

Melsacensem districtum Ordo sibi vsurpat.

Melsacum denuo locatur.

Item Anno Domini M. CD. LV in die Diuisionis Apostolorum, Canonici Ecclesiæ præfatæ, præmissis omnibus non obstantibus, adhuc Magistri & Ordinis Compatientes suppressioni, Magistro dicto & Cõmendatore instantibus, prece Vigili, vt in Castrum & Oppidum Capituli *Allenstein*, aliqui Ordinis sui Fratres, pro Dominij sui recuperatione intromitterentur, multis articulis & compactatis in antea, per Dominos eosdem Magistrum & Commendatorem sigillatis, inter cætera continentibus, se ad hoc totis velle instare Viribus, vt Dominum *Franciscum* Episcopum, in Castrum *Allenstein*, ac consequenter in Ecclesiæ suæ Dominium, reducere vellent, vtq; Ordinis Fratres, suis cum Armigeris, illuc intromissi, de proprijs viuere, ac in nullo de juribus & reditibus Capituli, intromittere se deberent, sed illa pro posse defensare; quodq; ad omnem Canonicorum requisitionem,

Capitulũ spe reducendi Episcopi, Crucifegos admittit in Allenstein.

pacificè

pacificè abſq; quauis contradictione, à Caſtro & Oppido præfatis recedere tenerentur. Quibus & alijs diuerſis compactatis, per Dominum Magiſtrum & Commendatorem *Elbingenſem*, ſæpiùs nominatum Sigillatis, & per eoſdem, vnâ cum Intromiſsis, ſub Fide & Honore, & Ore & Manu ſtipulatâ illibatè ſeruare promiſsis, per Dominum *Arnoldum Rattelen* Præpoſitum, *Ioannem Plaſtuig*, Decretorum Doctorem, Decanum, & Canonicos *Arnoldum Clinger*, *Nicolaum Vethenn* Decretorum Doctores, in Caſtro *Allenſtein* illo tempore reſidentes, fuerunt intromiſsi, Frater *Vlrihus Kinsberger*, Aduocatus de *Soldaw*, & plures alij, dicti Ordinis Fratres; quibus omnibus fratribus, cum ipſorum familia, in caſtro fuit ſufficiens, per præfatos Dominos de Capitulo, prouiſio facta. Qui quidem Ordinis Fratres prænominati; Imagines Luciferianæ prauitatis in malitiâ obſtinati, de omnibus beneficijs ingratiſsimi, ſpiritu ſe nequam inſtigante, omni rejectâ honeſtate; Anno Domini M. CD. L. VI. in die S. Thomæ Cantuarienſis, traditoriè, impiè, & iniquè, Præfatos duos, Præpoſitum, Decanum & Canonicos, duos Vicarios & Presbyteros tunc in eodem Caſtro exiſtentes, vnâ cum ipſorum Familiaribus, captiuârunt, incarcerârunt, & multimodè in ipſorum necem machinantes, eoſdem omnibus ſuis bonis, totâq; ſubſtantiâ ſpoliatos, vnâ cum infami Caſtri detentione, ad manus *Georgij* de *Sliſſen* Capitanei, & Cohortis ſuæ Armigerorum, Ordinis Militum, qui cum illis fuerant intromiſsi, quiq; omnia & ſingula ſupra memorata Compactata, Ore & Manu ſtipulatâ, ſeruare promiſerant, & præmiſſas traditionem & captiuitatem ſolicitârunt, tradiderunt; Abſq; hoc, quòd vnquam aliquam cauſam, cur hæc feciſſent, prætendere potuiſſent. Sed aſſerebant dicti Ordinis Fratres traditores, ſe hoc feciſſe, ex Domini Magiſtri commiſsione: quod & verum fuiſſe clarè compertum eſt: nam id ex propria Domini Magiſtri claruit confeſsione. Qui *Georgius* Capitaneus, ſuis cum Armigeris, & præfatis Ordinis Fratribus traditoribus, ipſos Præpoſitum, Decanum, Canonicos, & Presbyteros, diebus multis in captiuitate detentos tandem nudos & vacuos relegauit; Caſtrum & Oppidum, attinenſq; Territorium, cum omni fructu, Annis quinque & diebus quatuor, tyrannicè occupando.

Per Canonicos & Prælatos cõditionibus datis, & per Cruciferos juratis.

Cruciferi beneficij immemores.

Canonicos rapiunt & ſpoliant.

Magiſtri mandato.

Captos poſtea dimittunt reb⁹ omnibus exutos.

Legat quiuis & relegat, ſi vnquam pro beneficijs tantis, talis & tàm ſubita, & iniqua reperiatur retributio facta. Vbi fidem quis requiret, ſi à Fratribus his, in extremâ ſui anguſtiâ, tàm benigniſsimè recollectis, humaniter pertractatis, & in omnibus

Quinque annis Caſtrum retinent.

necessariis abundanter & optimè prouisis, ipsam legerim tàm turpiter violatam? Damnificatum fuit Capitulum in ipso spolio, & personæ Capituli singulares, plusquam ad Decem millia florenorum de Camera. Erant enim in Castro ipso Achanes vulgo Lastæ, Saliginis XC. VII. Tritici VIII. Farinæ XII. Hordei tosti Mensuræ VII.

Anno Domini M. CD. LV. eodem videlicet, & die proximè sequenti, quo ipsis prænominatis iniquitatis Alumnis, in *Allenstein* pacificus patuit ingressus, Præposito, Decano, & Canonicis præfatis promouentibus, eisdem pactis, & promissionibus quibus in *Allenstein* etiam intromissi fuerunt, in Oppidum Domini Episcopi *Wartemburg* Ordinis Fratres & Milites, *Georgiusq́ Lobel Silesita*, in Capitaneum præfectus est, bonâ fide singuli pollicitantes, omnem operam se daturos, vt Dominum *Franciscum* Episcopũ ad Dominium suũ reducere possent. Quod quidem Oppidum multis annis tenuerunt; omnes reditus & obuentiones, Pactis & Promissionibus temerè violatis, in vsus suos conuertentes, nullam vnquam operam, pro Domino Episcopo reducendo facientes; sed totum Ecclesiæ Dominium sæuissimè spoliârunt, in Fidei suæ læsionem.

Ordo Intromittitur in Wartemburg.

Anno eodem die IX. Mensis Augusti, Præposito, Decano, & Canonicis antedictis cooperantibus, sub spe Dominum suum Episcopum, ad Dominium suum reducendi, intromissi fuerunt in Castrum & Oppidum, Domini Episcopi *Ressel*, Ordinis Fratres & Milites, pro terris & Dominiis suis recuperandis, Domino Magistro & Commendatore *Elbingensi* instantibus, ac patentibus in antea literis, suis sub Sigillis promittentibus vt dicti Intromissi, se quouis modo de juribus, Reditibus, seu obuentionibus Domini Episcopi intromittere non deberent; sed vsq; ad eiusdem Domini Episcopi reditum, quem infra mensem reducere promiserunt, Iurisdictio per Canonicos exerceri, ac reditus subleuari, ad vsumq; Domini Episcopi reseruari deberent; quodq; ipsi Intromissi, quandocunque pro parte Domini forent requisiti, omni morâ & contradictione seclusis, ex Castro & Oppidis præfatis exire, & ipsi Dño Episcopo tradere & restituere; nullis vnquam damnis, expensis, ab Episcopo seu Ecclesiâ postulatis; cùm non Ecclesiæ sed Ordinis intuitu, illuc forent intromissi. Et hæc omnia & singula Commendator *Elbingensis* præsens, & alii multi Cohortium Capitanei, vnâ cum Domino *Phanemberg* & aliis Militibus, qui omnes erant Australes, ac multis Ordinis Fratribus in ibi intromissis, sub Fide & Honore, Manu stipulatâ,

Item in Oppidum & Castrũ Ressel,

Intuitu solius boni Ordinis, Ordo admiss⁹.

Decano

Decano *Varmienſi* tunc præſenti, Domini Epiſcopi, & Eccleſiæ nomine, firmiter obſeruare promiſerunt; ſed in minimo non ſeruabant. Non enim Dominum Epiſcopum reduxerunt, quem reducere promiſerunt, immò de ipſius regreſſu contenti non fuiſſent: nam reditus Domini Epiſcopi, & Molendinorum obuentiones ſubleuabant, Ruſticos exactionabant, & magnam copiam frumenti in Caſtro repoſiti, & ſingula ibidem reperta in ſuos vſus conuertebant. Tenueruntq; dictum Caſtrum & Oppidum, temerè occupata; vſque Anno Dñi M. CCC. LXII. Menſis Octobris, ſæpiſsimè requiſitiones factæ, per Dominum *Paulum* ipſius Eccleſiæ Electum & Confirmatum, ac eius nomine coram Domino *Magiſtro*, & Commendatore præfatis, ſuper ſuis literis & Sigillis, ſeruandiſq; ſuis promiſsionibus, in nullo profuerunt, euanuitque Fides; ſed debuit Dominus *Paulus* Electus & Confirmatus Eccleſiæ prædictæ, pro dictorum occupatorum egreſſu, remittere Marcas Mille ſeptingentas, leuis monetæ, in quibus fuerunt Ciuibus obligati: Literis & Sigillis, Sponſionibuſq; ſub Fide & Honore præmiſsis, minimè ſuffragantibus. Ipſis etiam Occupatoribus, de omnibus perceptis, ac damnis illatis, per Literas Domini Electi, & Capituli penitùs plenè quietatis. Et ſic cum labore magno ac expenſis non modicis, Oppidi & Caſtri turpiter ſpoliati obtinuit Poſſeſsionem.

Reſſel à Paulo recuperatur.

Anno Domini M. CD. L. VI. In principio Menſis Septembris, Magiſter & Ordinis ſui Stipendiarii, ad Caſtra & Oppida quædam tuitionis cauſa recepti, Caſtrum *Marieburg* & alia certa Caſtra & Oppida eiſdem ſic commiſſa, *Regi Poloniæ* & Confæderatis Venalia exhibentes, de certa pecuniæ ſumma, cum eiſdem conuenerunt; Commendator quoque *Elbingenſis* Frater *Henricus* de *Plawen*, fingens Caſtra & Oppida eadem, per ſtipendii ſolutionem ſe redimere velle, magnam pecuniam, Auriq; ſimul & Argenti ſummam mutuò & exactione comportauit, cui Canonici Eccleſiæ *Varmien:* pro compaſsionis affectu, reciprocum fauorem ſperantes aſſequi, ſolicitarunt de Eccleſijs Parochialibus Diœceſis ſuæ, calicibus & clenodijs, mutui nomine, fieri ſubuentionem, pro præfatorum Caſtrorum & Oppidorum redemptione; Ipſiq; Canonici, quamuis omnibus bonis ſuis, per Ordinis Fratres & Milites forent ſpoliati, nihilominùs de aliquibus Eccleſiæ reliquiis, argento, fulcitis, & in *Konigsberg* reſeruatis, Commendatori præfato, Ordinis ſui nomine, Marcas argenti puri XLI. mutuârunt. Ciues præterea & Incolæ Oppidi *Allenſtein* eidem mutuârunt Argenti Marcas CLXX. IV. Item in

Crucigeri Vēdūt Marieburg & alia Caſtra.

Canonici pro redemptione dictorum, illis ſubueniunt.

Argento Eccleſiarum diſtracto.

Allenſteinenſes etiam.

monetâ nouâ bonâ *Pruthenicali Marcas* VI. ſcotos XXI. In quibus adhuc Magiſter, Commendator & Ordinis Fratres antedicti, Capitulo Eccleſijs Parochialibus, ac dictis Ciuibus remanent obligati.

Magiſter & Commendatores promiſſa ſeruare nolunt Capitulo.

Item poſt commiſſum in *Allenſtein*, per Ordinis Fratres & Milites tradimentum, & poſtquam Domini, Præpoſitus, Decanus, & Canonici de carceribus dimiſsi fuiſſent, Dominus Magiſter, & Commendator memoratus, vt per ipſos, literis & Sigillis, firmata Pacta & Promiſſa ſeruarent, iniquiſsimaſq; Rerum & Caſtri ſpoliationem, ac Perſonarum inde relegationem, prout ſuum diligerent honorem, emendarent; fueruntque per eoſdem, cum multimodâ & debitâ inſtantiâ, cum ſubſidiorum & ſeruitiorum factorum commemoratione, ſæpiſsimè requiſiti, ſed præmiſsis omnibus minimè ſuffragantibus, caruerunt abſtractis, nec fuit talis, qualem honeſtas exigebat, per Dominum *Magiſtrum* & Commendatorem diligentia facta, quin immò compertum eſt euidenter, ipſos reſtitutioni præfatæ reſtitiſſe. Vnde *Ioannes* Decanus & Canonicus Eccleſiæ præfatæ *Varmien*, vnus de Captiuis & ſpoliatis contra *Vilhelmum* de *Helffenſtein* Commendatorem de *Grudentz*, *Vlricum Kinsberger* Aduocatum de *Soldaw*, principales traditores, & reliquos dicti Ordinis Fratres, & *Georgium* de *Sliffen* Capitaneum, Cohortiſq; ſuæ milites dicti tradimenti, captiuationis & ſpoliationis participes, Causâ, Apoſtolicæ Sedis Auctoritate, Domino Epiſcopo *Caminen.* commiſſâ, annis quaſi quatuor litigando, ac coram diuerſis Principibus Electoribus alijſq; quærulando, ipſos etiam Traditores, ſuis cum participibus omnibus & ſingulis, Cenſuris Eccleſiaſticis innodatos, interdictos & maledictos, in diuerſis *Germaniæ* locis, & Principum Curijs denunciari faciendo, expenſis, fecit & obtinuit, vt ipſi Traditores concordiæ medio per Capitulum inito, Caſtrum ipſum vacuum, & turpiter ſpoliatum, de omni iniuriâ, tranſgreſſione, & damnis illatis, in antea plenè quietati, Capitulo reſtituerent. Anno Domini M. CD. LXI. die primâ Ianuarij, Domino Magiſtro, Commendatore *Elbingenſe*, cum certis alijs Commendatoribus, & Ordinis Fratribus, ſolenni manuum ſtipulatione, bonâ fide promittentibus, Capitulum & perſonas Capituli ſingulares, in dicto ſpolio damnificatas, pleniùs velle contentare, patentes quoq; literas ſigillatas de ſuper ſe concedere aſſerentibus, quas tamen ſæpiùs requiſiti, non abſq; graui doli ſuſpicione, tradere diſtulerunt ſed nec tradiderunt. Præfato Caſtro *Allenſtein* vacuo, & Oppido recuperatis, totoque attinenti

Litigatur cum ſpoliatoribus ânis quatuor.

Per tractatus tandem reſtituitur Capitulo Allenſtein.

Magiſtro damna refundere promittente.

Territo-

Territorio, tyrannide dictorum Traditorum, exhauſto, ac hominibus Incolis Vacuato, nihilominùs Canonici præfati, ad ſe in dictum Caſtrum quendam Ordinis Fratrem, nomine *Helfferich* de *Sebolt*, Commendatorem de *Ragnite* receperunt, eidemq; de paupertate ſua, prouiſionem faciendo, ſperantes ſe exinde, Magiſtri & Ordinis Fratrum Protectionem, & maiorem promereri fauorem, cuius tamen contrarium detexit euentus: nam quamuis idem *Helfferich* probus foret reputatus, nihilominùs auaritiâ inflammatus pauperum exactionibus nimis intendebat, ac valdè rapinis inſeruiens, diuerſas dictis Canonicis Capitulique ſubditis, perſequutiones, & grauiſsima damna inferri, per ſpolia ſua procurabat, & ad omnia profutura omninò inutilis, ſolius afflictionis fuit occaſio. Sed abyſſum animi metiri, non eſt hominis, niſi verò prodeat in lucem ſine facto. Conferens beneficia obſequiaq; ſingula, per Eccleſiam *Varmienſem*, Ordini in extremâ anguſtiâ ſuâ, impenſa, qualis modo fuerit recompenſatio facta, liquidè deprehendet. Etſi obſequium Amicos pariat, tàm inſcrutabiles tamen ac profundæ ſunt, ipſorum Fratrum Ordinis pectorum cauernæ, tamq; Venenoſi & inhumani ipſorum animi, vt nullam pio affectui vicem reddere ſciant; quòd nec belluis quidem niſi atrociſsimis accidit. Exaſperantur obſequio, & ſi credi poteſt, amore ad odium irritantur, quod periculoſiſsimum eſt, & inter vitæ mala, grauiſsimum humana ſimplicitas experitur.

Iterum Canonici admittunt Crucigeros Alleníteinum.

Anno Domini M. CD. LX. Eodem videlicet anno, quo Dominus *Paulus* electus & confirmatus Epiſcopus, Eccleſiæ *Varmienſis* Dominium ingreſſus, *Oppidi Wormditt* poſſeſsionem habuit, in Oppidum *Heilsberg* ſe tranſtulit, ac per Ciues inibi, eâ quâ decuit reuerentiâ receptus, & in Curiam Parochialem introductus eſt. In omnibus quoq; miniſterijs toto inibi ſuæ tempore reſidentiæ, menſibus quinque, honeſta ſibi extitit prouiſio facta, vltra hoc, pulchris eundem donatiuis honorârunt; homagium ac honorem debitum eidem facientes, eumq; cum Militibus Domini Regis, qui Caſtrum *Heilsberg*, eiſdem per Vaſallos & Communitates Confæderationis, pro ſuo ſtipendio obligatum occupabant, ſuper eiuſdem dimiſsione foret in tractatu; Milites quidam tàm de Regis parte, quàm Magiſtri, vnanimes in perfidiâ, in principio Menſis Septembris, noctis tempore, clam oppidum, *Wormditt* tranſcenſis muris, intrando, propter incautam & remiſſam Ciuium cuſtodiam, id vincentes occupabant. In quo Dominus electus præfatus, in Auro, Argento, Clenodijſq; ac

Epiſcop. Paulus in Heilsberg receptus.

Tractat de reſtitutione arcis.

Interi Wormditum occupatur à Regijs & fratribus Ordinis.

veſti-

Ciuium negligentiâ.

vestibus plusquam in tribus millibus florenorum, de Camera, sustinuit damna. Erant namq; Ciues ipsi in culpa latissima, ex nimiâ enim superbiâ, & fatuâ præsumptione, Domini sui Electi, ipsis super his auisamenta in antea facta, temerè spreuerunt, nimiùm de suâ arrogantiâ præsumentes. Oppido sic obtento, Ciues bonis omnibus spoliati, nudi & vacui fugerunt, meritamque præsumptionis luunt pœnam, quia nec se prout decuit, erga Dominum suum Electum, in eiusdem susceptione, & prouisione, facienda exhibuerunt. Et sic quod honori detraxerunt, turpitudini cessit, Omnipotentis DEI permissione.

Qui bonis omnibus spoliati eijciuntur.

His sic actis, dum ipse Dominus Electus, cum Castrum *Heilsberg* occupantibus, super eiusdem dimissione, staret in tractatu, Ciues Oppidi *Gutstadt*, nutu Diuinæ pietatis, Regis Milites, qui oppidum ipsum occupauerant, Capitaneo eorum, *Resko* nomine, tunc apud eundem Regem constituto, residuos omnes viriliter expulerunt: ac pro Domino Electo mittentes, venientiq; intromisso, solenniter homagij & Fidelitatis præstiterunt iuramentum Anno Domini M. CD. LXI. ipsiusq; luctum consolator Optimus Deus, in gaudium conuertit. De Militum enim expulsorum relictis, in Equis, Armis, clenodijs, vestibus, ac Victualibus, bonam satis reperit prouisionem, in consolationem non modicam sui & suorum. Paucis postea diebus reuolutis *Resske* expulsorum Capitaneus, à Rege rediens, cum aliquibus de suis sic exclusis, ad Castrum & Oppidum *Scheburg*, quod tunc etiam Milites Regis occupabant se transferens, præfatum Dominum Electum & suos statim diffidauit. Ipse quoq; Dominus Electus, assumptis Ecclesiæ subditis, *Heilsberg* videlicet *Ressel*, *Gutstat*, *Vartemburg*, & *Bischoffstein*, Scultetisque Villarum aliquibus, ac paucis Vasallis Ecclesiæ eidem adhærentibus, in *Scheburg* vadens, fuit per Ciues in Oppidum intromissus, eundem quoq; *Resske* cum suis satellitibus, in dictum castrum ex Oppido fugientibus, potenter obsedit, septimanis viginti tribus; in quâ quidem obsidione, Capitulum vnâ cum Ciuibus Oppidi *Allenstein*, Domino Electo memorato, magnam assistentiam faciebat, vltrà marcas centum, bonæ monetæ exponendo. Quâ quidem durante obsidione, cum militibus Castrum *Heilsberg* occupantibus, tali fine conclusit, vt eisdem decem millibus florenis vngaricalibus, in auro, argento & monetâ Pruthenicali persolutis, idem Castrum cum suis attinentijs, Domino Electo spontê traderent, ac dimitterent recedendo; summâq; comportatâ, juxta præmissam conuentionem, & solutâ, dicti Castri obtinuit Possessionem An-

Gutstatenses Regio milite pulso.

Episcopum recipiunt.

Qui Oppidum Scheburg Vasallorum ope obsidet.

Capitulo quoque juuante.

no Domi-

no Domini M. CD. LXI. die verò penultimâ menſis Auguſti, quam pecuniæ ſummam pro majori parte; Eccleſiæ ſubditorum, contributione, & mutuò, & de Parochialium Eccleſiarum Clenodijs, comportauit, pro reſiduo, Pontificalibus Eccleſiæ impignoratis; ſtatimque poſt dicti Caſtri *Heilsberg* adeptam poſſeſsionem, in feſto videlicet S. Michaëlis, obſeſsi in Caſtro *Scheburg* Milites de hoc certificati, præmiſſo tractatu & concluſo, vt cum rebus ſuis liberè poſſent abire, Caſtrum ipſum præfato Domino Electo tradiderunt, ab inde recedentes.

Scheburgum per deijtionem recepit.

Anno Domini M. CD. LXI. die decimâ Menſis Septembris, in Oppido *Braunsberg*, Ciues quidam & Mechanici, pauci quidem numero, communiterq; Pauperes, plus DEI Omnipotentis ordinatione, quàm humanâ ratione, ruſticis aliquibus de villis adjacentibus, in domibus ſuis, ſucceſsiuè diebus præcedentibus, clam abſconſis, juſtitiæ zelo præcinctis, in *Bohemos* Regis Milites, qui dictum Oppidum vnâ cum Caſtro adjecenti, per intromiſsionem & traditionem cujuſdam Ciuis, occupabant, animoſè irruerunt, interfectis quibuſdam, nonnullis tranſmuros ſalientibus, reſiduos numerò quaſi centum captiuarunt, dictorum Militum Capitaneo *Ioanne Schalſki*, tunc apud Regem exiſtente; Quibuſdam etiam de Conſulatu, qui parti fauebant *Bohemorum* domus ſuas pro carcere deputantes, eiſdemq; mandantes ſub pœnâ Capitis, ne illas quouis modo egrederentur. Mittentes inſuper pro Domino Electo, venientem in octauâ Natiuitatis B. M. V. introducentes, ac ſolenniter Homagij & Fidelitatis, præſtito eidem juramento, omnes præfatos captiuos, necnon, Equos, Arma, Veſtes, Reſq; diuerſas, eorundem Capitanei & captiuorum, ipſi Domino Electo tradiderunt; habuitq; equos bonos vltrà centum, Armaq; Veſtes, & aliàs res pretioſas, æſtimationis non modicæ, abſq; rebus non vilioribus clam per Ciues retentis. Aliquos etiam de Conſulatu, communi populo plus exoſos, ac in eorundem *Bohemorum* intromiſsione plus culpabiles, Dominus Electus inde relegauit. Poſtea verò Domino Electo inibi adhuc manente, turbataſq; & effrenatas Ciuium mentes, ad limites reducere rationis, Oppidiq; regimen ſtabilire cupiente, *Ioannes Schalſki*, Expulſorum ac Captiuorum Capitaneus, qui Oppidum ipſum, quorundam Ciuium adhærentiâ, hæreditario jure cogitabat occupare, de ſuâ ſpe fruſtratum, ac de ſuorum dolens captiuitate, coadunatis ſibi quibuſdam Militibus, de parte Regis numerò ſexcentis oppidum ipſum, noctis

Braunsbergenſes Mechanici, Bohemos Ciuitate eijciunt & captiuant.

Conſulib⁹ domum pro carcere aſſignant.

Epiſcopum adducẽt, ei Ciuitatem cum Arce tradunt, & homagium præſtant.

Bohemorum bona eidem tradunt.

Epiſcopus Cõſules rebelles in exilium pellit.

Ioannes Schalski Braunsbergam recuperare nititur.

Noctu trecentis viris per muros immissis.

Sed profligantur à Ciuibus.

Multi interficiuntur.

Plures capiuntur.

Reliqui fugâ elapsi.

tempore, furtiuè recuperare nitebatur, inque nocte B. Andreæ Apostoli, de mane, horâ quasi quartâ, propter incautam & remissam Ciuium Custodiam & Vigiliam, cùm propter maximam ventorum turbinem, pluuiamq; continuam, tenebræ forent, nimiæ, dictus *Ioannes* cum Viris trecentis, muros clam transcensos, pro majori parte jam occupabat, multisq; militibus, intra Oppidum de muro jam dimissis, præsumebat se jam de victoriâ securum; sed non ita visum est Diuinæ pietati: nam ingenti tonitrui ictu, ciues excitati, validis Viribus, Manu Domini præcedente, in præfatos Milites maledictionis, animosè irruerunt, *Petrum Nossal* in *Wormditt* Capitaneum, hominem crudelissimum & iniquum, cum alijs viginti occidentes, vltrà quinquaginta captiuarunt, residui verò non per scalas, sed per casus transmuros festinantes, euaserunt fugiendo. In quoquidem conflictu Diuinæ pietatis auxilium, meritis & intercessione *B. Andreæ* Apostoli apparuit euidenter. Non enim humana dicta fuit expulsio, sed Diuina.

Cõmendator obsidet Castrũ Morung.

Capituli auxilio illud recuperat.

Capitaneũ hominem ingratissimum præficit.

Qui Allenstein territoriũ vastat.

Totũ se euersurũ minatur. Capitulo frustra intercedente.

Commendatore frustra promittente.

Anno Domini M.CD.LXI. in Mense Augusto, Frater *Henricus* de *Plauen* Commendator *Elbingensis*, Castrum & Oppidum *Morung* obsedit, in quâ quidem obsidione, Canonici in Castro *Allenstein* tunc existentes, eidem non modicum in hominibus & pecunijs, ab ipsorum subditis contributis, succursum faciebant, tàm diu vt Castrum & Oppidum ipsa, ab obtinentibus, per pacta dimissa obtinerent, quibus sic obtentis, præfecit ibidem in Capitaneum quendam *Extmannum* de *Kirchberg* assertum Comitem, Ordinis sui Fratrem, hominem iniquissimum, tyrannum, inhumanum; qui pro gratitudinis Vice, totum territorium *Allenstein*, quod fuerat reparatũ, miserabiliter vastauit, fuitq; Capituli subditis crudelior, quàm aliquis vnquã inimicus, & ad omnium Canonicorũ humilia scripta, nihil aliud respondere didicit, quàm se velle occidere, deprædari captiuare, & villas concremare, ita vt cùm Scopa totum territorium *Allenstein* deberet comportari: quòd vt dixit ita fecit. Post diuersa insuper scripta & quærelas Domino Magistro & Commendatori *Elbingensi* factas, nulla fuit dictis Pauperibus data securitas. Tandem ipse Commendator Anno Domini M.CD.LXII. feriâ quintâ post Dominicam Lætare, in Castro *Heilsberg*, inq; præsentiâ Domini Electi *Varmiensis*, promisit Decano Ecclesiæ Capituli nomine, ore & manu stipulatâ, sub bonâ Fide, se disponere velle, ne dictus suus Capitaneus, vlteriùs Capituli subditos, quouis modo damnificare seu molestare deberet; & hoc etiam scripsit

die insequenti de *Morung* suo sub sigillo, prout promiserat ordinasse. Sed nihil omninò fuit de præmissis obseruatum: nam proximâ feriâ sextâ, post Dominicam Palmarum, spoliauit idem Capitaneus Villas Capituli quatuor, & vnam concremauit, in quibus Villis recepit Equos XXV. quia dicti pauperes plures non habebant. Scripserunt Canonici Commendatori & rescripserunt, eundem sæpissimè super promissis suis requirentes, sed nullam dicti Pauperes restitutionem sunt assequuti, sed sine intermissione idem Capitaneus, Commendatore ipso in perfidiæ suæ testimonium minimè prohibente, villas Capituli concremauit & destruxit, pauperesq; spoliauit, ac inhumaniter pertractauit. Et dum Anno M. CD. LXII. in mense Septembri Capituli subditi; à præfato Capitaneo maledicto spoliati, cum Canonicorum literis, apud Commendatorem *Elbingensem* essent in *Morung*, & equos quibus fuerant spoliati, in Castro ipso, & in curribus Commendatoris repertos repetijssent; Commendator idem ipsis Pauperibus respondit, animo furioso, Etsi equi fuerunt vestri, nunc sunt mei; recedatis ab hinc in malâ horâ, Attendat quiuis, quàm fuerit hæc honesta responsio! immò iniquissima, attentis suis promissis, literisq; suo sub sigillo sigillatis! & quia iuxta tenorem suorum Priuilegiorum, tenentur Fratres ipsi, Ecclesiam cum suis subditis, ab injurijs & violentijs defensare. Et quamuis sine intermissione dicti Pauperes, Capituli subditi territorij *Allenstein*, eiusdem Capitanei continuis deprædationibus, & incendijs vexarentur, ipsiq; Canonici in Castro *Allenstein* existentes, Dño Magistro & Commendatori præfato scriberent vicibus iteratis, nunquam tamen fuit aliqua restitutio facta, nec aliqua data securitas, facto sed Verbo sufficiens, seu promissa, immò quantò plus scriberent, tantò peiora & crudeliora, idem Capitaneus diabolicus, pusillanimis & effæminatus nimis contra Ordinis sui Inimicos, dictis Capituli subditis, sine cuiusuis prohibitione, nequiter inferebat. Et Anno Domini M. CD. LXIII. In Vigilia Assumptionis Dei Genitricis Virginis gloriosæ, in Castro *Heilsberg*, ac in præsentia Domini Electi Ecclesiæ *Varmiensis*, dum Decanus Ecclesiæ præfatæ, cum Commendatore *Elbingen:* ibidem præsenti, super promissis & literis suis, per ipsius Capitaneum & Ordinis Fratrem, temerè eo dissimulante violantis, ac territorij *Allenstein:* tàm crudeli Vastatione verba miscuisset, & Dominus Electus diceret, se multùm admirari, quòd talem tyrannum pro Capitaneo sustineret; Respondit Commendator, quia multùm benè scit Castro

Villas spoliat & vnam concremauit.

Et alias plures postea.

Subditi spoliati, sua à Commendatore sibi reddi petunt.

Commendator inhumane respondet.

Contra fidem datam & Priuilegia Ordinis.

Canonici frustra intercedunt.

Decanus & ipse Episcopus apud Commendatorem instant.

Responsum indignum.

Commẽdator de nouo Indemnitatem promittit.

Sed horum nihil.

Territoriũ Allenstein vastatum,

Domino Episcopo In Gutstadt. Capitulo in Melsag, damna infert.

prouidere, Responsio sibi vtilis, sed non honesta, vt locupletetur cum iacturâ Pauperum, quos iniquus suis deprædationibus cogit fame interire. Idem tunc etiam Commendator, sponsiones suas & promissa, in antea verbo & scriptis sæpisimè factas, innouauit, firmiter promittens disponere velle, ne Capituli subditi, jam omninò destructi, plùs damnificari deberent. Sed nec istud, nec aliud vnquam Ecclesiæ à se promissum, curauit opere adimplere. Sed qui fregit fidem, facilè redibit in idem: Nam nihilominùs dictus suus Capitaneus, suam dictam exercet crudelitatem, spoliando Pauperes Capituli subditos occidendo, villasque comburendo; Et vt breuiter dicam, totum territorium *Allenstein* adeò destruxit & deuastauit, vt Anno Domini, M. CD. LIII. non possent Canonici, de eodem territorio habere de censibus, vltrà quatuor marcas; nec adhuc eiusdem Capitanei furiæ finis est; nam multa damna dictis Canonicis ingerit, quæ singula cum in dies fiant, enumerari non possunt; Fecit etiam idem Capitaneus maxima damna Domino Episcopo in Dominio suo, & signanter in *Gutstad*, & Capitulo in territorio *Melsag*, vti multas bonas villas spoliauit & concremauit, & in dies adhuc suam tyrannidem exercet, sine cuiusquam prohibitione, Commendatore præfato dissimulante, seu veriùs ea fieri ordinante. Magister præterea sæpiùs nuntiis & scriptis requisitus, nullam vnquam effectualem, pro emendatione, fecit diligentiam. Dura erunt hæc ad audiendum apud posteros, & ad credendum difficilia; sed proh dolor, nimis vera.

Magister cum auxilio Braunsbergensiũ obsidet Ecclesiã Varmiensem.

Intentione peruersâ.

Anno Domini M. CD. LXII. In Mense Iulio, Dominus Magister cum Militibus suis, & Ordinis sui Fratribus, adjunctis eisdem aliquibus Ecclesiæ subditis, & signanter de *Braunsberg* Viris trecentis, Ecclesiam Cathedralem *Varmiensem*, in honorem Virginis MARIÆ consecratam, per *Bohemos* Regis milites, per *Braunsbergenses* inibi introductos, incastratam, in stabulum bestiarum, coquinariumq; ac lupanar ignominiosè redactam, potenter obsedit, eâ (vt asseruit) præcipuâ intentione, vt illam ab omni spurcitiâ emundatam, cultui Diuino restituerent; Quam quidem Ecclesiam, Diuinâ suffragante pietate, interuentu Virginis gloriosæ, Patronæ Ecclesiæ memoratæ, leniter obtinuisset, si ipse & qui secum erant Fratres & milites, sinceram intentionem, & firmum ad Diuini Cultus augmentum zelum in Domino habuissent. Sed cognouit Scrutator cordium non sinceram obsidentium voluntatem, qui ipsam Ecclesiam obtentam, pro-

ponebant

ponebant rurſus incaſtrare, & in eadem peiora fortaſsis prioribus perpetrare; Quare miſit Dominus diſſenſionis ſpiritum in eoſdem, vt inter ſe ſuper Capitaneatu Eccleſiæ ipſius, nondum obtentæ, diſceptarent, & ſic ſubortâ diſcordiâ, Commendator *Elbingen.* ſæpiùs memoratus, diſcordiæ eiuſdem origo, primò, deinde reſidui omnes, vnâ cum Domino Magiſtro, non abſque verecundiâ, & ſequenti jacturâ non modicâ, nemine fugante, receſſerunt ſine ordine. Et poſt dictam obſidionem diſſolutam Vaſſali, Communitas, & Milites, Regis partem confouentes, magnam audaciam & proſperitatem, in factis ſuis receperunt, Pars autem Magiſtri & Ordinis ſui effæminata & deſes, nihil boni faciebat, peruerſæ ſuæ voluntatis condignam luens vltionem.

Vt potiùs Eccleſia commodum habeat.

Ante obtétam Capitaneum deſtinat.

Soluitur obſidio Eccleſiæ.

Anno Domini M. CD. LXIII. die decimâ tertiâ Menſis Februarij, quæ fuit dies Veneris ante Dominicam, Eſto mihi. Reuerendiſsimus Pater Dominus *Hieronymus* Archiepiſcopus Cretenſis, per Sanctiſsimum Dominum Pium Papam ſecundum, cum poteſtate Legati de Latere, ad Pacem inter Dominum *Poloniæ Regem*, Vaſalloſque ac Communitates Confæderationis terræ *Pruſſiæ* parte ex vnâ, Magiſtrumq; & Ordinem ſuum partibus ex alterâ reformandam, & differentias Confæderationis occaſione ſubortas ſopiendas, ad partes præfatas deſtinatus, per *Regnum Poloniæ*, iter ſuum dirigendo, venit in Caſtrum *Allenſtein*, ibidemq; honeſtè prout decuit ſuſceptus, & die ſequenti in *Heilsberg* conductus eſt; vbi per Dominum *Paulum* Electum Epiſcopum honorificè ſuſceptus, & diebus aliquot ſplendide conuiuatus pretioſis donis honoratus eſt, in valore centum florenorum: qui conſequenter Dominum Magiſtrum in *Königsberg* viſitauit, ac ſuis cum eodem finitis colloquijs, ad Dominum Electum in Caſtrum *Heilsberg* remeauit; indeq; progrediens, venit in *Allenſtein* die decimâ quintâ Aprilis, vlteriùs ad Conuentionem, Prælatorum, & Conſiliariorum Dominorum Regis & Magiſtri, Vaſallorumque ac Communitatum Confœderationis præmiſſorum, in Oppido *Brzeg* Regni Poloniæ, ad feſtum S. Georgij præfixum, profectus eſt. In quâ quidem Conuentione, idem Dominus Legatus, inconſultè, durè nimis contra Regni *Poloniæ* Prælatos & Confæderationes Communitatis inuehendo, tractatus Pacis, adeò perturbauit, vt poſtea Dominus Rex cum ſuis, & Confæderati, præfatum Dominum Legatum ad tractandam Pacem, tanquam vehementer ſuſpectum, admittere omninò recuſarent; Si in primo manſuetè procedens, paci congruos tractatus habuiſſet, ſpes erat, communiter vtriuſq; partis, omni-

Archiepiſcop. Cretēſis Nuntius Apoſtolicus venit in Pruſſiam.

Propter componendas differentias.

Alleinſteinum venit.

Heilsbergam.

Regiomōtem.

Redit Alleinſteinum.

Poſtea Brigam ad conuentum deputatorum.

Vbi ſe partialē declarat.

Eum Rex ad tractatus ampliùs non admittit.

bus discordiis sopitis, ipsum pacis sibi Auctore afsistente, indubiè Pacem reformasse. Et sic rebus infectis recedere coactus est, iuitque in Ciuitatem *Vratislauiensem*, magnam apud Regem, Regnique Prælatos instantiam faciens, vt ad Tractatus Pacis posset admitti, quod tamen suspicionum objectu, minimè potuit obtinere.

Vratislauiam concedens se admitti frustra petit.

Anno Domini M. CD. LXIII. in festo *S. Ioannis Baptistæ* Dominus Magister Stipendiariis suis (vt asseruit) solicitantibus, Dominum *Paulum* electum & confirmatum Episcopum Ecclesiæ *Varmień.* in Oppidum *Bartstein* vocando ad dietam, solicitè institit apud eundem, vt neutralitati, quam ex *Domini Papæ* Commifsione, ac vtriusq; partis contendentis, Regis videlicet & Magistri consensu, tàm diu tenuit abjecta seu remota, partem Magistri assumere vellet; subjungens quòd Stipendiarii sui, omninò conclusissent, dictam à modo neutralitatem nolle tolerare, sed aut expressus esset Inimicus, aut Amicus. Erant enim omnes Milites præfati, concordes & vnanimes, prout ipse Dominus Electus secretè fuerat auisatus, quòd nisi se pro parte Domini Magistri declararet, ipsum omnes diffidare, ac Dominium Ecclesiæ inuadere, segetes in campis destruere, ac omnia vellent deuastare. Vnde Dominus Electus in validâ perplexitate constitutus, dilationem deliberationis, vsque ad festum *S. Iacobi* obtinuit postulatam. Quo quidem termino, iterùm in *Bartenstein* Dominis, Magistro & Electo constitutis, Dominus Magister præpetitam declarationem, cum instantiâ postulauit; Dominus verò Electus, vnâ cum aliquibus de Capitulo suo, nonnullisq; Vasallis ac Oppidanis suis, multas causas rationabiles, & validifsimas, quare neutralitas sibi suisque expediret, impedimenta etiam, quare se declarare non posset allegauit.

Episcopus à Magistro Bartsteinum ad dietam vocatur.

Magister instat vt Episcopus declaret se pro parte suâ in Bello.

Episcopus dilationem ad deliberandum postulat.

Quòd se declarare non posset probat rationibus.

Prima.

Primò, Quòd Sanctifsimus Dominus Papa *Pius II.* in suo à Curiâ recessu, seriò ei commisisset, vt in Dominio Ecclesiæ suæ residens, nullatenùs faceret se in Bello partialem, cui commifsioni contrauenire non posset ne de inobedientiâ notaretur.

Secunda.

Secundò, Quòd vti ex Legati Sedis Apostolicæ, ad Pacem reformandam, inter Dominos, *Regem Poloniæ*, & Magistrum, per Dominū Papam ad has partes destinati, relationem percepisset, idem Dominus Papa dicto Legato commisit, vt in Tractatu Pacis, sibi Dominum Electum haberet adiunctum, ipsius quoque consilio potiretur, quod post factam declarationem, cùm se fecisset Partialem, fieri non posset.

Tertia.

Tertiò, Quòd Dominus Rex, Sanctifsimi Domini Papæ, au-

dita

dita Domino Electo de Neutralitate ſeruanda, factâ Commiſsione, de eadem contentus, eidem Domino Electo, ad partes *Pruſſiæ* & Dominium Eccleſiæ fauiſſet ingreſſum; Quòdq; idem Dominus Electus, Domino Regi, in dicto ſuo ingreſſu promiſiſſet, quòd de Caſtris & oppidis Eccleſiæ Varmienſis, tunc Domini Regis partem fouentibus, recuperatis, eidem Bellum mouerè non ſineret.

Quartò, Quòd Dominus Magiſter, in primo ingreſſu, Dominium Eccleſiæ, Domini Electi præfati; ac auditâ Domini Sanctiſſimi Papæ *Pij II.* ſibi factâ Commiſsione, de dictâ Neutralitate fuit contentus. Quarta.

Quintò, Quòd ſub eiuſdem Neutralitatis contextu, Caſtra & Oppida Eccleſiæ omnia, per partem Domini Regis occupata, recuperaſſet, de quibus Domino Magiſtro & ſuis, nullum Bellum, nec pericula prouenirent. Quinta.

Sextò, Quòd pretioſiora Eccleſiæ Clenodia, nec non Pontificalia, Libri reſq; diuerſæ, eſſent in Oppidis *Gdanſk* & *Elbing*, quæ Domini Regis fouerent partem, quæ omnia in euentum declarationis præfatæ, in Eccleſiæ notabile damnum, perditionis periculo ſubjacerent. Sexta.

Septimò, Quòd Eccleſiæ Dominium, inter terras quas Dominus Magiſter recuperaſſet, & eas quas adhuc Domini Regis pars occupabat, conſiſteret in medio, caſu ergò quo ſe Dominus Electus, pro parte Domini Magiſtri & Ordinis ſui declararet, totum Belli pondus, ſibi & Eccleſiæ ſuæ ſubditis immineret, ad quod pondus ſufferendum, ipſe cum ſuis non ſufficeret. Septima.

Sed præmiſsis omnibus, aliiſq; vrgentibus cauſis allegatis, minimè ſuffragantibus, ſeu admiſsis; coactus fuit Dominus Electus, vt maiora proximè imminentia pericula euitaret, pro parte Domini Magiſtri ſe declarare. Et vt ita fieret, Eccleſiæ Oppida voluerunt, & ſignanter *Braunsberg*, poſtea *Heilsberg; Reſſel, Gutſtadt, Scheburg, Wartemburg, Biſchoffstein*, maximè hoc attento, quòd per Domini Regis Milites, intollerabilia dietim damna ſuſtinerent, & præcipuè *Braunsbergenſes* à *Ioanne Schalſki*, qui in animæ ſuæ diſpendium, Eccleſiam *Varmienſem* incaſtratam occupabat; Nec eoſdem iuſtiſsimæ, ac multiplices de ſtando juri, coram Domino Rege, ſcriptis & Nuntiis, per Dominum Electum factæ accuſationes, potuiſſent in aliquo releuare; Fueruntq; ſuper præmiſsis, Declaratione & Concordia, Pactiſque literæ conceptæ, quibus fuit competenter Eccleſiæ, de indemnitate prouiſum, ſi ſaltē fuiſſent firmiter obſeruatæ. Quas

Coitur Epiſcopus ſe pro parte Magiſtri declarare.

Incitantibus Ciuitatibus.

Conficiuntur diplomata quibus indemnitati Eccleſiæ cauebatur.

quidem

quidem Literas, Dominus Magister, Commendator *Elbingenses*, & certi alii Commendatores & Ordinis Fratres, in Concordia nominati, Militumq; Capitanei, quilibet cum tribus suæ Legionis Senioribus juxta compactata, deberent Sigillare. Promisit insuper idem Dominus Magister, omnibus præsentibus, in dictâ Conuentione annuentibus, se immediatè post declarationem eandem, suis cum Fratribus & Militibus, campum facere velle, aliquas inimicorum munitiones obsidere, & Ecclesiæ terras fideliter defensare.

Hucusq; Historiæ suæ seriem perduxit Ioannes Plastuig, Decanus & Canonicus Varmiensis: quæ verò sequuntur, sunt annotata per Reúdum Dñum Ioannem Cretzmerum Decanum ibidem & Canonicum Varmiensem.

Decimus Quintus EPISCOPVS NICOLAVS de TVNGEN.

PAulo de *Legendorff* vitâ functo, nondum compositis rebus, *Nicolaus* de *Tüngen* â Capitulo *Varmiensi* eligitur. Sub hoc Pontifice, Bellum cum *Serenissimo Rege Poloniæ Casimiro* instauratur, ob Ecclesiæ libertatem defendendam; *Regius* Exercitus *Prussiam* ingressus, *Wormdidt* & *Gutstadt* intercepit, & Oppidum *Heilsberg* Anno M. CD. LXXIX. in Septembre obsidione cinxit, sed frustra: Multis enim æquis pacis conditionibus, bellum pace mutatur; *Nicolao* Ecclesiam reliquo tempore, optimè gubernante. Obiit autem hic, in Arce *Heilsberg*, 14. die, Mensis Februarij, quæ est dies *D. Valentini*, Anno Domini M. CD. LXXXIX. Sepultus *Frauenburgi* quiescit.

Decimus Sextus EPISCOPVS LVCAS WEISSELROT.

NIcolao demortuo *Lucas Weisselrod*, alias dictus de *Allen Thorunienfis*, in Episcopatum succedit, legitimè à Canonicis electus, & à *Pontifice* confirmatus, qui multa cum laude dùm viueret administrauit. Defunctus est *Thoruniæ* in Patriâ suâ, Dominicâ Iudicâ Anno Domini M. D. XII. Corpus Sepulturæ apud Ecclesiam *Varmiensem* traditum.

Decimus

Decimus Septimus EPISCOPVS FABIANVS de LVSIANIS.

LVcam *Weisselrod*, sequitur in eadem dignitate, *Fabianus* de *Lusianis*, Vir non indoctus. Sub hoc Episcopo bellum inter Serenissimum *Sigismundum Poloniæ Regem*, & *Albertum Marchionem Brandeburgicum*, Magnum Ordinis tunc *Teutonicorum Magistrum*, cum magnâ huius terræ, & præcipuè Episcopatûs deuastatione geritur; Anno M. D. XX. Fractis rebus Ordinis, fiunt Induciæ ad quadriennium, vt interim comparato belli neruo, & collectis militibus Ordinis, bellum renouetur. Hoc vbi parùm juxta voluntatem procedit, interueniunt Tractatus. *Albertus* hortatu suorum, Crucem nigram, Ordinis sui insigne, cum ipsâ Religione, deposuit, & ditionem Fratrum, in Feudum, à Serenissimo *Sigismundo Rege* accepit, ejusq; fidem & obedientiam, *Cracouiæ*, in Celeberrimo totius Regni Conuentu, confirmauit, interponens Iusjurandum. Hæc in eâ Vrbe gesta sunt *Sabbatho* Vigiliæ *Palmarum*, quæ dies octaua fuit Mensis Aprilis. Anno M. L. XX. V. Cæterùm *Fabianus* Episcopus, de quo supra dictum est, cùm hæc fierent, è viuis sublatus erat. Mortuus est enim in Arce *Heilsberg* 30. Mensis Febr: Horâ II. Diei Anno M. L. XX. III. Ecclesiam Orbatam post tot belli inceptiones, in magnis periculis relinquens. Tumulatus in Ecclesia *Varmiensi*.

Decimus Octauus EPISCOPVS MAVRITIVS FERBER.

POst obitum *Feliciani*, Capituli consensu, ad eum dignitatis gradum, *Mauritius Ferber* Gedaneñ. prouectus videtur in quo constitutus, multis curis & solicitudinibus Ecclesiæ vi ablata bona recuperare, desolata nouis Agricolis locare, diligens fuit. Cùm verò inter *Polonos* & *Pruthenos*, depositis semper nouorum armorum terroribus, Pax firma constituta foret, sub hoc Pontifice, de innouanda Moneta agi cœptum est; vt æquabilis in toto Regno cuderetur. Hic an sua quenquam commoda damnaue promouerint; ignoro. Dum hæc geruntur, quæ ad Publicam vtilitatem pertinere videntur, *Sambienses*

Rustici cum nonnullis aliis rebellare cæperunt, quorum motus facilè *D. Marchio Albertus Dux in Prussia* compresit, duci iussis ad supplicia Authoribus, sequuta est festa tranquillitas in aliquot Annos sequentes, quibus *D. Mauritius* Ecclesiæ suæ Bonus Pastor præfuit. Hic migrauit à sæculo Die I. Iulij. Horâ tertiâ Matutinâ Anno 1537. Appositus est ad Prædecessores suos in Ecclesia *Varmiensi*.

Decimus Nonus EPISCOPVS IOANNES de CVRIIS.

IOannes de *Curijs*, priùs Episcopus *Culmensis*, *Dantiscus* à Patriâ Vocatus, I.V.D. Canonicus *Varmiensis* & *Alexandri*, *Ioannis Alberti*, & *Sigismundi Poloniæ Regum*, Secretarius & Orator ad *Maximilianum Tertium*, *Carolum V.* Imperatores, *Ferdinandum Bohemiæ Regem*, *Venetos*, *Pontificem Maximum*, ijsq; tàm claris Legationibus per multos Annos,& cum laude perfunctus, Orator & Poëta præstans, post *Mauritium*, ab Episcopatu Culmensi Anno 1537. ad Varmiensem postulatur : Quem cùm annis vndecim administrasset, Anno Christi 1540. Vitâ functus, & in Cathedrali Ecclesiâ sepultus est.

Vigesimus EPISCOPVS TIDEMANVS GISIVS.

TIdemanus *Gisius Gedanensis*, Custos & Canonicus *Varmiensis*, Parochus Gedanensis, cùm priùs ipse quoq; fuisset per aliquot Annos Culmensis Episcopus, Homo literatus, disertus, & doctus. sed non vsquequaque in Religione Catholicâ sincerus, quod scripta eius demonstrant, quæ tamen in lucem edita non sunt, ad Episcopatum *Varmiensem* prouectus est, cui præfuit non totos duos Annos, Septuagenarius mortuus est Apoplexiâ, Anno 1550. die 4. Octobris.

Vigesimus Primus EPISCOPVS STANISLAVS HOSIVS.

STanislaus *Hosius* postea Sacræ Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, *Patre Vlricho consule*, apud Regem *Sigismundum* honorato & gratioso

gratioſo *Cracouiæ* ortꝰ, & in Acad: Crac: educatus, I. V. D. & Secretarius Regius: Cùm in Cãcellaria & in cõſeſſu Iudicũ Regiæ Curiæ, aliquot annis honorato ſtipendio conductus conſediſſet laudabiliterq́; ſe geſsiſſet; Legationes ad Carolum & Ferdinandum Fratres, Culmenſis Epiſcopus deſignatus dextrè obiit. Inde ad Varmienſem Epiſcopatum tranſlatus, & à *Pontifice Maximo Paulo IV.* euocatus, in Aula Pontificia vitam egit. Ad extremum à *Pio IV.* inuitus factus Cardinalis S. R. E. Sacro Concilio Tridentino, nec non Pœnitentiæ Apoſtolicæ præfuit, Extant ejus nonnulla Opuſcula, inter quæ præcipuum eſt, Fidei Catholicæ Cõfeſsio, vicies plus minùs diuerſis locis edita, & per totum Orbem Chriſtianum cum ſumma laude diuulgata. Obiit in Caſtello Capranica febri grauiſsimâ enectus; Funus ejus Romam deportatum, in Templo *Sanctæ MARIÆ trans-Tyberianæ* (cujus titulum ad extremum obtinebat) ſepultum eſt Anno 1579. die 5ta Menſis Auguſti. Epiſcopatui partim ſolus, partim cum Coadiutore Reuerendiſsimo Dño Martino Cromero præfuit Annis 37. Vir Pijſsimus Caſtiſsimus & egenorum Pater.

Vigeſimus Secundus EPISCOPVS MARTINVS CROMERVS.

MArtinus Cromerus Biecenſis I. V. D. & Theologus excellens, nec non Cracouienſis Canonicus, Cantor Varmienſis, à *Cardinali Hoſio* cum quo familiariſsimè vixit, Coadiutor expetitus, ſingulari *Sigiſmundi Auguſti Regis* ſtudio prouectus, & ſummâ Pontificis Maximi, & Cardinalium conſenſione renunciatus, Epiſcopatum compluribus Annis adminiſtrauit. Deinde Anno Dñi 1579. *Hoſio* vitâ functo, in Epiſcopatum ſucceſsit, Paſtor non indiligens. Iuuenis ſtipendio Regis conductus, ijſdem quibus *Hoſius* in Aula muneribus functus. Inde apud *Pontificem Maximum Paulum III.* publicè Obedientiam nomine Regio detulit. Apud *Ferdinandum autem Cæſarem*, decies interpolita, ac deindè Vndecimam perpetuâ in Septimum Annum Legatione perfunctus; gratioſus apud eum & Liberos eius fuit. Inter Pacificatores *Sueciæ* ac *Daniæ* Regum, Regis Poloniæ nomine, Principem locum tenuit. Nihilominùs in illis Peregrinationibus & Actionibus ſuis publicis, ſtudia

doctrinæ & Theologiæ non post habuit. Extat Opus Dialogorum eius, de vera & falsa Religione, Catecheses Latinè Polonicè & Germanicè editæ. Itemq; Libri Triginta de Origine & Rebus gestis Polonorum, & Duo Descriptionis Poloniæ, Morumq; Magistratuum & Institutorum latinè, præter alia quædam minutiora. Obiit assumpto *Coadiutore Andreâ Bathoreo Transyluano, Stephani Regis ex Fratre Nepote, S. R. E. Cardinali.* Anno Domini 1589. 23. Martij Ætatis suæ 77.

Vigesimus Tertius EPISCOPVS ANDREAS BATHOREVS.

ANdreas Bathoreus S. R. E. Tituli Sancti Angeli Diaconus Cardinalis, Laudatissimi *Stephani Poloniæ Regis*, ex Fratre Nepos, egregiis animi & corporis dotibus præditus, mortuo Episcopo Cromero, Ecclesiæ Varmiensi feliciter præfuit: & gloriosè mortalem vitam in immortalem commutauit.

FINIS.

Incidit in manus nostras antiquissimus Liber M. S. *De Officialibus Curiæ Reuerendissimorum Dominorũ Episcoporum Varmiensium: in cuius calce adiecta erat sequens Historia: quæ quoniam ad seriem Episcoporum pertinere videtur; eam in gratiam Lectoris hic inserendam putauimus.*

NICOLAVS HOGENBERG, Nominatus Episcopus Varmiensis.

POst obitum *Reuerendissimi Patris Domini Hermani* piæ memoriæ, Dominus *Ioannes Streiffrock* qui fuit suus Vicarius ad Viginti Annos, ad Vltimum Canonicus Ecclesiæ fuit electus Iuridicè; qui transiens cum duobus Canonicis ad Curiam Romanam, assumens secum tres Familiares pro nutu suo, inter quos erat *Nicolaus*, qui fuit Camerarius suus, filius cuiusdam Militis nomine *Gerke Prutheni*, de allodio Hogenberg. Qui cùm venientes ad Curiam pararent se cum literis Electionis, & cum aliquibus muneribus, Idem *Nicolaus* qui fuit

studens

ſtudens *Pragenſis*, munera portauit ad Palatium Papæ, offerens ſanctiſsimo. Præſentatis Literis & inueſtigatâ causâ, Dominus Sanctiſsimus fecit verbum Electo dicens; iſte Puer cuius idiomatis eſt? Electus reſpondit, *Pruthenus*, Papa immediatè protulit hæc verba; ô Sanctiſsime Deus, ſunt iſti *Pruttheni* tàm benè diſpoſiti! Nobis autem dictum eſt, quòd eſt Populus deformis & indiſpoſitus. Scitne puer iſte Literas? adiecitque Papa. Fili ſcis literas? immò Sanctiſsime. Afferatur Liber. Fili lege: Intelligis tenorem ſcripti? reſpondit immò, & expoſuit. Modico interuallo interpoſito, Papa loquebatur Electo; Domine Electe, ſcitis vos linguagium iſtius terræ? Qui reſpondit Non. Papa. Et quomodo poteſtis intelligere Populum? Tum reſpondit. Per Interpretem. Papa. Durum eſt informare Populum per Interpretem. Eſt noua plantatio, neceſſe eſt, vt haberetis plures in ſuo linguagio, Dominus DEVS omnipotens miſit Diſcipulos ſuos in vniuerſum Mundum, inſtinctos Spiritu Sancto, ſcientes omnia genera linguarum, qui multum fructum attulerunt. Poſt paululum dixit Papa Electo; Iſte puer ex parte Idiomatis, dignus eſt iſtâ Eccleſiâ, & dixit Fili iſtam Eccleſiam conferimus tibi, & committimus populum eiuſdem in animam tuam. Et receſſerunt de Palatio. Idem Nicolaus videns Dominum ſuum tribulatum & anguſtiatum, dùm eſſet in Hoſpitio, dixit hilari vultu, Domine Venerabilis nolite triſtari ad verba hæc. Quamuis Dominus Optimus reſpexit me, & Sanctiſsimus Papa, cum iſta Eccleſia, quâ ego non ſum dignus. Ergo reſigno Veſtræ Paternitati. Spero in Deum, quòd Paternitas Veſtra, meam humilitatem & voluntatem non obliuiſcetur. Qui reſpondit humilitatis & voluntatis tuæ memor ero diebus vitæ meæ. Alterâ die redierunt ad Palatium Papæ, vbi Nicolaus flexis genibus, & cancellatis manibus, retulit grates Sanctiſsimo, & reſignauit ſibi Eccleſiam collatam, petens humiliter, quatenus Dominus Electus ſuus confirmaretur. Sic Dominus Sanctiſsimus annuit, & confirmauit Electum, juxta Electionem Literarum. Et ibi tunc temporis fecit Sanctiſsimus & dedit Statutum & mandatum Eccleſiæ *Varmienſi*. Quòd Ordinarius Duodecim *Pruthenos* Iuuenes, deberet educare in ſuo Caſtro *Heilsberg*, ſub ſuo ſtipendio eos prouidere & promouere, & de ſubſequentibus curam de ſuper habere, vt Populus habeat aliquot Clericos in fide informatos. Et idem *Dominus Streiffrock* mandatum prædictum, in ſua reuerſione de facto

compleuit, in rei indicium *Castrum Heilsberg* exponens, fundauit Scholas in fossa vel in celario coquinæ, vbi adhuc apparent ostia & fenestræ, fideliter continuans diebus vitæ suæ. Similiter Dominus Successor suus *Henricus Sorbom, & Henricus Heilsberg & D. Ioannes Abesier*, vsq; ad mortem eorum fideliter continuauerunt. Similiter & Canonici tunc temporis. *Sed Dominus Franciscus* dissipauit, volens *Pruthenis* aliter subuenire, Impetrauit quandam gratiam *à Sanctissimo Papa Martino* amoris dati pro *Pruthenis*, vt omnes Ecclesiæ vbi essent *Prutheni*, deberent conferri linguagio *Pruthenicali*; Et cessauit istud Mandatum quasi ad quinquaginta Annos, vnâ cum Canonicis vsque ad præsens tempus.

SCHOLIVM.

QVicunq; est narrationis huius Scriptor, post Hermannum, *Ioannem Striffrock* ponens, á verò aberrauit: quandoquidem ex Annalibus euidentissimè comprobatur, *Ioannem Misnensem, non Ioannem Striffrockium, Hermano in Episcopatu* successisse: Aut si errorem scriptoris excusare volumus, in librarium culpa reijcienda erit, qui *Ioannis* nomini inhærens, in cognomine lapsus, pro *Misnensi, Striffrockium* posuit. Vel certè *Historiæ* fides vacillat. Nec enim probabile est *Innocentium VI. Pontificem* Viro maturæ ætatis à Capitulo legitimè electo, Iuuenem laicum præponere, & ad Ecclesiæ gubernacula admittere voluisse; solius Idiomatis intuitu; qui non potuit ignorare, ad plantandam in *Prussia Christi Fidem*, Episcopos etiam ex ipsa Pontificum Aula, diuersæ nationis & linguæ, per suos Prædecessores missos antea in *Prussiam* fuisse. Sed & illud non quadrat *Ioannem Striffrockium Hermani Episcopi* ad viginti annos Vicarium fuisse: quandoquidem *Hermannus* duodecim tantum annis in Episcopatu vixit, quibus etiamsi addantur quinque, quibus *Ioannes Misnensis, Hermanni* Successor Ecclesiæ præfuit, neq; tamen numerus hic Viginti annorum constabit. Curia etiam Romana, ad quam *Striffrockium* profectum scribit, non *Romæ* sed Auenione tunc fuit. Verùm tamen horum omnium fides penes Auctorem esto.

VITA

VITA SANCTI ADALBERTI II. PRAGENSIS EPISCOPI,

Et poſtea

ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS,

Ex monumentis & annalibus Archiui Sedis Epiſcopalis Varmienſis, atq; ex Majorum traditione.



S*Anctus Adalbertus* natione *Bohemus*, cùm generis ſplendore, tùm vitæ Sanctitate, atque doctrinâ (Diuinitùs tamen infuſâ magis, quàm labore acquiſitâ) nobiliſsimus *Pragenſis* Epiſcopus, & Gneſnenſis Archiepiſcopus à primis pueritiæ Annis, Diuinum Numen ardenti coluit animo. Ad Epiſcopatum inde promotus, in cuius adminiſtratione ita ſe geſsit, vt nullum Vigilantis Paſtoris officium, in ſe deſiderari pate-

ri pateretur. Sed quia acris fuit, tùm criminum censor, tum Cleri reformator, tantum contra, se Nobilitatis nimiùm licenter viuere assuetæ, & Cleri concitauit odium, vt truci contumaciâ, ipsius præceptis, se palam opponerent, eoq; suâ proteruiâ Virum Sanctissimum impellerent, vt ad extremum cùm docendo, monendo, castigando nihil proficeret, Populi concione publicè conuocatâ, Episcopatum spontè deponeret, Romamq; secederet, vbi in Monasterio Sancti Gregorii monasticam viuens vitam, Septennium transegit. Verùm crescente interim in Bohemia summa omnium licentiâ, à Bohemis ipsis per Legatos, à Pontifice Maximo (is tùm fuit Gregorius V.) repetitur; Pontifex facilè annuit. At verò Vir Sanctus memor peruicaciæ, quam ante fuerat expertus, antequam remitteretur, illud primùm à Pontifice & petiit & impetrauit, vt si duræ ceruicis *Bohemi*, spretis pij *Pastoris* monitis, ad ingenium rediret, in ijsdemq; sceleribus quibus priùs incorrigibiles permanerent, liceret sibi circumuicinis Infidelibus Populis, Euangelium Christi prædicare. His ita gestis *Pragam* reuersus honorificentissimè excipitur. At non multò post, cùm eadem diligentiâ, quâ priùs vitia publicè redargueret, pertinaci genti exosior etiam quàm antea factus, iterùm Clero rebelli, & Populo inobedienti & contaminato nuntium remittit, Bohemiamq; deserit: & vt erat propagandæ fidei Christianæ studiosus, in Vngariam primùm abiit; vbi *Stephanum* Regem cum multis Vngaris, ad fidem Christianam conuertit. Inde *Poloniam* peragrauit, & veluti inuictus belli Dux, omnibus factus omnia, non ita multò ante ad Christum conuersos, passim confirmauit, & ad constantiam hortatus est. Interim in amicitiam *Boleslai Chabri Polonorum Ducis* venit, ab eoq; tanquam Vir Deo charus, & multâ pietate, multâque doctrinâ præditus, in magno habitus est honore, eiusq; monitu cæpit consilium in *Prussiam* eundi, ad submittendum Euangelio barbaram, plenamq; inimicorum Christi, regionem. Dicitur promisisse *Boleslao*, de suo ad ipsum reditu, se omninò siue viuum siue mortuum, Gnesnam (ea illis temporibus Ducum Poloniæ sedes communis fuit) ex *Prussia* reuersurum. Itaq; nihil moratus, primùm Gedanum in Pomeraniam contendit: vbi plerosq; reperit Christianam profiteri Religionem, vacillantes in fide ad constantiam inuitauit. Inde per maritimam peninsulam Neringam profectus Anno Domini 997. principiò in eam Prussiæ partem appulit, quæ Sambia vocatur, quæque *Luxeto* tunc *Prussorum* Sambiensium Duci, (quem Patriâ linguâ *Kongen* Vulgô vocabant) parebat.

Hic

Hîc varia agitat conſilia vt *Pruſſos* à Dæmonum culturâ ad fidem Chriſtianam traducat, tentauitq; omnia, vt quod conabatur efficeret. Primùm *Luxetum* adit, comitatus duobus ſui Ordinis Monachis *Benedicto* & *Gaudentio*, indiuiduis ſuæ peregrinationis comitibus, Viris & ipſius vitæ Sanctitate & doctrinâ admirandis. Illi aperit aduentûs ſui cauſam, petitq; facultatem ſibi dari, *Pruſſis* verum Deum Deiq; Filium prædicandi : graui etiam oratione conatur *Luxeto* ipſi perſuadere, vt & ipſe nomen det Chriſto. *Luxetus Princeps* alioqui minimè malus, nec ciuiliter omninò imprudens, *Sanctum Adalbertum* de Chriſto perorantem, non inuitus audiuit: Verùm ei reſpondit; vnicus ſum homo. Si tibi poteſtatem facerem in Ditione mea, contra ſacroſanctam Deorum immortalium religionem prædicandi Chriſtum, non tantùm Rempublicam totam perturbarem, verùm etiam & me, & Te, magno capitis periculo inuoluerem. Nihilominùs tamen, ſe primùm omnium ad *Kirwaidum* (ita enim ſupremum ſuorum ſacrorum Antiſtitem, cuius ſumma apud *Pruſſos* gentiles erat Auctoritas, appellârunt) relaturum, ac de eius conſilio & ſententiâ ſe id tandem facturum, quòd è Republica eſſe videretur. Interea in ſuâ Ditione vbicunq; vellet commoraretur. Sic *Sanctus Adalbertus* à *Luxeto* digreſſus, in vicinam Syluam quercinam, ad littus *Maris Balthici* conceſsit, ibique cum Fratribus Comitibus ſuis, quotidie preces horarias religiosè recitauit, & ſacrificium Miſſæ deuotè peregit. Krywejto

Non multis interiectis diebus, venit reſponſum à *Kirwaido* ad *Luxetum* in eam ſententiam ſcriptum; *Non eſſe adeò ſe mucoſis naribus vt non olfaciat, quorſum tendat iſta noua Crucifixi Dei prædicatio, nimirum, vt Poloni perpetui Pruſſici nominis hoſtes, cùm aliâ non poſſint, vel hac ratione, Republicâ Noſtrâ perturbatâ, Nos in perpetuam ſeruitutem redigant. Quare ſi ſaperet, non permiſſurum illis, vllam in Pruſſia, vel prædicandi vel commorandi facultatem. Inſuper idem Kirwaidus ſubmiſerat Primarios quoſdam Waydelottos (nomen id erat Sacrificulorum Gentium) magnâ ſtipatos famulorum turbâ, vt Sanctum Adalbertum cum ſocijs, vel inuitum ex Pruſſia pellerent.*

Luxetus igitur curat *Sanctum Adalbertum*, de tàm duro *Kirwaidi* reſponſo certiorem fieri, ſimulque mandat, vt ſibi à Concionibus temperet, ac Ditionis ſuæ finibus, primo quoque tempore excedat. *Sanctus Adalbertus* gemebundus promittit ſe imperata facturum; atq; ita reuertitur in locum priſtinum Diuerſorij. Poſtero die ſummo mane parat abitionem, priùs tamen

Missam sub dio celebrat; conuenerant eò non pauci ex circumuicinis agricolis, qui eis tanquam Viris bonis necessaria ministrabant, & tum abituris valedicere cupiebant.

Et iam *Sanctus Adalbertus* sarcinulas colligebat, cùm ecce de improuiso adsunt *Waydelotti* cum non contemnenda armatorum manu, furenti impetu eum inuadunt, strictisque gladijs primùm illi caput amputant, mox corpus eius audaci furore pleni, frustatim concidunt: Fratres verò eius, metu perculsi, in fugam se dederunt. Insequuntur barbari, *Gaudentium* assequuntur, ac crudelem in modum, ferro in viscera eius adacto contrucidant. *Benedictus* trepidâ fugâ intactus euasit.

Sequenti die Rustici quidam tanti Viri necem miserati, collegerunt omnia frusta cadaueris *Sancti Adalberti*, & in subiectam planitiem (vbi ad perpetuam rei memoriam, Ecclesia eius nomini sacra erecta visitur) comportarunt vt sepelirent. Et ecce ineffabili quadam Diuinæ prouidentiæ vi, Venerandum Martyris Corpus, præter omnium opinionem redintegratum surgit, induit se sacris illis vestibus, in quibus paulò ante Domino DEO sacrificium Missæ obtulerat: sumit caput, à corpore ferro præcisum, ante pectus; eadem viâ quâ in *Prussiam* venerat per terras, per aquas, præcedente lucidâ columnâ cælitûs demissâ, regreditur: atque inde iuit, multis sequentibus & rem cum admiratione spectantibus, quindecim milliaria Germanica, ad Capellam quandam Ruralem penes fluuium Rudanam, vno circiter milliario à *Gedano* non procul à villa Prust sitam, nunc ad *Sanctum Adalbertum* nuncupatam. In ea Capella fuit Altare formam arcæ habens, in illud igitur (mirabile dictu) se ipsum vnâ cum capite, multis adstantibus & admirantibus, recondidit, jacuitq; ibi sine honore totos tres annos.

Tribus post annis accidit, vt quidam Vector *Masouita* Gedano proficiscens, penes dictam Capellam Ruralem (vt fit) sub dio pernoctaret. Ad eum venit *Sanctus Adalbertus*, postulat vt se *Gnesnam in Poloniam* veheret, justum Vecturæ pretium, se vbi eò peruenerit, accepturum promittit, indicatq; locum vbi Corpus eius jaceret. Promittit Vector se quod postularet, haud grauatè facturum. Igitur cùm diluxisset, Corpus Sancti Martyris, ex arca illa Altaris acceptum, à corruptione integrum, gratumq; odorem spirans, lodicibus inuoluit, & in suum currum imponit; atq; sic proficiscitur. At in itinere cogitationem suscepit, contra fidem Sancto Martyri datam, tùm sacrum pondus præclarumq; thesaurum, ad suos in *Masouiam* deuehendi. Et

cùm

cùm viam quæ *Gnesnam* ducit præterijsset, quatuor dierum iter *Masouiam* versùs, frustrà fecisse dicitur. Vespere autem quodam, in *Pomesania*, magno cuidam *Pago Prussico* appropinquat, animaduertitq; in eo *Prussicos Agricolas* ebrios esse, vociferari, & choreas ducere; ideòq; metuit in Villam cum Sancti Viri Corpore proficisci, ne fortè ab ebriosis ferisq; Idololatris, currus excuteretur, & deprehenso quòd Cadauer humanum veheret, pœnas ab eo sumerent: Sancto Martyri ne qua injuria inferretur, timuit. Itaq; cùm varias curas in animo ipse suo, vt corpus in tuto seruaretur, volutasset; fortè ante pagum in syluula quadam, tandem reperit cauam quandam quercum, habentem foramen, cuius altitudo à terrâ ferè superabat proceri Viri altitudinem, in ea Sancti Viri reliquias occultauit, & cum curru vacuo venit in Villam. Eâ autem nocte euenit, quòd *Vector* ille Hospitam suam compressit, & cum ea carnaliter peccauit. Manè vixdum diluxerat, cùm ad repetendum *Sanctum Martyris Corpus* ad quercum properat. Hîc Deus iterùm rem fecit, quæ vix vllâ ex parte miraculis antea supra natura captum, editis, cedat: Nam Corpus adeò immobile reperit, vt ne digitum quidem mouere Vector fornicarius posset. Tum ille securi acceptâ, foramen per quod Corpus immiserat in quercum, magis dilatauit, eo consilio vt omnes Vires ad illud mouendum adhiberet. At nihilò magis loco moueri potuit. Interea dum ita ad quercum hæret, superueniunt Prussi, indignabundi interrogant, quid homo peregrinus rerum ibi agat? quid in aliena terrâ quærat? cur arborem dissecuerit? quid moliatur? Ille feritate Barbarorum perterritus, rem omnem vt gesta erat, narrat. Statim hominem in vincula conijciunt, remque totam ad *Kongen* suum, id est, Dominum & Principem *Pomesaniæ* (qui vocabatur *Misloius*) deferunt. Ille iubet *Masouitam* dimitti, Corpus verò *Sancti Adalberti* retineri ac diligenter asseruari.

Masouita pristinæ libertati restitutus, *Gnesnam* properat, & *Boleslao Polonorum* Duci, omnia quæ cum Sancti Martyris Corpore acta gestaq; sunt narrat. *Boleslaus* propter nouitatem miraculi, inter spem & gaudium suspensus, ablegat suos Oratores in *Pomesaniam* ad *Kongen* siue Principem *Misloium*, vt suo nomine ab eo postulent *Corpus Sancti Adalberti*: Quibus *Misloius* respondit: Si *Boleslaus* habet pecuniam, ego habeo Corpus. Tum illi; quantùm pro eo (inquiunt) poscis? Tantùm ait æris signati, quantûm Corpus ipsum ponderabit. Oratores hæc referunt *Boleslao*. Is mox remittit *Borziuoium*, cum tantâ pecuniæ vi, quanta verisimiliter satis futura videbatur. Euntem comitata est ma-

gna hominum vtriûsq; sexûs multitudo, eo consilio, vt sacrosanctas Reliquias ex *Prussia*, eâ quâ par est reuerentiâ, *Gnesnam* deducerent. Vbi ad locum destinatū ventum est, producitur libra, in alteram lancem Corpus, in alteram magnum auri pondus à *Borziuoio* allatum. Verùm tantùm abfuit, vt aurum, grauitate suâ Corpus, præponderaret, vt etiam illud cum lance, ne tantillum quidem mouere posset. *Borziuoius* solicitus, pecuniam à lance recepit, & iam cogitabat ad *Boleslaum* ablegare certos homines, qui plùs pecuniæ ab eo poscerent, cùm ecce commodum à suis monetur, vt eos quos secum ex *Polonia* in suo Comitatu adduxisset, hortetur, vt conferrent ad Corpus redimendum quantùm quisq; posset. Paritum est libenter. Primò omnium inops quædam vidua, duos obolos imposuit in vacuam lancem, & ecce de repente, occultâ quâdam Diuinæ prouidentiæ vi, pondere suo duo illi oboli, longè superabant grauitatem *Corporis Sancti Adalberti*: quòd videns *Misloius* grauiter commouebatur, ægrè etiam cæteri Idololatræ. *Misloius* tamen quia ita cum Polonorum Principe pactus erat, Corpus *Borziuoio* tandem in Poloniam deferendum tradidit. Denarios autem *Prussi* ex Lance arreptos, in terram projectos, indignabundi pedibus conculcârunt, *Polonicus* tamen Orator vt *Misloij* animum quoquo modo placaret, antequam in Poloniam, cum Corpore *Sancti Adalberti* lætus rediret, non Vulgare illi auri pondus dono dedit. *Gnesnam* cùm ventum esset, *Dux ipse Boleslaus* cum nobilitate, cum Clero, & vniuerso populo, extra Oppidum processit obuiam, Mortuo redeunti *Sancto Adalberto*: & sic fidem suam, quam Principi in Prussiam discedens de reditu suo viuus dederat, Mortuus liberauit: Sacrumq; Corpus eius, cum maxima veneratione, & celebri Pompâ deduxit in Ecclesiam Cathedralem, & inter illius adita, splendidè & religiosè, perindè atq; magnum *Reipublicæ Thesaurum*, reponi curauit. Vbi multis postea claruit Miraculis. Prussi verò non multis post Annis, Diuinâ vindictâ (vt creditum est) ab Exteris Nationibus & Cruciferis mirabili strage sæpiùs fusi victique, ac tandem omni suâ Ditione exuti sunt, quòd tantopere in Sanctos Martyres sæuierunt.



